


# BIBLIOTHECAE PATRUM CISTERCIENSIUM.

SIVE

OPERUM ABBATUM ET MONACHORUM CISTERCIENSIS Ordinis, qui sæculo S. Bernardi, aut paulò post ejus obitum floruerunt,

## TOMUS TERTIUS

Complectens
- Librum Henrici ex septimo Abbate Claravallensi Cardinalis Albanensis, *De peregrinante Ciuitate Dei.*
- Sermones Garnerij ex 9. Abbate Claravallensi Episcopi Lingonensis.
- Sermones Nicolai Claravallensis, S. Bernardi quondam Notarij.
- Epistolas Philippi ex Priore Claravallensi Abbatis de Eleemosyna.
- Epistolas prædicti Henrici Cardinalis Albanensis Episc. & Petri 8. Clarævallis Abbatis, aliorumque Abbatum & Monachorum.

*Labore & studio F.* BERTRANDI TISSIER *Doctoris Theologi Bonifontis in Therascia ejusdem Ordinis Prioris.*


Cum ejusdem Annotationibus, quibus difficultates occurrentes exponuntur.




BONOFONTE,
Typis ejusdem Cœnobij, Per A. RENESSON, Anno Domini 1660.

*Venit Parisijs in Collegio S. Bernardi, & in vico S. Iacobi apud Edmundum Conterot, sub signo Boni Pastoris.*

PERMISSU SUPERIORUM.






# SANCTISSIMO PARENTI BERNARDO, DOCTORI MELLIFLVO, CELEBERRIMI CLARAVALLENSIS COENOBII ABBATI PRIMO.

DEcet, *& omnino justum est,* Sanctissime Pater, *Filiorum & Successorum tuorũ opera literaria tibi nuncupare. Ea siquidem tibi debent accepta referri, & ad te refluere, haud secùs ac aqua ad suos ortus. Tibi totus Ordo, quem virtutibus tuis & meritis adeò celebrem fecisti, maximè debitor est: tibi omnes & singuli se fatentur obstrictos. Tu prodigiorũ & miraculorum gloria summè illustris, tam in vita, quam in morte, & post mortem: tu clientibus & omnibus opem tuam flagitantibus semper adfuisti: & multis etiam visibiliter opem tulisti. Memoranda illa inter cæteras, visitatio tua, qua deuoto fratri Cœnoby Domus-Dei ægritudine laboranti benignus consolator apparens dixisti,* Hodie mecum eris in paradiso. *Quanti etiã apud Deum sis meriti expertus est & alter, cui forma judicij quasi jam imminentis diuinitus ostensa est: qui cùm vniuersum genus hominum ad hoc examen videret suspensum, singulos quoque Ordines Religiosos de obseruantijs suæ Regulæ solicitos: conspexit inter hos quemdam præclarum Ordinem, in cujus medio splendidissimus juuenis ingenti gloria fulgens stabat: quem ipse Iudex Dominus Iesus in osculo pacis susceptum æterna gloria cum omni collegio suo donauit. Quærenti autem, cui hæc ostendebantur, quisnam esset ille Ordo tam præclarus, responsum est, Ordinem esse Cisterciensem, juuenem verò splendidissimũ S. Bernardũ primum Claravallis Abbatem. Quid ad hanc tuam gloriam potest addi? Nonne meritò quispiam dixit, te spendidissimam esse columnam, cui vniuersitas Ordinis nostri innititur? Addam tamen quædam, quæ alij de te scripserunt, qui tui discipuli non erant. Vnus qui funeri tuo interfuerat, mox in sua reuersus, hæc inter cætera de te literarũ monimentis tradidit.* Oleum effusum nomen ejus, nomen notissimũ à mari vsque ad mare: nomen grande juxta nomen magnorũ qui sunt in terra. Ego adjicio, super. Non est inuentus similis illi, *&c.* Et mox. In vita ejus si despectũ mundi quæris, reperis.. Electus fuit in Episcopũ, & non acquieuit: in Archiepiscopũ & respuit. Inde Lingonẽsis, hinc Remensis cathedra testis accedit. Elegit semper abjectus esse in domo Dei, magis quam habitare in palatijs populorũ. Si fructum pietatis quæsiueris, regiones quas ipse seuit albæ sunt ad messem. Et messis multa, & operarij multi constituti ab eo super omnẽ terrã. Si furens discordia tumidos Principes afflabat, si populos fulminans labefactabat dissensio, ipse murus, ipse in tempore iracundiæ factus est recõciliatio... Disertus in sermone, in concione facũdus, efficax ad persuadendũ, ad inquirendũ acutus. Verba ejus spiritus & vita erant. Inde tot producimus testes, quot auditores. Porrò hi multiplicati sunt super numerũ. Quàm sæpe laxauit in verbo rete, & traxit pisciũ multitudinẽ copiosam! Sapientiæ suæ testes & eloquentiæ multos tractatus edidit. Hic est celeberrimvs, & maximus patrum, tam mirandus, quàm & memorandus, Sanctvs Bernardvs Claravallis Abbas, honor magis Prælationis, quàm prælatione honorificus. *Hæc & plura de te vix octo diebus à funere tuo elapsis scripta sunt, & non expectatâ Sedis Apostolicæ sententia sanctus jam tunc audisti, adeò sanctitas tua certa & indubitata erat. E posterioribus etiam vnus hæc de te habet. D. Bernardus Abbas Claravallis quasi stella matutina Monachicũ Ordinẽ illustrat: & sanctitate, doctrina, miraculis claret in Gallia, imò Germania, Italia, Flandria; cujus vita intantum excellit, vt parum sit omne quod in ejus laudem dictũ, vel scriptum fuerit. Alius. Vbi quæso talis deuotionis igniculus reperitur, talis compunctionis riuulus infunditur, vbi talis amoris stimulus injicitur, sicut in vita & doctrina beatissimi Patris Bernardi Abbatis Claravallensis; sideris Ecclesiæ, principalis Cisterciensis Ord. ampliatoris, & monasticæ vitæ inflãmatoris ardentissimi? Hæc & innumera alia similia viri pij & docti. Sed vt breui sententia multa dicãtur, omnium justorum spiritu plenus fuisti. Angelicam in humano corpore vitam duxisti, Prophetam te jam ante susceptum Religionis habitũ expertus est frater tuus, cui periculosum vulnus in latere prædixisti, quod ei conuersionis causa futurum esset, quod & euenit. Sæpe ea quæ post 40. aut 50. annos erant futura præsciuisti. Roma cùm degeres, tertiò, vt ipse fassus es postea, Claravallem tuã visitasti in spiritu, omnes ejus officinas perlustrasti. Inter Apostolos te consistere vidit ciuis Mediolanensis: & vt vmbra Petri sanabat ægrotos, sic puluis quem pedes tui tetigerant. Martyrum te merita obtinere declarat Pontifex, & vita tua manifestat. Sed cùm laudibus tuis prædicandis impar sim, non progredior: precor autem, vt quem velut columna fulsisti, labantem nunc Cisterciensem tuum Ordinem erigere digneris, atque in primæuum splendorem tua oratione reparare.*

*Gaufridus serm. de S. Bernardo.*
*Exord. magnum Ord. Ciste. D. 4. cap. 29.*
*Exord. magnum D. 2. cap. 1.*
*Odo Morim. Abbas lib. de myst. ternarij.*
*Silvius apud Horst.*
*Henric. de Hassia apud Horst.*
*Lib. 1. vita S. Bern. & Exord. D. 3. cap. 1.*
*Distinct. 2. cap. 14.*
*Ibid. dist. 2. cap. 11. & dist. 4. c. 28.*
*Ibid. D. 2. c. 16. & c. 18.*
*Bul. Canon.*



## *REVERENDISSIMO DOMINO D. PETRO HENRI Sacræ Theologiæ Professori, celeberrimi Claravallensis Cœnobij Abbati.*

VT hoc Bibliothecæ nostræ Cisterciensis volumen tibi nuncuparẽ, Reverendissime Domine, duæ me causæ ex parte ipsius operis impulerunt. Vna, quòd Authores omnes, quorũ opuscula hoc Tomo continentur, Claravallenses fuerint: quidam Abbates prædecessores tui, multi Monachi, Nouitij quoque nonnulli. Nec tamen Scriptores tuæ celeberrimæ domus voluminis vnius terminis possunt comprehendi: cùm solius Gaufridi, beati Parentis Bernardi olim notarij, postmodum successoris, à me conquisita opera, in ingentem

molem excreuerint, necdum tamen omnia repererim: ideoque eorum editionem differre coactus fuerim. Guerrici quoque, (vt alios mittam,) Igniacensis Abbatis ex Claravalle assumpti lucubrationes in aliud tempus seruaui, quia jam aliquoties editæ sunt, & suo auctori ascriptæ, possuntque interim haberi. Nobis enim potissimùm curæ est, illa opuscula edere, quæ vel nondum edita sunt, vel alienis Auctoribus per errorem ascripta. Primus in hoc volumine prodit Henricus ex septimo Claræuallis Abbate Cardinalis Episcopus Albanensis, qui Tractatus præclaros scribere adorsus fuerat: sed suam ipse peregrinationem priùs absoluit, quàm Peregrinantem Ciuitatem suam: hunc enim operi suo titulum indidit, *De peregrinante Ciuitate Dei*. Ejusdem Epistolæ alijs aliorum Prælatorum & Monachorum, de quibus posteà, adjungentur. Secundum locum in hoc volumine obtinet D. Garnerius ex Albæ-ripæ Abbate nonus Claravallensis Antistes, ac demum Lingonensis Episcopus, cujus pręclaros sermones publici juris facimus. Sequitur, qui vtrumque tempore præcessit, Nicolaus Claravallensis cognominatus, S. Patris Bernardi aliquamdiu notarius, seu à secretis, cujus Sermones (quos proferimus cum præfatione Auctoris,) non esse contemnendos, satis insinuarunt, qui eos aliquando Sancto Bernardo & Petro Damiani, licet oscitanter valde, vt ostendemus, ascripserunt. Vltimo loco Epistolas plurimas adducimus, Philippi olim Clarævallis Prioris, pòst Cœnobij de Eleemosyna Abbatis: prædicti quoque Henrici Albanensis, & Petri ejus in regimine Clarævallis successoris, ab altero oculo effosso monoculi appellati: aliorumque Prælatorum, Monachorum, & Novitiorum, vtiles & pietate refertas. Altera mihi hujus operis tibi, Reverendissime Pater, dicandi causa hæc fuit, quòd opusculorum horũ & aliorum multorum posthac, Deo juvante, edendorum, pars maxima ex Claravallensi tua Bibliotheca optimorum librorum feracissima, de sumpta sit & exscripta: ex qua etiam nisi me præuenisset Reuerendus Pater Hieronymus Vignier, Sancti Augustini opus secundum in Iulianum in lucem producturus eram. Gaudeo autem, me præventum ab eo, qui alia ejusdem Sancti Doctoris opera nondum item edita simul cum his sex in Iulianum libris in duos Tomos conflauit, magno Ecclesiæ Christi bono, meoque & mei similium commodo, qui Augustini opera veterum editionum æquè completa adjuncto hoc auctuario habemus, ac illi, qui vltimam editionem compararunt. Hæc ergo & nostra & aliorum, ex Bibliotheca tua sumpta, velut flores ex horto tuo collectos, tibi offerre, æquissimum fuit. Nam & juxta Apostolum laborantem agricolam oportet de fructibus suis primum percipere. Alij laborarunt, ac multùm desudarunt in tot præclaris auctoribus describendis: nos in labores illorum introivimus, (non tamen sine labore messuimus,) non vt eos nobis vindicemus, aut quasi proprios faciamus, sed vt illos legitimis parentibus assertos, communi vtilitati exponamus. Vt igitur ingratitudinis labem effugiamus, beneficium agnoscimus, gratiam pro gratia rependimus, ea tibi, Reuerendissime Domine reddendo & nuncupando. Ego verò alijs quoque titulis tibi obstrictus sum, vtpote hujus tui Cœnobij alumnus & Prior, quamvis indignus; quem & non vulgari hactenus benevolentia prosecutus es, & opem ad hæc nostra edenda cõtulisti, & ea tibi fore grata declarasti. Deus optimus maximus diuturnum in hac mansione mortali, & perpetuum atque beatum in cœlo ævum concedere tibi dignetur. Hoc apprecando, se totum tibi cum opere isto offert,

Reverendissime Domine,

Humillimus & obsequentissimus
servus & Religiosus,
F. B. Tissier.



# TRACTATVS D. HENRICI CLARAEVALLIS PRIDEM ABBATIS, POST CARDINALIS ALBANENSIS Episcopi. De peregrinante Ciuitate Dei.



*EGREGIVS hic præsul Castro Marciaco prope Cluniacum parentibus nobilibus ortus, in Claravalle adhuc puer Religionis vestem assumpsit: ac nondum elapso quadriennio Altacumbæ primùm, & post aliquot annos Claravallis Abbas est electus. Corpus S. Bernardi ab Alexandro 3. paulò ante in Cælitum numerum relati, in marmoreo sepulchro, vbi etiam num quiescit, recondi curauit. Virtutum autem eius fama longe lateque se diffundente omnibus carissimus fuit, tam Regibus & Principibus, quàm Religiosis & Prælatis. In Tolosanum Episcopum & paulò post in Cisterciensem Cœnobiarcham electus, vtramque dignitatem recusauit. A Clemente 3. ad Lateranense Concilium nominatim accitus, Cardinalis inuitus creatur, atque Episcopus Albanensis consecratur: & mox legatus cum plenaria Sanctæ Sedis potestate ad prouincias transmontanas mittitur; Archiepiscopos Lugdunensem & Narbonensem deponit. Abbates nigros, & multos Ecclesiarum Prælatos, quantum potuit, reformauit. Munitissimum hæreticorum Castrum, cui nomen Vallis erat, non sine miraculo cepit: & erroris duces tenuit, conuicit, & hæresim publice abiurare coegit. Dehinc dilectam suam Claramvallem visitauit, & muneribus donauit. Romam reuersus, non multò pòst Vrbano 3. ex viuis sublato, multorum Cardinalium votis cùm Summus Pontifex designaretur, adduci non potuit, vt electioni suæ consentiret, sed crucis prædicandæ officium assumens vrbe excessit, & Imperatorem cum 68. Principibus & alijs plurimis, Reges quoque Galliæ & Angliæ cruce signauit, idest, ad bellum sacrum, & ad succurredum terræ sanctæ, tessera crucis collatâ obligauit. Cùm venisset autem Leodium eius prædicatione permoti & compuncti Clerici plures sexaginta sex timore Simoniæ sua ei beneficia resignarunt: quæ deinde vt omnis Simoniæ labes abesset, plenaria potestate velut recens collata, eisdem restituit. Demum in partes Flandriæ profectus, pacem inter Comitem illius prouinciæ & Atrebatensem Ecclesiam reformauit. Morbo ibi correptus susceptis Ecclesiæ sacramentis ante altare S. Andreæ Atrebatensis, quò deportari optauerat, pie in Domino obdormiuit. Inde corpus eius, vt mandauerat, Claramvallem delatum est, & inter SS. Malachiæ & Bernardi altaria & sepulchra reconditum. Hæc ex tabella eius sepulchro appensa, quæ certum annum mortis eius non designat, sed circa annum 1186. eum obijsse refert. Verùm cùm ei scripserit amicus eius Gaufridus Epistolam insignem, quæ extat apud Baron. ad ann. 1168. aliquot annis videtur supervixisse. Porrò quod attinet ad eius librum ex Claravallensis bibliotheca exemplari à nobis descriptum, ille imperfectus est: sed credibile est, authorem negotijs plurimis distentum, & tandem morte præuentum, illum absoluere non potuisse.*

## PRÆFATIO AVTHORIS,

### *Ad Claravallenses Religiosos.*



CARISSIMIS ac spiritualibus filijs suis in Claravalle Domino seruientibus, Henricus peccator monachus, superaffluentem paracleti consolationem. Ex ea qua me sentio vobis charitate deuinctum, vestrum quem erga me geritis, metiri ac pensare libet affectum. Inde est, quod sicut de exteriori vestro profectu quotidiana solicitudine angor; sic filiali affectu vos paternis anxietatibus condolere, & pro meo statu versa vice solicitis non dubito cogitationibus æstuare. Videns igitur, ad præsens non posse satisfieri votis, vt præsentes vos habeam, & omnia quæ circa vos sunt, pleniùs præsens agnoscam; vestris saltem desiderijs satisfacere, licet absens, cupio: & quæ circa me acta sunt, ex quo à vobis exiui, vel agantur hodie, volo vobis, prout possum meliùs, aperire. Postquam igitur summi Noë dispositione de arca sum disciplinæ regularis emissus, & imbrium ventorumque procellis expositus; nullam, vt verum fatear, requiem pes meus potuit inuenire: & qui intra arcam consueuerat stabilis permanere, cœpit extra positus inter labentia fluctuare. Diu ergo multumque in omnibus quærendo requiem fatigatus, ipsisque vexationibus eruditus, tandemque in me reuersus, talia mecum aio. *Reuertar in domum meam, vnde exiui.* Luc. 11. Quid mihi & mundanis? Quid mihi & transitorijs? Suos ista de-

tineant amatores, suos occupent sectatores. Ego qui mea me tunica expoliaui, quomodo iterum induam illam? Qui laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Si spiritu ducor, vtique non sum sub lege. Vbi n. spiritus Domini, ibi libertas. Non sum liber? Non sum monachus? Si liberum est aliquibus à Deo recedere, mihi ad eum liberum non erit redire? Dum talia tacitus in corde voluerem, & ad hæc fortiùs animum obfirmarem, vocem subitò dicentis audio. *Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas. Cùm autem senueris, alius te cinget, & ducet quo non vis.* Ad hanc vocem totus contremui, & diuinæ sententiæ nexibus grauiter me constrictum tandem confusus agnoui: & qui velut onagrum liberum me priùs putabam, certo certiùs comperi, non esse in homine viam eius, & quòd non nisi à Domino gressus hominis diriguntur. Quis n. restitit ei, & pacem habuit? Ipse quasi peccatum ariolandi indicat non obedire, & quasi scelus idolatriæ non acquiescere. Hæc & alia multa attendens, & mente diligenter pertractans, cùm talibus cogitationibus perturbarer, nec vsquam iam exitus appareret; totum tandem ad Dominum me conuerti, & ex intimis cordis medullis exclamans ad eum aio. *Nunquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdedisti me carcere? Abyssus vallauit me & pelagus cooperuit caput meum. Putas videbo templum sanctum tuum?* Putas ad illam meam, imò tuam Claram vallem, ab Episcopalis sarcinæ vinculis absolutus aliquando redibo? Putas filijs meis dilectissimis, imò tuis redditus, cum eis tibi lætabundus cantabo, *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis? Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar*, elongatus ab eis, sine quibus viuere mori mihi est, cum quibus mori viuere mihi est? Quis mihi det eorum frui & recreari præsentia, quorum me confortent merita trepidantem, exempla prouocent dormitantem; eorum humilitas reprimat præsumentem, virtus roboret vacillantem, hæsitantem confirment consilia, tristem spirituales lætificent consolationes? Hæc apud me frequentiùs versans, aures Domini mei Iesu lachrymis pulsare non cesso, illud propheticum mecum sæpius iterans, *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi mei ad Dominum Deum* meum, *donec misereatur* mei: & cum Patriarcha Iacob constanter affirmans, *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Ad hæc ipse, qui nunquam obliuiscitur misereri, tandem me seruum suum audire dignatus est clamantem, flentem respicere, pulsanti voluit aperire, reuelans oculos cordis mei, ac gratiæ suæ luce perfundens, ad cognoscendum statum illius ciuitatis, quam Ezechiel, qui & ipse priùs audierat, *Ecce data sunt super te vincula*, vergentem vidit ad austrum; quam Ioannes descendentem vidit de cœlo; quam Propheta Dauid in montibus sanctis ædificandam aspexit. In hac fratres meos & filios Claræuallenses, quorum absentiam deplorabam, præsentes reperi: in hac omnes bonos in hoc mundo peregrinantes ascriptos ciues inueni. Quid igitur restare aliud iam videtur, nisi vt post multos & varios fluctus superiùs descriptos, ciuitate tandem habitationis inuenta, seminare agros, plantare vineas, & fructum natiuitatis facere studeamus? Hoc à me meliùs fieri posse non credidi; quàm si ea, quæ de ciuitate prædicta à Domino accepi, literis commendando, agros studiorum meorum specialibus ac dilectissimis filijs meis Claræuallensibus demetendos dimittam: vel si sarculo opus esse cognouerint, à superfluis purgandis committam. Non vereor ab eis patris nuditatem ridendam, sed compatiendo, pallio illo quod vtrumque sufficeret operire, velandam confido, pariter & ornandam. Sed nec nudum scio eos iudicaturos sermonem minùs ornatum, qui fœcundum approbant potiùs quàm facundum. Persuasum quidem eis est ab Apostolo, virtutem magis quàm sermonem eorum qui inflati sunt attendendam; & regnum Dei in virtute consistere sensuum, non in lepore verborum. Rogo ergo vos, fratres mei dilectissimi, vt cùm in paternos labores intraueritis, non alienos eos, sed proprios iudicantes, fruges vobis dicatas pia consideratione pensetis, & si tanta vbertas non fuerit, vt falce digna videatur, saltem spicas quę occurrerint colligere & manufricare non contemnatis. Excuset sterilitatem agelli mei apud vos solis ardor, & vt Salomonis verbis vtar, *Nolite me considerare, quòd fuscus sim, quia decolorauit me sol.* Inde est, quòd nec illum saporem, quem aliquando apud vos habuit, retinet sermo meus: nec illum colorem, quem in me cernebatis, obtinet actus meus. Placeat soli iustitiæ, qui non tam vrere, quàm vngere consueuit, meritis & orationibus vestris, & verbis saporem, & operi pristinum reparare colorem. Tractauit beatus Augustinus mixtim de vtraque ciuitate, & peregrinante in terris, & regnante in cœlis; si tamen duæ dicendæ sint, cùm non sint nisi vna, in quam se Propheta gratulabatur iturum, cum diceret, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem. Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in id ipsum.* Ecce & ædificari Propheta dixit eam in terris, & id ipsum participare in cœlis. In terris habet initium & profectum, vbi est, *fuisse*, *esse*, & *fore:* vbi *heri*, *hodie*, & *cras*. In cœlis habet consummationem, vbi *erit*, & *fuit* vicissitudinis obumbrationem non faciunt: sed *est* semper idem est; & quidquid ibi est, in eo quod ipsum est, immarcessibile est. De illa ergo parte ciuitatis Dei, quæ iam in cœlis coronata triumphat, peritioribus & spiritualibus, qui omnia iudicant differendum relinquo. Ego qui imperfectum meum non ignoro; & scire semper volo, quòd nesciam; vt si quid ignoro, ignorantia mea meum sit: de militante in terris ciuitate Dei tractare instituo: si quid in eodem tractatu acceptione dignum sit, lectoris iudicio derelinquens. Quem si repudiandum totum iudicauerit, rogo vt priùs legat, postea despiciat: ne secundum beatum Hieronymum, vt tamen mitiùs loquar, videatur minùs rectè, antequam legerit, ignorata damnare.

Marginal references (left column): Cant. 5. — 2. Cor. 3. — Ioa. 21. — Ierem. 10. — Prou. 20. — 1. Reg. 15. — Iob. 7. — Ion. 2. — Psal. 110. & 119. — Psal. 122. — Genes. 32. — Ezech. 2. & — Apoc. 21. — Psal. 86.

Marginal references (right column): Psal. 106. — 1. Cor. 4. — Cant. 1. — Libri Augustini de Ciuitate Dei. — Psal. 121.

*Tractatus I. De Præparatione materia Ciuitatis Dei.*

CVPIENTI mihi toto desiderio verbo Domini parere dicentis, *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam,* nihil ad hoc in præsentiarum commodius occurrit, quàm vt ciuitati Domini virtutum, cuius pars peregrinatur in terris, pars coronata triumphat in cœlis, aliquid obsequij mei studeam impertiri. Nam etsi aurum aut lapides pretiosos non sufficiam exhibere, si saltem pilos caprarum obtulerim, nonnihil in opus Domini inueniar contulisse. Et quia laborantem agricolam oportet primum de fructibus suis percipere, expedire mihi visum est, primò in ciuitatis ipsius consideratione, diutius immorari; vt tali commoratione eius tandem ciuis per Dei misericordiam merear inueniri. Dehinc ipsius statum studiosiùs describendo, etiam alios ad habitationem eius instanter prouocare, vt nonnullos ei ciues, si Dominus concesserit, inueniar collegisse. Sed ad hæc quis idoneus, nisi quem tu Domine dignum effeceris per tuam gratiam? Quia nullus est dignus inuentus, qui non ab ea indignus fuerit præuentus. Fateor Domine, fateor me indignum, scio me insufficientē; nec aliunde quidē quàm de tua confisus gratia opus istud aggredior. De ipsa me confidere docet sola illa pietatis tuæ ineffabilis affluentia, qua præter merita mea, ad bona siqua feci, me semper præueniri, & in eis promoueri innumeris experimentis probaui. Ad te igitur nunc, pater luminum, solito more confugio: te inuoco Deus meus, Deus veritas, in quo, & à quo, & per quem, vera sunt, quæ vera sunt omnia: Deus sapientia, in quo & à quo. & per quem sapiunt, quæ dignè sapiunt omnia; Deus vera ac summa vita, in quo, & à quo, & per quem vivunt, quæ verè summeque vivunt omnia: fac me vera & recta sapiendo te vera & summa frui vita: à quo exire, est mori, in quem redire, reuiuiscere; in quo habitare, est viuere. Manendo in te, viuam ex te, & tu vita maneas in me: vt fructum, qui maneat, afferā ex te, non ex me. Ex te fuit, quod Prophetæ tuo Dauid de tua reuelatum est ciuitate, quodque mihi de eadem per eum reuelatur. Quod si & alijs reuelatum fuerit per me, non erit ex me, sed ex te. Iam ergo quid intus manens à te audierit, quid apud te viderit Dauid, quid foris ad nos exiens eructauerit, audiamus, *Fundamenta eius,* inquit, *in montibus sanctis.* Hunc Psalmum in nostri operis ponimus fundamento, ne à Propheticæ & Catholicæ regulę rectitudine in aliquo deuiemus. Hic igitur Psalmus septem distinguitur versibus, quibus septiformis exprimitur nostræ ciuitatis profectus. In primo & secundo versu agitur de ciuitatis ipsius fundatione, & gloriosa portarum seu murorum consummatione. In tertio de communis asyli in medio ciuitatis collocatione. In quarto de ciuitatis populatione: in quinto de eius informatione: in sexto de confirmatione: in septimo de consummatæ ciuitatis lætabunda dedicatione: & hæc omnia in ædificatione siue reædificatione Ierusalem in veteri testamento reperiuntur distincta. In ædificatione sub Dauid, in reædificatione sub Esdra & Nehemia, fundamenta posita, muri ædificati, portæ cum seris & vectibus statutæ leguntur. Asylum verò commune præter ciuitates refugij, templum Ierosolymitanum omnibus creditur extitisse; non ad quod congregaret impios quorumlibet impunitas delictorum, ob quam causam asylum Romuleum legitur institutum: sed in quo pro delictis vniuersi satisfacientes impij à suis iniquitatibus mundarentur, iuxta illud Prophetæ, *verte impium, & non erit.* De populatione in Esdra sic legitur. *Postquam ædificatus est murus, & posui valuas,* &c. *Deus dedit in corde meo, & congregaui optimates & magistratus, & vulgus, vt recenserem eos.* De informatione in Nehemiæ historia ita legitur *Aperuit Esdras librum coram omni populo: super vniuersum quippe populum eminebat; & cum aperuisset eum stetit omnis populus. Et benedixit Esdras Domino Deo magno, & respondit omnis populus, Amen, Amen, eleuans manus suas; & incuruati sunt; & adorauerunt Deum proni in terram. Porrò leuitæ silentium faciebant in populo ad audiendam legem; populus autem stabat in gradu suo. Et legerunt in libro legis Dei distinctè & aperte ad intelligendum, & intellexerunt cùm legeretur.* Et in sequentibus. *Vicesima quarta die mensis conuenerunt filij Israël in ieiunio & saccis; & humus super eos. Et separatum est semen filiorum Israël ab omni filio alienigena; & steterunt, & confitebantur peccata sua, & iniquitates patrum suorum. Et consurrexerunt ad standum: & legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum.* De confirmatione eiusdem in sequentibus libri sic legitur, *Super omnibus his percutimus fœdus.* &c. Item. *Habitauerunt autem principes populi in Ierusalem: reliqua verò plebs misit sortem, vt tollerent vnam partem de decem, qui habitaturi essent in Ierusalem ciuitate sancta, nouem verò partes in ciuitatibus.* Confirmationem autem hic dicimus, non solum qua populus Domino suo, sed & Dominus populo suo quarundam immunitatum promissionibus obligatur, sicut sub Moyse factum legimus, vbi dicitur: *Audi Israel. Dominum elegisti hodie, vt sit tibi Deus, & ambules in vijs eius, & custodias ceremonias illius & mandata atque iudicia, & obedias eius imperio,. Et Dominus elegit te hodie, vt sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, & custodias omnia præcepta illius; & faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creauit* Item. *Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit. A deserto, & à libano, & à flumine magno Euphrate vsque ad mare occidentale erunt termini vestri.* Hæc Dominus non solum Israelis populo per Moysen promisisse, sed & patribus iurasse perhibetur: sicut est illud, *per memetipsum iuraui, dicit Dominus.* Tali priuilegio se munitum quondam gloriabatur populus Iudæorum. Sed longè digniori priuilegio insignitus est populus Christianus; de quo, quod Dominus donauerit, suo loco dicemus. Dedicationem muri ac totius ciuitatis ab Esdra & Nehemia factam legimus in hunc modum. *In dedicatione autem muri Ierusalem re-*

Ioa. 6.
Exod. 25.
2. Timo. 2.
Intentio Authoris in hoc opere.
Inuocatio Dei.
Psal. 66.
Septem velut actionibus Ciuitas Dei perficitur.
Prou. 12.
2. Esdræ 7.
2. Esdræ 8.
2. Esdræ 9.
Ibid. 10. & 11.
Deuter. 26.
Deuter. 11.
Isa. 4.
Ierem. 49.
2. Esdræ 12.

*quisierunt leuitas de omnibus locis suis, vt adducerent eos in Ierusalem, & facerent dedicationem.* &c. Hæc de historia veteris testamenti ponenda duximus, vt solido fundamento securè superædificemus. Pro hac igitur septiformi Sancti Spiritus operatione Ecclesia septies laudem Domino dicit in die. Et sicut in ædificatione domus suę sapientia columnas septem legitur excidisse: sic certis & distinctis anni temporibus Ecclesia septem prædicta solemniter commendando Deum noscitur collaudare: vt his diuinæ laudis præconijs, velut septem suffulta inueniatur columnis. Hæc autem pleniùs explicanda singula singulis propositi Psalmi versibus referamus. Sed priusquam ad psalmi principium accedamus, de ipsius psalmi titulo aliquid dicendum esse videtur. Titulus hic est, [ Psalmus Cantici filijs Chore. ] Quid est autem aliud, psalmum cantici filijs Chore conuenire, nisi vt opere impleant, quod voce decantant, qui filij esse Chore, illius scilicet calui, (hoc enim Chore sonat,) qui in Caluariæ loco suspensus est, non solum sacramento, sed & re sacramenti; non solum adoptione, sed etiam imitatione, seipsos decaluando, & superflua quæque resecando, contendunt? Tales planè filios Chore, mundos scilicet & rectos corde, feruentesque opere decet collaudatio, vt nec vita à voce, nec vox à cordis discrepet puritate: alioqui non erit speciosa laus in ore peccatoris. Aliud etiam ex hoc titulo attendendum, quod sicut titulus psalmum præcedit, sic fundationem ciuitatis, quæ in principio psalmi describitur, quædam præparatoria præcesserunt, vt impleretur illud Salomonis. *Prepara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum: vt postea edifices domum tuam.* Hoc quoque in Ecclesia, quæ ipsa ciuitas est, singulis annis & mysticè figurari, & actu ipso cernimus repræsentari. Ipsa siquidem suę fundationis in Christi Natiuitate celebratura mysteria, ipsius Dominicę Natiuitatis venerandam memoriam prædicta consideratione quatuor consueuit Dominicalibus officijs præuenire. Huius rei si mysterium diligenter attendimus, inuenimus quatuor ætatibus præparatum & prænunciatum multifariè multisque modis Dominicum fuisse aduentum: ab Abraham scilicet vsque ad Moysen, à Moyse vsque ad Dauid, à Dauid vsque ad transmigrationem Babilonis, à transmigratione Babilonis vsque ad Ioannem. Nam duæ quæ præcesserunt ætates, velut infantia mundi & pueritia, minùs aptæ, minusque habiles ad veritatis cognitionem inuentæ sunt. Vel si libet ab Abraham vsque ad Dauid secundum Euangelium vnam computare ætatem: dicemus à Noë vsque ad Christum quatuor præcessisse. Quæ autem in his ætatibus quatuor facta fuerit Domino suæ præparatio ciuitatis, pleniùs in sequentibus exponemus, cùm coeperit libri materia plenior apparere. Interim ipsam materiam tantummodo prælibare sufficiat, vt nec nostro operi qualiscumque desit pręparatio, qua lectoris animus excitatus ad intelligenda quæ sequuntur, & tenenda memoriter, præparetur. De omnibus igitur quæ quatuor prædictis ætatibus præparata noscuntur, vnum ad præsens excerpimus, quod ad tituli prosecutionem sufficiet explicasse. Illis siquidem ætatibus sacra à Deo Scriptura noscitur præparata, quæ in totius ciuitatis constructione cæmenti locum obtineat, ad inæqualium coæquationem & diffidentium conglutinationem. Non enim in ciuitate Domini bitumen locum habet, quo Babilonij in suo opere vsi sunt pro cæmento. Bitumen quippe quod naturaliter de terra oritur, astutia est naturalis, quæ prudentia carnis inimica est Deo. Prudentia verò spiritus, quæ de sacræ Scripturæ velut diuini cæmenti compagine generatur, vita & pax. Et quia cæmentum de diuersis rerum generibus conficitur, voluit Deus singulis prædictis ętatibus singula coadunare, quæ ad huius cæmenti confectionem necessaria videbantur. Quæ autem sint illa, cæmentum quod manu Pontificis fit in consecratione altaris, manifestè declarat. Illud autem ex aqua & vino & calce & cineribus fieri solet. Non enim sal quod aquæ miscetur, inter hæc duximus numerandum, cùm ipsum non nisi aqua coagulata, esse noscatur. Hæc ergo quomodo summus Pontifex Deus diuersis temporibus præparauerit, & præparata tandem suo operi adaptauerit, attendamus. Ab Abraham siquidem vsque ad Moysen labentium actuum bonorum siue malorum historiam texendo velut aquas fluentes in vno Genesis libro, ac si in vno videtur loco congregasse. Inde est quod licet illæ actiones velut aquæ labentes cum sua ætate effluxerint, adhuc tamen sacræ Scripturæ cæmento per lectionis reuolutionem in legentium memoria integræ permanere noscuntur. Et licet huic aquæ vinum spiritualis intelligentiæ permixtum reperiatur; sequenti tamen ætati, à Moyse scilicet vsque ad Dauid, vinum spiritualiter attribuitur, in qua mordaces legis præceptiones & prohibitiones traditæ à Domino, susceptæ à populo, & ipsa sui nouitate vini austeritatem importasse leguntur. A Dauid autem vsque ad transmigrationem Babilonis viri perfecti velut lapides viui igne Spiritus Sancti excocti, suis operibus futura præsignantes, & Prophetico spiritu ventura prædicentes, pluribus librorum monimentis firmitatem calcis Christianæ fidei parauerunt, qua calce formari & solidari in fide discipulos suos volebat Petrus Apostolus dicens. *Habetis firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* A transmigratione Babilonis vsque ad Ioannem cineres sunt cribati, cùm Iudaici populi reliquiæ multis tribulationum angustijs vexatæ, & suas miserias per Scripturæ seriem ad posteros transmittentes, non aliud innuisse videntur, quàm nostræ ætatis fini similia esse præparata: adeo vt semper & præteritorum cinerum recordatione, & futurorum expectatione humiles in prosperis, & fortes inueniamur in aduersis. Cinis quippe, cùm sit materia vilis, in cæmento tamen non vilem habet effectum, cùm & illud durabilius & tenacius reddat. Hoc cæmento Dominus in suę ciuitatis ędificatione vsus, omnibus ferè suis & dictis & factis illud studuit coaptare. Vnde & dicebat. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim*

*Psal. 86.*

*Qui sint Filij Chore spirituali-ter.*

*Ecclesi. 18.*

*Prou. 24.*

*Christi aduentus ætatibus 4. prænuntiatus.*

*Mat. 1.*

*Scriptura cæmentum est ciuitatis Dei*

*Consecratio Altarium.*

*Lib. Esdræ & Machabæorum*

*Io.*

Ibid. *me scripsit.* Et illud. *Scrutamini Scripturas, illæ enim testimonium perhibent de me*, Et quia longum esset retexere omnia, quæ in Euangelio de veteri testamento assumuntur, siue quæ in eo de ipsius Natiuitate, Circumcisione, Apparitione, Ipapante, Baptismate, Prædicatione, Morte, Sepultura, & Resurrectione prænunciata reperiuntur, illud ad præsens ponere sufficiat, vbi prædicta quatuor nominatim legitur expressisse dicens. *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis tertia die; & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma.* Ecce hic manifestè totam Scripturam veterem in legem & Prophetas, & Psalmorum nomine agiographa, distinguendo concludit. Habemus igitur vinum in lege, calcem in Prophetis, cineres in agiographis, & singulis horum historiæ aquam perimixtam: imò per aquam historiæ singula hæc sibi inuicem permixta & conglutinata vnum cæmentum efficere comprobantur. Et hæc forsitan est illa rota, quam vidit Ezechiel, quatuor habentem facies per quatuor partes ire.

Luc. 24.

*De Rota quatuor habente facies, & per quatuor partes ambulante.*

Historia siquidè humanos actus more humano retexendo, faciem hominis manifestè prætendit. Lex verò Moysi præceptorum & prohibitionum iugo colla subditorum atterens vituli colligati faciem repræsentat: Prophetia comminationum & promissionum sublimiora contingens, perspicacitatem aquilæ imitatur. Agiographa duris inuectionibus, & asperis increpationibus leonis rugitum exprimere manifestè noscuntur; qualia in Psalmis, vt est illud, *Filij hominum vsquequo graui corde*, in Daniele & Esdra expressa sæpius replicantur. Quod autem per quatuor partes hæc ire dicuntur, illud manifeste innuit, quod historia ad sola respicit præterita, velut aqua prætereundo deficiens & defluens in abyssum. Secundum sensum verò spiritualem, tota ipsa Scriptura veteris testamenti futura prospiciens in anteriora se extendit, triplicem Christi prænuntians aduentum; vel primum, qui occultus fuit & humilis, & iam nobis est præteritus; vel secundum, qui præsens quotidie à Sanctis intimus sentitur & dulcis; vel tertium, qui manifestus & terribilis in fine temporum expectatur. Hi tres aduentus ita Scripturæ veteri inueniuntur inserti, vt nunc omnibus congruere, nunc singulos separatim tangere videatur. Quod manifeste cernimus in Threnis Ieremiæ, quos quadruplici distinguens Alphabeto, vnum ad ruinam terrenæ Ierusalem, reliqua ad triplicem Ecclesiæ casum direxisse videtur. Sicut enim terrena Ierusalem priùs de gloria regni, postea de gloria sacerdotij, tertiò de legalium ceremoniarum obseruantia legitur corruisse: & sicut templum primò à Chaldæis destructum, secundò à Græcis prophanatum, tertiò à Romanis penitus inuenitur deletum: sic spiritualis Ierusalem, quæ est Ecclesia, priùs à sacerdotalis authoritatis humilianda est gloria & dignitate, secundò à Christianæ religionis virtute, & sanctitatis simplicitate casura, secundum quod Prophetans Apostolus, *In nouissimis*, inquit, *diebus erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem abnegantes*: Tertio ipsam pietatis est speciem relictura, & totius Ecclesiastici ordinis formam etiam exteriorem reiectura. Quod fortè ipsa Ecclesia in eo præfigurat, quòd tribus diebus ante Resurrectionem Domini ingloriam, indecotam, & mœrentem se exhibet, eo quod communem omnium resurrectionem, & vltimum Christi aduentũ talia præuentura indubitanter expectet.

Psal. 4.

Vetus testamentum Christi prænuntiauit aduentum.

Ecclesiæ destructio futura, sano intelligenda, ex parte scilicet.

2. Timo 3.

*De tribus diebus præcedentibus Dominicam Resurrectionem: & de septem Antiphonis solemnibus Aduentus Domini.*

QVOD præfigurari manifeste dignoscitur in eo quod prædictis tribus diebus horæ canonicæ sine solito initio & fine dicuntur. Nam ex principio & fine in musica forma diiudicatur. Quod autem, *Dominus vobiscum, Oremus*, & *Kyrie eleison*, supprimuntur, sanctitatis insinuat defectum. Nam quod *Gloria*, omnino reticetur, quem hodie Ecclesia obtinet, gloriæ apicem innuit aliquando de medio tollendum. Non tamen subito hæc gloria abscondetur, sed paulatim processu temporis minuetur: sicut à Dominica in passione Domini in Missa tantum, vbi specialiter gloria sacerdotalis refulget, incipit reticeri. Hæc etiam distinctio in prędictis Threnis reperitur, cùm in secundo Alphabeto pollutum regnum, & deiecti principes, & omne cornu confractum deploratur: in tertio Propheta se ese virum videntem paupertatem lamentatur: in quarto obscuratum aurum, & colorem optimum plangit esse mutatum. Quæ licet de vltimo Christi aduentu specialiter dicta intelligantur; multa tamen in eisdem Alphabetis ad primum & secundum specialius referuntur. Sicut autem in Ecclesia Domini Resurectio & ea quæ præcedunt, in prępatationem vltimi aduentus celebrantur: sic & ea quæ primum Christi præcesserunt aduentum, in ipsius sunt facta præparationem: & ea quæ singulis annis de primo eius aduentu solemniter recoluntur, medii aduentus præparatoria esse noscuntur. Quod in illis septem solemnibus apparuit Antiphonis, quæ in præparatione Natiuitatis Dominicæ decantantur: quarum primis quatuor, illorum Patrum qui prædictis quatuor ætatibus Scripturas ipsas ediderunt, clamores & desideria exprimuntur. Nam tribus quæ sequuntur, ipse triplex Christi aduentus ab eisdem prædictis patribus præuisus & desideratus innuitur. Quatuor etiam prædictis antiphonis quatuor secundi aduentus præparatoria ostenduntur. Nam per primam excitantur corda torpentium ad surgendum, secundum illud, *Media nocte clamor factus*

7. Antiphonæ Aduentus quid innuant.

Mat. 25. est, ecce sponsus venit. Secunda excitatos admoneat ad ornandum, quos sponsus suscipiendus est, locum, iuxta illud, quod sequitur in Euangelio, *Tunc surrexerunt, õnes virgines illæ & ornauerunt lampades suas*. Tertia ad obuiandum, secundum illud, *Exierunt obuiam sponso & sponsæ*. Quarta ad intrandum, sicut dicitur, *Quæ parata erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua*, Cuius ianuę clauiger est & clauis, cui vult claudens, ita vt nemo aperiat; cui vult & quando vult aperiens, vt nemo claudat: ille qui in quarta Antiphona ad veniendum vocatur, & clauis Dauid nominatur. Alijs enim quæ prędiximus, alias tres antiphonas facile lector diligens assignabit. Patet igitur, ea quæ primum Christi præcesserunt aduentum, præparatoria tantum nostræ fuisse ciuitatis; ipso verò Christi primo aduentu ciuitatem ipsam fundatam, atque munitam : nam per secundum ipsius aduentũ quotidie adunatur & informatur; tertio tandem aduentu plenè ab eo confirmanda, & lætantibus omnibus tam Angelis quam hominibus dedicanda. Hęc enim primo Christi aduentu præparata quodammodo videntur potiùs quàm completa. Complebuntur autem, cùm signis omnibus decedentibus res succedent, fides transibit in speciem, vmbra in veritatem. Interim dum durat vmbra, sciens Christus signa esse necessaria, & ad res ipsas præparatoria, talia agere voluit, quę & res essent præcedentium signorum, & signa rerum futurarum. Præsignauit enim fundationem ciuitatis suæ in sua Natiuitate, initiationem in Circumcisione, adunationem in Apparitione, informationem in Sacramentorum institutione; confirmationem in Passione, secundum illud Apostoli, Ibid. *vbi est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris, Testamentum enim in mortuis confirmatum est. Alioqui nondum valet, dum viuit, qui testatus est*, vnde nec quidem sine sanguine dedicatum est. Quæ dedicatio sicut triplex fuit in veteri testamento, prima tabernaculi, secunda & tertia ciuitatis & templi : sic vltimam & plenam nostræ ciuitatis dedicationem duæ pręcessisse in nouo testamento & pręfigurasse noscuntur : prima in Purificatione, siue hypapante Domini, quę & apud nos festum luminum nominatur; quo nomine apud veteres, vocatam legimus dedicationem: secunda in missione Spiritus Sancti, quando congregati in vnum Apostoli Spiritu Sancto loquuntur baptizati. Et quia signis peregrinantes & militantes pręcipuè vti solent, rectè peregrinanti & militanti ciuitati signa dantur. Quia quandiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino, & quandiu militia est hominis super terram, visibilium signorum scala ad inuisibilia necesse habemus vti, secundũ quod Apostolus ait. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur à creatura mundi*. Creatura ait, mundi, non cœli, illa enim scalâ non indiget solium iam tenens. Filij autem Chore, qui Tau signatum habent in frontibus suis, qui vocatos se reputant ad cinerem & ad caluitium, qui ea quæ prima fronte apparent, visibilia scilicet, temporalia esse cognoscunt, & ad æterna & anteriora se extendunt; vt ait beatus Augustinus; tales inquam calui & peregrini & aduenæ super terram & peregrinantis ciuitatis ciues signa suę militiæ recognoscunt, & suæ ciuitatis cantaturi canticum, sic actiuæ vitæ Psalterium assumunt, vt semper ad contemplatiuam transire contendant. Cuius finis est & satietas beata Trinitas vnus Deus, qua sola fruentes efficiuntur beati. Quæ quia dum peregrinamur à Domino, sicut est, à lippientibus videri non potest, voluit Dominus suæ ciuitati visibilem quandam proponere Trinitatem, qua humana infirmitas in exilio per ea quæ vsu didicit confricata incalesceret, vt sic ad ea quæ non didicit tandem assurgens perueniret. Hæc intelligens discipulus ille quem dilexit Iesus, duas Trinitates in suis scriptis proposuit, vnam in cœlis, aliam testimonium dantem in terris: innuens, quòd frustra quis ad testimonia aspiraret, si insensibilis Trinitatis testimonium non haberet: De quo ita ait. *Tres sunt qui testimonium dant in terris; spiritus, aqua, & sanguis : & hi tres vnum sunt*, Tria siquidem, vt ait beatus Augustinus, nouimus de corpore Domini exisse, cùm penderet in ligno. Primum spiritum iuxta illud, *Inclinato capite emisit spiritum*: deinde quando latus eius lancea perforatum est, sanguinem & aquam. Hæc tria cùm diuersas habeant singula quæque substantias, non sunt vnum. Sed si ea quæ his sunt significata attendimus, occurrit beata Trinitas vnus Deus: Pater & Filius, & Spiritus Sanctus: vt nomine Spiritus accipiamus significatũ Deum Patrem, secundum illud, *Spiritus est Deus*: nomine autem sanguinis Filium, secundũ quod Verbum caro factum est: nomine verò aquæ Spiritum Sanctum, sicut ait Euangelista. *Hoc autem dixit de Spiritu, quẽ accepturi erant credentes in eum*. Hæc Augustinus. Ad hanc igitur Trinitatem volens Dominus Iesus seipsum nobis parare viam, tria in his tribus instituit sacramenta, quibus interim anima lippiens mundaretur, & exerceretur; exercitata dilataretur, dilatata tandem caperet, quod capere non poterat otiosa. In aqua quippe sacramentum Baptismi instituit; in sanguine sacramentum Altaris, dicens, *Hic calix nouum testamentum est in sanguine meo*: in Spiritu sacramentum Confirmationis, quod Apostolis Spiritus Sancti igne etiam visibiliter confirmans & corroborans, eundem Spiritum alijs manuum impositione tradentibus, signis diuersarum linguarum Dominus voluit cõmendari, igne suæ pręsentiæ sordes vniuersas purificans, hominem innouat & immutat. Et licet hæc tria sacramẽta vnũ non sint, vna tamen est operatio Trinitatis in trib⁹, & in singulis trina. In baptismate speialis apparuit operatio Spirit⁹, per columbã: mysteriũ Eucharistię, passione sua specialiter Fili⁹ cõsecrauit: in Cõfirmatione Pater specialiter vis⁹ est operari, qui misso Spiritu Apostolorũ corda inuisibili illustrauit potentia. In Cõfirmatione igitur Pater corroborat: in traditiõe Eucharistię Filius noctis illi⁹ tenebras, qua comedebantur carnes agni veteris, sapiẽter illustrat: in Baptismate Spiritus Sanct⁹ igne suę pręsentiæ sordes vniuersas purificans hominem innouat & immutat. Et quia inseparabilis est operatio Trinitatis, eadem tria in singulis tota Trinitas operatur,

Margin notes (left): Hebr. 9. — Triplex dedicatio in veteri testamento. — Actor. 2. — 2. Cor. 5. — Iob. 7. — Rom. 1. — Ezech. 9.

Margin notes (right): 1. Ioa. 5. — Ioan. 19. — Ioa. 4. — Luc. 9. — 1. Cor. 11.

Tres itaque sunt, qui in tribus sacramentis operari probantur, & tres vnum sunt: Aliter enim tota Trinitas nobis eisdem substantijs commendatur. Spiritus enim qui orantes facit, & gemitibus inenarrabilibus interpellat pro nobis, orationis deuotionem commendat: Eleemosynam, quæ aqua Dei interpretatur, aquam manifestè designat. Confessionis & pœnitentię ruborem sanguis significando demonstrat. Et hæc sunt quæ testimonium dant in terra, quoniam his fructibus in terra homines cognoscuntur. Dant etiam exteriùs testimonia latentium intus virtutum; oratio scilicet humilitatis, abstinentia castitatis, eleemosyna charitatis. In quibus virtutibus quàm expressim appareat vestigium Trinitatis, ex sequentibus manifestè liquebit. Interim extra portam veteris Ierusalem & terrenæ, & in caluariæ loco, id est, in vitę nouitate, filij Chore triplici prędictę Trinitatis insigniti imagine ponant signaculum supra frontem, super cor, super brachium suum, velut in superliminari, & super vtrumque postem, operis scilicet & cognitionis: vt corde credatur ad iustitiam, fides per dilectionem operetur ad Dei gloriam; in fronte, idest, in aperto, fiat confessio ad salutem. Contempletur etiam in prima Trinitate vnitatem trinæ significationis, in secunda vnitatem trinæ operationis: in trina trinum effectum vnius affectionis siue intentionis. Ad vnum enim intentionem dirigere in tribus illis docet Dominus in Euangelio dicens. [ Cùm oras intra in cubiculum,] &c. manifestè ostendens, orationem, eleemosynam, & ieiunium ad illum referenda esse, qui videt in abscondito, dicens. [ Qui videt in abscondito, reddet tibi.] Quòd si adhuc altiùs & subtiliùs huius testimonij mysterium perscutari placet, terminetur ad præsens hic sermo, ne si fuerit nimis prolixus, fiat etiam tædiosus. Ille igitur semper Alpha & O sit nostri sermonis, qui initium est & finis vniuersorum, & sine initio & fine permanet in sęcula sęculorum, Amen.

Rom. 8.

Mat. 6.

*Tractatus 2. De Charactere, titulo, & testimonio, quibus ciues suos Christus insigniri voluit.*

POstquam primus homo de terra terrenus, terrenis ciuitatibus & habitatoribus terrena sapientibus mundum impleuit, veniens nouus homo de cœlo cœlestis, & cœlestem in terris ciuitatem volens ædificare, ciues suos qui cœlestia saperent à terrenis ciuibus voluit sui characteris signo distingui, titulo prænotari, testimonio communiri. Signum fuit decaluatio, titulus filiatio, testimonium secretiori familiaritate probata amicitię certitudo. Signum siquidem & imago terreni fuit in terrenis crescere, multiplicari, dominari. Sic quippe protoplastis dictum est, [Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam: & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs terrę, omnique reptili quod mouetur in terra.] Nouus autem homo signum nouitatis suis sequacibus tribuens ait. [ Qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.] Et illud. [Siquis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.] Illud etiam. [ Qui reliquerit patrem aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum; centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.] Ecce quomodo caluus noster omnibus temporalibus suos vult decaluari, vt libera facie, & aperta fronte ęterna desiderent, & sine impedimento oculos ad cœlum leuent. Ciues terreni à fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt. Cohęredes Christi in spe singulariter constituti in pace in idipsum dormiunt & requiescunt. Licet enim multi ex eis bonis temporalibus abundantes, minimè decaluati, sed multis etiam superfluitatibus frontem opertam & oneratam habere videantur, tamen qui veri Christi conciues sunt, sic vtuntur illis, quasi iam non vtantur, non ponentes spem in incerto diuitiarum, nec in luxu deliciarum gaudentes, sed mortem habentes prę oculis, se eis iam iamque non dubitant carituros. Nil quippe sic amorem mundi in homine mortificat, sicut meditatio mortis. Vnde scriptum est. [Memorare nouissima tua, & non peccabis.] Nihil enim certius morte, nihil incertius hora mortis. Hos in magni patris familias domo ministros potiùs dixerim, quàm filios vel amicos. Tales videntur fuisse Patres veteris testamenti, qui signum acceperunt Circumcisionis, non titulum filiationis, aut testimonium amicitiæ specialis. Cùm enim dictum sit ad eos, *Ego Dominus Deus vester, Ego Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob,* nunquam tamen legitur eis dictum, *Estote misericordes sicut & pater vester cœlestis misericors est,* aut, *pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se.* Et cùm testimonium acceperit Abraham diuinum, *Nunc cognoui, quod timeas Deum* non tamen meruit audire, quod dictum est Apostolis, *vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Filiorum titulus, hic est, *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, quia generatio diuina conseruat eum, & malignus non tangit illum. In hoc manifesti sunt Filij Dei, & filij diaboli.* Et illud. *Quod natum est ex Deo, vincit mundum:* vt sit titulus cœlestis generationis victoria tentationis: & sicut qui filius est per naturam mundum cum suo principe triumphauit, sic mundi victores sunt, quotquot sunt filij adoptionis. Amici testimonium vox sponsi est, auditui amici dans gaudium & lætitiam, siue ad amicum directa; vt est illud, *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni,* siue de amico ad alios facta; sicut ait Dominus de Ioanne. *Quid existis in desertum videre? Prophetā? Etiam dico vobis, & plusquam prophetam,* &c. Hoc geminū amici testimoniū pleniùs postea prosequemur, si priùs ministrorū & filiorū testimonia sufficienter fuerint explanata. Quod enim inter signa & titulos & testimonia distinximus, inde est, quia nō omnia testimonia, signa vel tituli dici possunt. Signa tamē & tituli aliqua testificādo testimonia meritò nuncupātur. Inde est etiam, quod in Romana Ecclesia leuitæ Cardinales, velut quidam Dominicæ mensæ ministri in signis sigillorum suorum titulos non assignant, quod solis presbyteris Cardinalibus velut filijs est concessum. Nam Episcopi amico-

Signum hominis terreni. Genes. 2.

Signum noui hominis. Luc. 14.

Mat. 16.

Mat. 17.

Psal. 4.

Meditatio mortis. Eccli. 7.

Qui sint ministri in domo Dei.

Leuit. 23. Exod. 3. Luc. 6. Luc 11.

Genes. 22.

Ioa. 15.

1. Ioa. 5. Filiorum titulus.

rum vice fungentes, quantò viciniores sposo, tantò vocë eius familiariùs audiunt: & de secretioris familiaritatis testimonio gratulantur. Singulis igitur à sponso pro meritis testimonium redditur: & ne testimonium istud nutare videatur, tota Trinitas ei adstipulatur. Tria sunt igitur, quę ministris circa transitoria occupatis velut in terra testimonium dare noscuntur, spiritus, aqua, & sanguis. Per hæc, si non sit tędiosum lectori, quę sunt dicta repetere, eleemosynam, ieiunium & orationem diximus designari. Hæc testimonia Scripturæ sacræ veteris atque nouæ testimonijs innumeris roborantur. Dicuntur enim & verba sacri eloquij testimonia, quia perhibent testimonium, mandata Dei vera esse, iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum. Ne autem impossibilia crederentur, perhibent etiam testimonium, multos ea seruasse. Vnde subditur. *Etenim seruus tuus custodit ea.* Et ne infructuosè ea seruasse videretur, etiam de retributione non tacet, cùm dicitur. *In custodiendis illis retributio multa.* Et quia sicut retributio obedientes, sic damnatio manet transgressores, rectè etiam iudicia nuncupantur. In istorum mandatorum siue iudiciorum Dei testimonijs delectabatur Propheta, sicut in omnibus diuitijs, dicens. *Adhæsi testimonijs tuis Domine.* Et illud. *Testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum iustificationes tuæ.* Nos quoque si hæc testimonia meditando diligentiùs perscrutemur, prædicta testimonia scripturæ sacræ testimonijs innumeris cōmendantur. De ieiunio & oratione ait Propheta, *Ego autem cùm mihi molesti essent, induebam me cilicio. Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur.* De eleemosyna. *Mutuabitur peccator, & non soluet, iustus autem miseretur & tribuet.* Et illud. *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.* Ioel quoque de ieiunio & oratione sic ait. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu.* De eleemosyna. *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam; cùm videris nudum operi eum.* In Tobia quoque legitur *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Et illud. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum, etiam libenter illud impertire.* Hęc & alia, quæ in veteri & nouo testamento commendata leguntur, verba & exempla omnia ponere supersedemus, ne pariat copia cōgesta fastidium. Et tamen quæ Iesus legitur cœpisse facere & docere, non credidi omittenda. Ipse quippe salutem humani generis operaturus in medio terræ, post baptismum suum mox ab oratione & ieiunio duxit incipiendum. Vnde & legitur, quod eo baptizato & orante, & apertis super eum cœlis, ductus sit in desertum à spiritu: vbi cùm ieiunasset quadraginta dieb⁹, & quadraginta noctibus, postea esurijt. Hæc vsque ad passionem suam postea nunquam omittens, sic alternatis vicibus exercuit, vt non vnum confunderetur ab altero; sed noctem orationi deputans, diem ieiunio, prædicationi & curationi, pertransijt benefaciendo & curando oppressos à Dæmonio. Nec solum exemplo nos ad hęc studuit inuitare, sed etiam verbis commendare curauit dicens. *Hoc genus non eijcitur, nisi in oratione & ieiunio* Dulcedo siquidem orationis & intimæ compunctionis affectio malè dulces carnis affectiones, & immissiones per Angelos malos extundere consueuit. Ieiunium verò exteriùs adhibitis tentationibus & occasionibus peccati obuiando resistit Eleemosyna ieiunio & oratione mundatis, sanitatis gaudia & munera gratiarum acquirit, sicut ait Dominus. *Date & dabitur vobis. In ea quippe mensura, qua mensi fueritis, remetientur vobis.* Et Apostolus. *Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Tunc enim oratio ad Deum directa sine offendiculo penetrat cœlos; cùm ieiunio & eleemosyna velut duabus alis ab infimis euecta, ieiunio velut sinistra adiuuatur, eleemosyna velut dextera & fortiori proficit & gubernatur. Ala ieiunij tres pennas habet principales. Ieiunandum est enim ab illicito actu, ab illecebroso motu, ab illiciente affectu. Tres quoque eleemosynæ pennæ sunt principales: vt subueniat quis proximo sermone, subueniat de suo, vel deseruiendo ei, vel orando pro ipso. Hæc sunt, quæ primum testimoninm dant in terra. Testimonium apud homines, testimonium cuique apud seipsum, & testimonium apud Deum. Apud homines testimonium iustitiæ; cui innitebatur Pharisæus ille, cùm diceret. *Deus gratias ago tibi; quia non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri. Ieiuno bis in sabbato. decimas do omnium quæ possideo.* Superbus qnippe & arrogans non iustum se esse tantum, sed iustiorem cæteris apparere gloriabatur; & contentus testimonio hominum noluit attendere suum: cuique enim testimonium proprię perhibent actiones prędictæ. Vt enim de cęteris taceam, attende, quantum in abstinentiæ virtute profeceris, quę omnium principium est, & fundamentum nutrixque virtutum; sine qua nullus ad reliquas est accessus. Ingredere & explora omnes conscientiæ tuæ recessus, quomodo se habeant interiora & exteriora tua: si fortè necessaria, ne dicam superflua desint. Si idem vultus, ijdem oculi, sermo non dispar, eadem mentis tranquillitas quę fuerat, cùm adessent. Hinc planè quàm constans, quàm firmus sis in proposito virtutis, luce tibi clarius apparebit. Apud Deum autem testimonium nobis hæc præbent fiduciæ, vt confidenter ad thronum gratiæ eius accedamus, qui mandata eius fortiter adimplemus. Vnde scriptum est. *Fiducia magna apud Deum est eleemosyna.* Et alibi. *In hoc cognoscimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quòd diligimus fratres. Qui enim habens substantiam huius mundi viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo; non est charitas Patris*, quę vera vita est, *in eo*, Sed hęc testimonia virtutum, quę ad meritum dantur, quantumcumque firma videantur, signa tamen virtutum potiùs sunt, quàm virtutes. Sunt enim bonis & malis com-

*Scriptura sacra dicuntur testimonia.*

Psal. 18.

Psal. 118.

Psal. 34.

Psal. 36.

Psal. 111.

Ioel. 2.

Isa. 58.

Tob. 2.

Tob. 4

Mat. 3. & 4.

*Cœpit Iesus ab oratione & ieiunio.*

Mat. 17.

Luc 6.

2. Cor. 9.

*Alæ orationis ieiunium & eleemosyna: vtrique tres pennae.*

Luc. 18.

*Abstinentia virtutum fundamentum est nutrixque.*

Tob. 4.

1. Ioa. 3.

communia; & ita à fatuis virginibus, imò & quandoque fortiùs quàm à prudentioribus exercentur. Si enim hæreticorum ieiunia, orationes, eleemosynæ, etiam Religiosorum studiis comparentur: aut nulla, aut exigua, hæc illis collata videbuntur. Sed *si tradidero corpus meum, ita vt ardeat, & si distribuero omnes facultates meas in cibum pauperum, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero: nihil mihi prodest.* Signum est igitur hæc prima & visibilis Trinitas summæ Trinitatis, potius quā imago; quo primo quòd sit, secundo quid nō sit, potius quam quid sit, agnoscatur. Credere siquidem oportet accedentem ad Deū, primo *quia est, & requirentibus se remunerator est.* Hac fide accedentium primò corda mundantur, secundum illud. *Fide mundans corda eorum*: vt mundatis cordibus ipsam intelligāt veritatem, sicut scriptū est. *Nisi credideritis non intelligetis.* Et, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Primum igitur est, credendo quod inquirentib⁹ se remunerator sit, inquirere quid non sit, tandē corde mundato intelligere quid sit. Volens igitur veritatis magister suos discipulos paulatī ad veritatis perducere intellectum, visibilis mundo apparēs, visibilia proposuit suis ciuibus, & in eis materiam totius suæ ciuitatis instituit, & formā expressit, : vt Deum Trinum atque Vnum tota eiusdem ciuitatis materia prędicaret, & forma commendaret, & ciuium non solum lingua loqueretur, sed etiam moribus vita fateretur: donec reparata in eis imagine Trinitatis, iam non tā exterius vagando quęrerent, quam in seipsis interiùs possiderent. Inde est, quod imperfectos & adhuc visibilia sectantes videmus exteriora fortiùs operari, ac duriora sustinere perfectis: quoniam qui minoratur actu, percipiet sapientiam: nec debent filij sponsi lugere, quandiu cum ipsis est spōsus. Lugeant & circumeant ciuitatem, qui quęrunt, & non inueniunt eū: & sint eis lachrymę panes die ac nocte, dum eis quotidie dicitur, vbi est Deus tuus. Quærant inquam exterius bene operando, siue diligentius exteriora rimando, quandiu interius vacare nec libet nec licet. Studeant exteriùs ipsum imitando, ieiunando, orando, eleemosynas erogando, quandam sibi imprimere, licet longe dissimilem imaginem Trinitatis, nec in his tribus à simplicitate recedant vnitatis: vt in vno oculo rum dilectus vulneretur: vt & vna intentio sit in tribus, & vna virtus iustitiæ sit ex tribus: imò ipsę tres virtutes vna sint iustitiæ virtus: & secundum quod ait Apostolus, *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, & tres vnum sunt.* Talibus Psalmus competit, nondū Psalmus Cantici: quia non est cantare canticum Domini laboranti in gemitu suo: sedenti & flenti super flumina Babilonis; mādu canti panem doloris in terra aliena. Non enim deest & talibus panis, licet canticum desit. Non enim deesse debet ministris, cùm nec mercenarijs desit, nec seruis. Nam & mercenarij abundant panibus, & seruo opus & disciplina & panis ministratur. Ministris autem, qui iā de seruis effecti sunt liberi, Dominus miseretur: & ne deficiant in via pro triduana expectatione, (quam fortè signat illud triduum, quo Saulus nihil manducans aut bibens cœc⁹ promissum Domini expectauit,) tripertitum panem apponere consueuit. Hunc panē Dominus in Propheta iam fastidire, & ad filiorū panē anhelare videbatur, cùm diceret. *Quousque irasceris super orationem serui tui? Cibabis nos pane lachrymarum.* Conficitur autem aliquando hic panis ex lachrymis doloris concepti de recordatione præteritorum malorū, quales fuerunt lachrymæ Petri, quando recordatus sermonis Domini Iesu fleuit amare. Aliquando ex lachrymis pudoris, quales fuerunt Annæ, cùm exprobrante sibi ęmula sua, quòd conclusisset Dominus uuluam eius, fleret largiter: siue Susannæ, cùm accusata à sacerdotibus in cælū suspiciens taceret & fleret. Aliquando timoris & tædij, quales fuerunt lachrymæ Eliæ fugientis à facie Iezabel, cùm diceret. *Obsecro Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum, quàm patres mei*: vel ipsius Domini, qui cùm cæpisset pauere & tædere, factus est sudor eius tamquam guttæ sanguinis decurrentis in terram. Hoc igitur pane Dominus ipse cibari voluit: ne eum mēbra sua infirmiora sumere abhorrerent. Vnde per Prophetam ait. *Cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Videtur autem plerisque hic panis ministrorum, licet minùs suauis quàm panis filiorum, largiùs eis apponi, quàm filijs suis: eò quòd filiorum panis ex occultioribus & carioribus, ministrorum ex vilioribus & consuetis conficitur speciebus. Quantò autem adhuc remotiores à sponso, tantò dolendi de cōmissis, erubescendi pro neglectis, timendi de futuris, causa subest certior, & materia maior. Sed iam tot fletibus satiati, ad filiorū canticum transeamus: quod titulus psalmi natalium thematum titulis insignire videtur. Titulus quippe sequentis operis materiam, ac subiectæ rei dignitatem assolet declarare: quod satis titulus ille cruci superpositus declarat, de quo prophetatum longè antè fuerat. *Inscriptionem tituli ne corrumpas.* Huius quippe tituli in se inscriptionem corrumpit, quisquis crucifixi sanguine redemptus, factus semel calui filius, à moribus postea paternis degenerat, & operibus mortuis à nomine salutis, quod est IESVS, & à nouitate vitæ, quod sonat NAZARENVS, elongatus, etiam à gloria regni excluditur. De quibus scriptum est. *Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.* Filij autē regni non claudicant: quia rectus Dominus Deus noster, & recti filij eius, ac rectos dęcet collaudatio. Rectos quippe facit cognitio inuisibilium, & amor æternorum; sicut curuos & claudos cura & appetitus terrenorum. Qui ergo perfectè calui, frontem libere erigunt ad æterna, paternæ similitudinis & regiæ libertatis titulis insigniti, sponso canticum nuptiale, cāticum nouum decantant dicentes, *Dominus regnauit, decorem induit.* Et illud. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* His psalmus cantici merito dicitur conuenire, qui non iam ex tristitia, vel ex necessitate operantur; sed cantant in vijs Domini, quoniam magna est gloria Domini. Operantur non ex timore,

Hæreticorum opera sæpe parent magna; sed nō prosunt.
Act. 15.
Isa. 7.
Mat. 5.
Priùs de Deo intelligitur quid non sit.
Ioa. 2.
Act.
Psal. 79.
Luc. 26.
1. Reg. 1.
Dan. 13.
3. Reg. 19.
Luc. 22.
Psal. 101.
Psal. 17.
Psal. 92. & 115.

quoniam timor pœnam habet, & timore pœnæ operari seruorum potius est quàm filiorum, qui ex amore & desiderio, sed non solius patris, imò potiùs paternæ hæreditatis. Istos primum iam cœlum dixerim; in quo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, testimonium dare, & tres vnum esse dicuntur. In his siquidem manifestiùs relucet imago Trinitatis in vnitate, & vnitatis in Trinitate; sicut solet in filijs proprijs apparere effigies faciei paternæ. Sed vbi imago vel effigies, non ipsa solet esse expressior facies in rebus humanis, nec ipsa veritas, sed imago. Quærenda est ergo hæc imagó in filijs; nam veritas reseruatur amicis. Hanc igitur imaginem dixerim tres animæ iam spiritualis virtutes, castitatem scilicet, humilitatem, & charitatem. Harum virtutum prædictas tres operationes, ieiunium, orationem, & eleemosynam, velut corpora aut quasi indumenta non immeritò dixeris; cùm & ipsæ virtutibus his vegetari & viuificari habeant, & non nisi per eas ad oculos humanos prodeant, & eos sua oblectent venustate. Hæ virtutes non aliud sunt, quàm quædam affectiones animæ, Spiritu Sancto moderante & ordinante, vt sint ad quod esse debent, & quomodo esse debent. Affectus siquidé Amnon ad sororem, licet fuerit ad quod debuit, quia tamen non quomodo debuit, nec virt⁹, nec à Spiritu sancto fuit. Attendamus igitur, quomodò in his virtutibus imagò reluceat Trinitatis. Castitas siquidem, quæ est amor incorruptionis, æternitatis nobis speciem repræsentat. Quid enī æternitati incorruptione vicinius? De ipsa quippe sic legitur. *Incorruptio facit hominem proximum Deo.* Humilitas quæ de vera propriæ infirmitatis cognitione procedit, summæ in nobis veritatis speciem præfert. In quo enim quis veritati vicinior esse potest, si verissima sui cognitione Deo attribuit, non solum quidquid boni habet, sed & bonum quod factus est: sibi omnia mala, non solum quæ sentit, sed & quæ fecit? Hinc oritur charitas, quia dum per humilitaté homo sibi vilescit, nec iam in se, seu alia creatura, requiem extra Deum inuenit, super omnia Deus ei dulcescit: & quanto magis creatura vilescit, tantò creator suauiùs elucescit. Sed & in creatore incipit creatura placere, quæ in seipsa debet non immeritò displicere. Quid autem hac charitate summę bonitati similius, qua etiam inimici propter Deum, & amici in Deo, & Deus non nisi propter seipsum diligitur? Per hanc quippe similes illi efficimur, qui sola bonitate sua *solem suum oriri facit super bonos & malos; & pluit super iustos & iniustos.* Sic sic Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, testimonium dant in cælo: in homine scilicet talibus virtutum luminaribus illustrato, quòd filius sit patris sui, qui in cęlis est. Nam & Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quòd filij Dei, & Christi coheredes sumus, & spiritum adoptionis filiorum accepimus, clamantem in nobis, *Abba pater.* Inuenimus in nobis imaginem Trinitatis: superest vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate, aliqua in nobis similitudine, licet longè dissimili, reperire. Quid igitur sunt hæ tres virtutes, nisi tres, sicut diximus, moderatæ & ordinatæ affectiones? Quid autem sunt

*Imago Trinitatis in tribus virtutibus sita.*

*Virtutes sunt affectiones ordinatæ.*

*Sap. 6.*

*Mat. 5.*

istæ affectiones in homine, nisi vna hominis voluntas, quæ cùm tres harum affectionū habeat effectus in opere exteriùs, vna tamen perseuerat interiùs: tantò ampliùs vna, quātò vni Deo propiùs coniuncta: tantò ab vnitate remota, quantò in diuersa diuisa, secundum illud, *Solicita es & turbaris erga plurima, cùm vnum sit necessarium?* Quam vnitatem habere se gloriabatur Propheta, cùm diceret, *Vnam petij à Domino, hanc requiram.* Aliter igitur voluntas hominis vna est per naturam, aliter per gratiam. In eo quod est per naturam, imaginem: in eo quod est per gratiam, Dei similitudinem repræsentat. Substantiua quippe quadam imagine diuinitatem videtur imitari, in qua talis est creata, vt in eā æternaliter perseueret. Licet enim habuerit initium, cùm tamen ignoret occasum, quid æternitati similius, quod non sit ipsa æternitas? Non enim rationali carent voluntate insani, infantes, vel etiam dormientes: licet vsum discernendi non habeant. Quid rationali voluntate potentiæ diuinæ similius, quę ita libera creata est, vt nulla vi cogi possit, nulla necessitate mutari? Nemo enī non vult quod vult: aut vult, quod non vult. Quod enim negauit Petrus, non necessitatis fuit sed voluntatis, quæ vim quam ipsa sibi intulit, non ab alio quàm à se pertulit: & qui dolens & coactus Christum negauit, non tamen nisi volens, (quia vitare volebat mortem,) infirma quidem voluntate, sed tamen voluntate. Nam in quibus erat sana voluntas, occidi poterant, flecti non poterant. Vide, quā libera sit rationalis voluntas, siue in bono, siue in malo: quæ & apud inferos immobilis perseuerat. Nam quòd diabolus, & quilibet cum eo damnatus apud inferos iam bonum velle non valet non violentia vel aliena facit oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata volūtas: sicut & quòd Angelus in cœlo malū velle non potest, non facit necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas. Libera est ergo ad vtraque voluntas: sed hæc libertas in malo homine misera est & infirma; & licet à Dei imagine penitus non recedens, secundum illud, *In imagine pertransit homo,* multum tamen remota. Quamuis enim liberum sit ei velle: quia cùm bona creata sit, secundum illud, *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona,* quæ ex creatione posse non peccare, & posse peccare accepit: peccando meruit, vt quæ cùm potuit noluit, per se nec velle possit, nec etiāsi velit, nō peccare non possit. A qua miseria non liberatur, nisi gratia illius, qui dicit. *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis,* Cuius gratia reformatur in bonis imago peccato deformata, vt quæ in paradiso accepit posse non peccare, & posse non turbari, pro his interim accipiat, nec peccato nec miseria superari. Licet enim & peccet, & frustra & miserè conturbetur, tamen iam ei non imputatur: quia iam *Nihil damnationis est his, qui sunt in* Christo Iesv, *qui non secundum carnem ambulant.* Tandem autem sic reformata ita confirmabitur & conformabitur Diuinæ libertati, vt nec peccare valeat, vel turbari. Est etiam in alio quodam rationalis hominis voluntas facta ad imaginem Dei & creatoris sui,

*Luc. 10.*

*Psa. 26.*

*Petrus non necessitate peccauit.*

*Psal. 38.*

*Gen. 1.*

*Ioa. 8.*

*Rom. 8.*

*Voluntas est imago Dei dupliciter.*

Sicut enim unus Deus omnia mouet, omnia regit, & pro nutu suo ordinat & sic præest vniuersis, vt sit totus in singulis; sic rationalis voluntas in toto corpore suo quasi in suo quodam mũdo vbique tota, cùm in se sit vna, solo nutu singula mouet mẽbra, imperat sensibus, procreat appetitus, & in varios ferè singulis momentis se commutat affectus. Nunc enim se in fiduciam erigit, nũc in diffidentiam deijcit; nunc odio, nunc amore ducitur: nũc gaudio, nunc mœrore distrahitur; approbata & vehementer desiderata subitò detestatur & ita toti compatitur, vt in singulis membris nõ tam membra, quàm ipsa pati videatur. Ecce quàm similis est illi, de quo legitur. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Omnium est enim artifex, omnem habens virtutem, omnia prospiciens*. Sed vide, quàm deformis sit hæc imago, quandiu volũtas humana à diuina dissidet voluntate. *Posuisti* inquit, *me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis*. Et illud. *Quis restitit illi, & pacem habuit?* Pacẽ quippe nullus habere potest, donec aduersario illi consentiat, qui fieri voluit pax nostra, faciens vtraque vnum, dans pacem his qui longè & pacem his qui propè. Cùm per huius gratiam humana voluntas suscitata de puluere, & detersa, ei consentiendo bonum velle incipit, tunc ad altissimi gloriam bona voluntas ad pacem recõciliata redit: nec alteri ex hoc debetur gloria, nisi ei cuius sola hoc in conuerso operatur gratia. Cui consentiens Paulus dicebat *Gratia Dei sum, id quod sum*. Hinc iam efficitur homo filius Dei per gratiam, secundũ illud *Voluntarie genuit nos verbo veritatis*. Qui priùs carni consentiendo propria voluntate suꝰ fuerat per naturam; vel diaboli, mala voluntate ei consentiendo. Bonum igitur volẽdo, non solum imago deformata per gratiam reformatur, sed & similitudo Dei priùs amissa imagini superducitur, in eo minor imagine, quod per eam ouis siue dragma perdita reperitur, monas nonaginta nouem additur; possessio domino suo restituitur, & intantum ei assimilatur, vt idem volendo vnus cum eo spiritus efficiatur, secundum illud. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est*. Quæ similitudo plena erit, dum plene apparuerit, secundum illud. *Scimus, quia cùm apparuerit, similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est*. Interim quandiu ex parte cognoscimus, ex parte assimilamur, tantò viciniùs similitudini accessuri, quantò mũdiori corde clariùs inspecturi. Sed hæc perfectio reseruatur amicis, initiatur in ministris. Proficit paulatim in filijs, in ministris initiatur, siue potiùs præparatur per paupertatem spiritus & mansuetudinem. In filijs per esuriem iustitiæ, & misericordiæ executionem, proficit & prælibatur. Proficit per desiderij esuriem, prælibatur per misericordiæ consecutionẽ, quæ est prælibatio satietatis. In amicis perficitur per mũditiã cordis & pacẽ, queſe æterno vinculo cõplectũtur, vt ab inuicẽ, cùm perfectæ fuerint, nequeant separari. In altera siquidem, scilicet in munditia cordis, reparatur imago; in altera, id est parte; similitudo innouatur. Est autem imago in libertate, sicut dictum est, similitudo in rectitudine, Libertas enim diuinam imitatur potentiã cuius corruptio est superbia, corruptionis pœna infirmitas, reparatio humilitas, per quã munditia cordis acquiritur, secundum illud, *Asperges me hyssopo, & mundabor*. Vnde bene Augustinus. Quid appetit superbia nisi potentiam? Quam si ad bene agendi facilitatẽ referamus, nõ inuenit nisi anima perfectè Deo subdita, & ad eius regimen summa charitate conuersa. Ecce perfectio libertatis in præsenti, est, liberum esse à seruitute peccati, quę est cordis munditia, in futuro plenius consummanda; dum ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatẽ glorię filiorum Dei Hæc erit libertas gloriæ, nam secunda est gratiæ, prima naturæ. Restat, similitudinem in rectitudine, rectitudinem in pace reperire, *Rectum* quippe legitur *Deus hominem* fecisse, sed *Ipse se miscuit quæstionibus infinitis*. Quandiu rectꝰ fuit, nec zelus ei, nec scientia defuit, Si enim alterutrum deesset, rectitudo vtique claudicaret. Si enim vel sciret & nollet, vel vellet rectè agere, & nesciret, quomodo rectꝰ esset? Sciendo igitur rectitudo diuinam sapientiam, bene volendo diuinam bonitatem imitatur. Sciendo igitur & volendo bonum homo rectus efficitur, meritò similis illi factus, de quo legitur. *Rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo*. Huius autem similitudinis sicut geminum diximꝰ esse profectum, sic duplicem constat esse corruptionem. Corrũpitur enim scientia per curiositatem. Vnde beatus Augustinus. *Quid appetit curiositas, nisi scientiam, quæ non est vera, rerum æternarum*, & *eodem modo se semper habentium*. Corrumpitur etenim zelus per carnis voluptatem. Vnde idem qui suprà. *Quid appetit voluptas corporis, nisi quietem, quæ non est vera, nisi vbi nulla est indigentia, nulla corruptio?* Velle igitur scire, quæ semper variantur, & nunquam in eodem statu permanent, aut velle in carne delectari, cuius egestati & infirmitati totus mundus satisfacere nequit, quid aliud est, quàm à rectitudine decidere, infinitis quæstionibus se miscere, & à veræ quietis stabilitate velut à diuina similitudinè in regionem dissimilitudinis miserè recederet? Hæc est ergo rectitudinis corruptio, corruptionis pœna, vana & misera conturbatio. Hinc enim est, quod frustra & miserè conturbatur homo, & pertransit in imagine. Rectè ait, pertransit, quia sola libertate contentus naturæ, veræ libertatis gloriam, quæ est liberũ esse à peccato, contemnendo pertransit. Bene ait, frustra; quia non aliunde perturbatur homo, nisi quòd per ignorantiam deceptus, vel appetendo quæ videntur bona, & non sunt vera bona, vel fugiendo mala, quæ non sunt vera mala; dum illa sequitur, & non assequitur; hæc fugit, & non effugit; in vtroque vanè & miserè conturbatur. Hæc duo signãter videntur expressa in Canone Missæ, vbi dicimus, *Vt ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi*. Ab hac gemina pœna & corruptione duplici homo ad rectitudinem reparatur, per illa duo quæ prædiximus, esuriem scilicet iustitiæ, & misericordiæ executionem. Per hæc enim ad munditiam cordis, & ad prædictæ pacis portum ascenditur, vbi & si homo turbari aliquando videatur, perturbatione

Marginal notes: Sap. 1. & 7. — Iob. 7. & 9. — Ephes. 2. — 1. Cor. 15. — Iac. 1. — *Imago Dei in homine vt reformetur.* — Luc. 15. — 1. Cor. 6. — 1. Ioa. 3. — Psal. 50. — Rom. 8. — Eccle. 7. — Psal. 91. — *Vnde perturbetur homo.*

tamen non frangitur, iuxta illud Apostoli. *Quis nos separabit à charitate Christi?* Et illud *Certus sum, quia neque mors, neque vita*, &c. cætera quæ sequuntur, *poterunt separare nos à Charitate Christi.* Hæc est pax illa, quæ exuperat omnem sensum, quæ non est aliud quàm fruitio summi boni, quæ est vera rectitudo, vera sapientia, vera bonitas. Quisquis ad hanc pacem peruenerit, optimam cum Maria partem eligens, iam circa plurima occupari refugit: nec iam libet se diuersis quęstionibus immiscere, quem vni sūmo bono delectat adhærere. Amicorum est istud, quibus dicitur. *Omnia quæcumque audiui à patre meo, nota feci vobis* Et illud. *Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium domini tui.* Ignis quippe est Deus, cui quisquis per charitatem adhæserit, ignis & ipse efficitur; nec solum illi simillimus, sed in igneam absorptus charitatem. *Beati igitur pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*, & amici de filijs efficientur. Hæc ad tempus dicta sufficiant, pro testimonio, quod Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus dant in cœlo, secundū tres proprios effectus operantes, nec ab vnitatis simplicitate in aliquo recedentes. Iam de testimonio, quod in aureo amicorum reclinatorio, velut in secundo cœlo datur, quibus iam non in parabolis, sed palam de Patre à Verbo annuntiatur; aliqua dicenda essent, nisi quia tātam materiam angustijs huius sermonis indignum est concludi: nec ieiuni relinquendi sūt filij, quibus nondum suum assignauimꝰ panē, cùm trinum ministris dederimus, & filiorū copiosior & delectabilior debeat esse. Vnde Dominus, non esse tollendum panem filiorū, & mittendum canibus, aiebat. In quo forte panem ministrorum non esse negandum canibus, innuebat. Vnde & verbum mulierculæ approbauit dicentis, catellos edere de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Vtinam & nos de filiorum mensa vel micas mereamur percipere, si panes integros ad plenum non sufficimus assignare. Paruuli enim sumus, & panes integros non solum frangere non sufficimus: sed & frangi ab alijs indigemꝰ. Verùm, si benedixerit Dominus & fregerit, benedictio exploder egestatem, & omnem tollet fractio difficultatis asperitatem. Rogemus igitur patrem nostrum cælestem, vt det filijs suis spiritum bonum, qui clamet, Abba pater, & quod filij sumꝰ Dei, testimonium reddat spiritui nostro. Ex tali testimonio conscientia gloriatur, oleū in vasis dilatatur, anima in spe gloriæ filiorum Dei gaudio ineffabili delectatur, & forte illud gaudiū panis est filiorū. Ad conficiendum hunc panem de seminibus, quæ ministri euntes & flentes in terram bonam miserunt, filij cum exultatione manipulos suos tollunt, & de patientia fidei & spei gaudium colligunt; spe gaudentes, quia in tribulatione fuerunt patientes. Hoc igitur gaudium, quod velut quædam primitiæ spiritus, spei vt fiducialiùs agat, per Spiritum sanctum refunditur, panis est filiorum: quia expectatio iustorum lætitia. Sed nec à numero testimoniorum discrepat numerus panum, quia quodlibet spiritus diuini testimonium causa est humano spiritui & materia gaudiorum, Nec alíunde suos Dominus gaudere volebat, cùm diceret, *In hoc nolite gaudere, quod dæmones vobis subijciuntur: sed in eo gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo*, Quod non nisi ex testimonio spiritus sciri potest. Sit igitur primꝰ filiorum panis gaudium de cōtemptu mundi; primum siquidem testimonium spiritus assignamus castitatem. Est autem vera castitas animæ, nihil diligere, nisi Deum, aut propter Deum. Alia quæuis dilectio spiritualis est animæ fornicatio. Hæc castitas datur ad meritū, & est haud dubium testimonium virtutis. Gaudium igitur quod de tali testimonio oritur, non immeritò panem dixerim, panem cor hominis confirmantem, Alioqui suspecta est omnis gratia, quam virtus non parturiuit. Secundus est panis filiorum gaudium de contemptu sui. Cùm enim quis contemni se vidēs quia vere contemptibilem se cognoscit, congaudet veritati: quid tali gaudio solidius; quid magis corroborat animum, vt dum iam per contemptum mundi aspernatur dura, etiam per contemptum sui amplectatur abiecta? Hoc pane corroborati erant Apostoli; cùm irent, *Gaudentes à conspectu Concilij*, quod digni habiti essent, *Pro nomine Iesu contumeliam pati.* Tertium filiorum panem dicamus gaudium de dilectione proximi. Quandiu enim quis necdum accedit ad cor altum, non sufficit Deum diligere in seipso. Si tamē perfecte diligit eum in proximo, non minùs de eius quàm de proprio gaudet bono, & tot inuenit causas gaudendi, quot de proximorum successibus occasiones occurrunt congaudendi. Quid hoc pane fortius, ad cuius suauissimum gustum inuidiæ stimuli sopiuntur, iræ & indignationis æstus conquiescunt, edacis tristitiæ & suspicionum morsus consumuntur? Hunc panem subtractum sibi Propheta deplorabat, cùm diceret. *Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* His, panibus anima confortata iam in spe glorię filiorum Dei, cum quadam rei certitudine delectatur, non iam fidei aut spei finibus cōtenta, sed testimonio conscientiæ confirmata, vt meritò possit dicere cum Paulo. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Hoc autem testimonio spes subnixa minime confundit, maxime cùm tale testimoniū fulcitur meritis prædictorum operum, donis prędictarum virtutum, præmijs prędictarum consolationū, quibus pater misericordiarum & Deus totius consolationis pascit & consolatur filios in omni tribulatione sua. Ipse igitur semper Alpha & O. sit nostri sermonis, qui initium est & finis vniuersorum, & sine initio & fine permanet in sæcula sæculorum Amen.

*Rom. 8. Ibidem. Luc. 10. Ioa. 15. Mat 25. Deus est ignis: & is qui adhæret ei ignis. Mat. 6. Mat. 15. Gaudium spei panis filiorum. Prou. 10. Luc. 10. Castitas animæ qua. Act. 5. Psal. 101. 2. Cor. 1.*

### *Tractatus 3. De Testimonio quod S. Trinitas perhibet amicis: qui hic distinguuntur à filijs, & ministris.*

Sumpta occasione ex eo quod filijs Chore psalmus cantici attribuitur, inuenimus in magni Patris familias domo non solum filios esse, sed ministros etiam & amicos: & sicut filijs psalmum cantici, sic ministris psalmum

duximus assignandum. Sed & si canticum psalmi amicis assignauerimus, non erit abs re, cùm fuerit huius distinctionis ratio intellecta. Psalmus quippe cantici illis competit, qui ad hoc operantur, vt ad canticum gaudij spiritualis perueniant, timentes illam Apostoli comminationem. *Qui non laborat non manducet.* Et illud Salomonis, *Pigredo immittit soporem; & anima dissoluta esuriet,* Sic & canticum psalmi illis videtur competere, qui de perceptis beneficijs spiritualium gaudiorum gratias exhibentes, quid retribuat Domino aliud non inueniunt, nisi vt calicem salutaris accipiant: & sicut Christi passiones abundant in eis, sic & consolatio per Christum in eis spiritualis abundet. Hoc specialiter amicorum esse cognoscitur: qui iã non ex timore pœnæ sicut ministri; nec ex spe paternæ hereditatis, sicut filij, sed ex sola charitate, delibuti vnctione spiritus, operatur. De his aliqua dicere instituimus; ne eorum qui præcipui sunt in ciuitate Domini, & secundi cœli locum obtinent testimonium prçterijsse non immeritò arguamur. In his igitur Pater, Verbum, & Spiritus, testimonium luce clarius ferunt, vt iam reuelata facie Domini gloriam speculentur, transformati in eandem imaginem à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. His Apostoli verbis manifeste expressũ est testimonium Trinitatis. Vbi enim ait, *à claritate in claritatem,* illud videtur innuere, quod promissum legitur à Domino. *Venit hora, cùm iam non in prouerbiis loquar vobis; sed palam de Patre annuntiabo vobis.* Quid est enim aliud, Filium palam annuntiare de Patre, quàm de claritate Verbi ad Patris claritatem accedere? Vnde scriptum est. *Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare,* Sed hanc reuelationem Filius facit per Spiritum, quem mittit nobis à patre. Vnde additur, *Tamquam à Domini spiritu,* vt tota Trinitas huius testimonij reuelationem operari in nobis ostendatur. Hoc testimonium aliud esse non arbitror, quàm illum Trinitatis aduentum, qui amicis promittitur in hunc modum. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* &c. Quid tali testimonio firmius, cùm Pater adueniens animam infirmam potenter corroborat: Filius insipientem sapienter illuminat: Spiritus sanctus tepidam vehementer inflammat? Hoc testimonium sibi subtractum deplorabat propheta, cùm diceret. *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.* Ad hoc nos inuitare videtur sapientia, vbi ait. *Disce vbi sit sapientia, vbi virtus, vbi lumen oculorum, & pax.* Amici specialiter est tale testimonium, qui iam rectus stare in amore inuisibilium cum sponso sufficit, & de voce sponsi inæstimabili gaudio concepto, ex familiaritate secretioris affatus certior efficitur, se inter amicos à sponso reputari, secundum illud. *Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Recte tales secundum dixerim cœlum, nam tertium carissimorum potiùs esse videtur. Carissimi autem meritò intelliguntur, qui iam exuti à corpore, rapti sunt à Domino, ne malitia mutaret intellectum eorum, aut ne fictio deciperet animam ipsorum: & educti de medio iniquitatum iam feliciter experiuntur, quanta Dei gratia & misericordia sit in sanctos eius, & respectus in electos illius. Talibus dicitur. *Inebriamini carissimi.* Ebrietas enim est, quod sentiunt, in comparationem illius oblectationis, qua fruuntur amici. Vnde & Paulus, qui inter præcipuos reputatus est amicos, cùm ad tertium carissimorum cœlum raptus fuit, verba se audisse ineffabilia, quæ homini loqui non licet, protestatur. Mensuram quippe humanæ sobrietatis, quæ homo capere non potest, excedere comprobantur. Vnde & Paulus raptum se potiùs asserit diuina miseratione, quàm humana ductum ratione. Huius tertij cœli incolæ testimonio nullo egent, qui nude vniuersa & aperte vident. Eis siquidem fides iam transijt in speciem; nec iã creditur vel speratur, quod in re & veritate percipitur. In præsenti autem vita, quandiu per fidem ambulatur, necessarium est etiam amicis testimonium, vbi & ignorantia & dubietas locum habet. Ignorantia autem, testimonij pellitur dilucidatione: dubietas, testiũ tollitur authoritate. Habent igitur amici testimonium diuinæ dilectionis ipsam prçsentiam Trinitatis. Nam filiorum testimonium varia sunt Dei dona virtutũ & gratiarũ, quæ enumerans Apostolus ait. *Diuisiones gratiarum sunt: idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Alij enim datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij operationes virtutum,* & cætera, quç sequuntur. Ex his Dei donis testimonium à Spiritu sancto accipiunt suæ filiationis. Ex his enim arrhis & primitijs spiritus cõfidenter iam de paternæ hæreditatis perceptione præsumunt. Qui autem tam varia operatur in filiis, se ipsum vnum & eundem, & in se cætera omnia exhibet amicis: secũdum quod eis in Euangelio ab eo promittitur, vbi dicitur, *Et manifestabo ei me ipsum.* Felix manifestatio, vbi Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate cognoscitur: vbi trinus effectus Trinitatis in vna operatione percipitur: & vna operatio Trinitatis trini effectus testimonio comprobatur. Hoc testimonio homo subleuatur ad summa, rapitur ad diuina, imò cœlum ipse, vel quod maius est, Deus & cœli Dominus efficitur, secundum illud, *Ego dixi, Dij estis.* Quid hoc testimonio beatius, quod fit, vt iam in imis nil libeat: sed nec in cœlis, prçter cœli Dominum nihil sufficiat, secundũ illud prophetæ, *Quid mihi est in cœlo; & à te quid volui super terram? Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram.* Et illud. *Vnam petij à Domino, hanc requiram.* Ecce vnum petendo, vnum quærendo & sitiendo, vnus spiritus cum Deo factus propheta illud feliciter meruit experiri, quod Dominus in Euangelio Patrem pro suis orauit dicens, *Vt sicut vnum sumus, ita & ipsi in nobis vnum sint.* Hoc testimonio raptim & alternatim in suo cœlo reficiuntur amici, quo in suo cœlo plenissime carissimi satiatur. De qua satietate Propheta Ierusalem cœlestem alloquens, ait. *Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* Fines siquidem pacem habet, quæ pacem obtinet sine fine. Nam finis ibi finem non habet, vbi finis æternitas est. Pax igitur supernæ Ierusalem, quia sine fine est, vicissitudine caret, continuatione gaudet. E contrario in præsente vita, in qua tenetur

Marginalia: 2. Tessa. 3. — Prou. 19. — Amici Dei qui à seruis & filijs differant. — 2. Cor. 3. — Ioa. 16. — Mat. 11. — Ioa. 14. — Psal. 37. — Baruc. 3. — Ioa. 15. — Amici Dei sunt secundum cœlum — Sap. 4. — Cant. 5. — 2. Cor. 12. — 1. Cor. 12. — Ioa. 14. — Psal. 15. — Psal. 72. & 26. — Ioa. 17. — Psal. 147.

animus ad prouidendum suo corpori, exterius exire; cùm de cura tot necessitatum, velut de quadam solicitudinum via ad se redit, vix apud se homo quid ei apponat, inuenit. Vnde & pulsare importune ad ostium amici compellitur, & vix tandem tres panes accipere vel commodatos meretur. Vbi diligenter aduertendum est, quòd commodatio vicissitudinem inducit: quod enim commodatur, ad tẽpus vtendũ conceditur, non ad permanẽdũ datur Continuatio igitur in patria, vicissitudo in via. Nec ea sola, sed eã comitatur indigẽtia, quam probat petitio tam instans, importuna. Ad cumulum autem mali additur etiam panũ partitio, quæ trina ipsorum distinctionem, & scissionem probat, & imperfectionem. Superna verò Ierusalem neutrum habere probatur, quæ adipe frumenti satiatur. Ibi quippe adeps frumenti corticis prohibet transmutationem, puritatis innuit perfectionem. Satietas indigentiam omnem excludit: ita quòd nec satietas parit fastidium, nec vlla indigentia ibi habet locum: sed indigentiam extundit plenitudo: & fastidium totius saporis pellitur delectamẽto. Sed nec scissuta ibi aliqua inuenitur, vbi post septimum præsentis vitæ septenariũ ad illam monadem peruenitur, quæ summè & incommutabiliter vna, nec transmutationem nec vicissitudinis recipit obumbrationẽ. Quãtò autem ad illud summe vnum proximiùs acceditur, tantò omnis vicissitudo, omnis indigẽtia, omnis transmutatio alterationis & diuisionis longiùs remouetur. Hic seruus pulsare, filius petere, & amicus panem suũ quærere cõpellitur. Bene autem seruo pulsare congruit, cui instanter operi manuum incumbere conditio seruitutis indicit, secundum illud Salomonis. *Cibaria & virga & onus asino: panis & disciplina & opus seruo.* Filio petere conuenit, orando Patrem, qui indignum iudicat tollere panem filiorum. & mittere canibus. Sed nec petenti filio panem lapidem dare, nec pro pisce serpentem, nec pro ouo porrigere scorpionem consueuit. Scit enim pater cœlestis, necessarium esse filio ouum humilitatis, de quo oritur pullus obedientiæ & subiectionis: ne à scorpio superbiæ vel vanis promissionibus, vel facie blanda, vel præmisso ambitioso apparatu deceptus, vel minis & terroribus, velut armatis posterioribus fractus superetur. Scit etiam necessarium esse ei piscem castitatis, cui frigora & vndæ tentationis non noceant: ne serpens ille lubricus, cuius fortitudo in lumbis, & virtus est in vmbilico ventris, venenũ carnalis voluptatis infundat. Sed & pane charitatis scit eum carere non posse, ne vel deficiat vel per auaritiam indurat⁹, arido & duro corde permaneat: quia oblit⁹ est cõedere panẽ suũ. Hunc panem amicus quærit & inuenit. Nam licet pulsare & petere aliquando & ipse cogatur, quærere tamen & inuenire amici est proprium, qui de amore accepta fiducia, occultãdum nihil quod quærat ab amico confidit Hoc enim ipse Dominus in amoris argumentum induxit, vbi ait. *Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Sed nec ea quę audiuit à Patr, sufficit ei note facere amico: sed & sui ipsius visionem promittit dicens. *Diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Speciale igitur testimonium dilectionis, visio dilectoris. Et hanc visionem panem dixerim amicorum, quibus nihil iam sapit, præter dilectum: quibus viuere Christus est, & mori lucrum. Sed quia hæc visio tripliciter variatur, etiam hunc panem tripliciter diximus distinguendum. Primus percipitur & gustatur mentis dilatatione; secundus mentis subleuatione, tertius alienatione. Dilatatio solito latiùs, quia supra propriam scientiam se extendit, sed humanæ industriæ mensuram non excedit: subleuatio transcendit, à sensibus timor penitus non recedit: alienatione verò præsentium memoria menti excidit, & spiritus humanus quantum in præsenti vita fas est, totus in dilectum transit. Sed quia etiam circa inuisibiles & creatas essentias solet humanus animus contemplando dilatari, subleuari, siue etiam alienari; illam solam contemplationem panem dicimus amicorum, qua in amore & cognitione summæ & creatricis essentiæ dilatatur & subleuatur animus supra mensuram propriæ conscientiæ, propriæque industriæ; vel etiam supra totius humanæ naturæ industriæque modum alienatur. Quod quia solis amicis conceditur, recte ad hoc conuiuium amicus inuitatur, cum dicitur. *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Illa inquam anima, quam candor castitatis formosam, quam gemitus humilitatis columbam, quam fecit vehementia charitatis amicam, vt à contemplatione totius visibilis & inuisibilis creaturę ad increatæ & inuisibilis essentiæ visionem assurgat & properet, excitatur. Et quæ iam in illis tribus virtutibus perfecta est, in solo virtutum Domino glorietur, nõ solum edocta per prophetam, sed & cum ipso propheta audiens & intelligens, quoniam Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. In eo inquam solo gloriandum, à quo omne datum optimũ, à quo omnia bona data, dona naturæ; à quo data meliora, charismata gratiæ; quæ enumerans apostolus ait, *Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ,* &c. à quo denique data optima, virtutes scilicet venturi sęculi, quas etiam in pręsenti sæculo gustari ait Apostolus, eo quod in præsenti sęculo exercentur in actu, gustantur in affectu, in futuro sęculo in solo erunt affectu & interminabili possidebuntur effectu. Eas interim actu feruentissimo exercere studeamus, & affectu degustare ardentissime desideremus: vt licet hic saturari non possimus, esurire saltem & sitire non desistamus. Esuriendo forte & sitiendo faciliùs quã scrutando vel disputando illius præsentiam merebimur, qui satiare in bonis amici desiderium consueuit: & cuius præsentia letitia ad implere, & gloria cũ apparuerit, amicũ nouit signare. Amicum siquidem cui apparet similem sibi reddit; & amatorem, imò imitatorem facit virtutum, dominus ipse virtutum; vt sint saltem similes, qui pares esse non possunt: & sponsa quæ sponso nequit æquiparari, intuendo & imitando studeat ei saltem assimilari, & fiat adolescentulis forma virtutum, quæ iã per amorem desponsari meruit Domino virtutum. Talis anima non suas, sed dilecti prædicat virtutes; nec iam de se vel in se, sed de dilecto & in dilecto gloriatur dicens. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.*

*Eccli. 33.* *Humilitas, Castitas, & Charitas necessaria.* *Ioa. 15.* *Ioa. 14.* *Visio Dei est panis amicorum.* *Cant. 2.* *1. Cor. 12.* *Cant. 5.*

Ac si dicat. Quidquid candoris habeo, ab eo est, qui solus est verè candidus, imò qui verus est candor; candor inquam lucis æternæ, qui quos illuminat, non solum candidos reddit actu, sed & lucidos intellectu. Sed quæ comparatio inter candidum & candorem? Non alia quàm quæ inter illuminationem & lucẽ, riuulum & fontem. Vnde & rectè dicitur, quod vestimentorum eius candorem fullo super terram imitari non possit. Sed etsi rubicunda videor, non mihi imputetur, sed ei, cuius sanguis ornauit genas meas: qui non solum rubet per charitatem, sed & rubor, imò ignis est. Ignis vngens, non consumens: qui quos leni attactu lambuerit, ardere & ipsos facit extrà per opera pietatis, intus affectu compassionis, vel quod suauius est, flamma deuotionis. Vnde etsi candida vobis videor castitate, si rubicunda charitate; totum me habere sentio & profiteor à dilecto, imò ab electo; quem diligendum elegi ex millibus, imò præ millibus: præ omnibus scilicet, quæ numero complectuntur. Ipse enim supra numerum est, omnia creans in numero, pondere, & mensura: suæ autem sapientiæ non est numerus, & magnitudinis eius non est finis. Hunc elegi, hunc dilexi: & *Venerunt mihi omnia bona pariter cum eo*, imò ab eo. Ab eo mihi lilium castitatis, ab eo rosa charitatis, ab eo mihi viola humilitatis. Tales flores mihi hortus ipse produxit, ipse mihi hortulanus decerpsit, legendos & eligendos ostendit. Primò autem violam docuit eligendam, primam eligens eam & ipse: vt sicut in ruina hominis prima fuerat superbia, ita in reparatione humilitas esset prima. Ad salutem igitur hominum humilitatem eligens, meritò à paucitate electorum humilis Iesus super numerositatem reproborũ est electus. Electus ad imitandum, elect⁹ ad innitẽdũ elect⁹ ad diligendũ. Ad diligendũ factus est nobis sapientia, ad imitandum factus est iustitia, sanctificatio & redemptio ad innitendum. Sapientia in prædicatione, iustitia in conuersatione, sanctificatio & redemptio in passione. Ad imitandum factus est via, veritas ad innitendum: quia iuxta Salomonem, non est innitendum mendacio; ad diligendum vita; quoniam *qui eum non diligit, manet in morte*. Imitandum se omnibus præbuit per humilitatem, fulcimentum se quibusdam præbuit ad castitatem, dicens. *Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum: qui potest capere, capiat.* Ac si dicat; qui non potest, confidat de me, & poterit per me, quod non potest per se. *Nemo enim potest esse continens, nisi Deus det*. Diligendum se præ omnibus docuit dicens. *Qui diligit patrem suum aut matrem plusquam me, non est me dignus*. Et illud. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis.* In primo est dolor, in secundo labor, in tertio quies & finis laboris. Dolor confundit, labor affligit, amor innouat & immutat, & omnes præteritos labores in obliuionem adducit. Dolor siquidem confundit; quia cùm primò anima ad imitandum Christi humilitatem per paupertatem, per patientiam, per obedientiam se accingit, vel naturæ infirmitate, vel naturæ vitio, vel prauæ consuetudinis vsu præpedita, sæpius ad iam abdicata etiam inuita relabitur.

*Marc. 9.* — *Quomodo Christus sit ignis.* — *Sap. 7.* — *Prou. 10* — *Ioa. 3.* — *Mat. 19.* — *Sap. 8.* — *Mat. 10. & 22.*

Vnde & ad seipsam conturbata dolens & confusa cum Apostolo cogitur exclamare. *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Veruntamen dolor talis mortem non operatur, sed potiùs spem salutis inducit, spem quæ non confundit: quia non mentitur veritas, quæ dicit. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Labor etiam affligit, quia cùm diffisa de se soli dilecto inniti cœperit anima, iam propriæ infirmitatis oblita, supra humanam virtutem carnem affligere incipit, sciens quod carnis mortificatio viuificationem spiritus operatur, secundum illud dictum Apostoli, *Mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu.* Denique quod amor innouet, & laborum sit finis quies, & remuneratio, amic⁹ nouit, qui hanc tranquillitatis lætitiam experiri feliciter consueuit. In hoc igitur portu amicus constitutus noua semper amici testimonia quærit, eis cum propheta delectatus plus quàm *omnibus diuitiis*. Vnde etiã non cõfunditur, cum in conspectu spirituali um regum de his testimonijs fieri contingit sermonem. Amicus inquam, de testimonijs Dei sine confusione loqui potest, quem propria experientia ea quæ loquitur edocet, nec vita nec conscientia loquentem remordet. Hinc testimonia Dei credibilia facta sunt nimis; adeo vt alterius testimonio iam de se non credat, nec suo quidem, dicens cum Apostolo, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, Qui autem iudicat me, Dominus est*. Sed nec ipsius Domini testimonijs omnibus se credit: sciẽs Dominum aliquos aliquando commendare propter alios, non propter seipsos. Vnde & quibusdam, quibus datus est sermo sapientiæ ad vtilitatem, dicturis in finem, *Nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus*, responsurum se dicit, *Amen dico vobis, nescio vos*. Siue igitur detur amico sermo sapientiæ, siue sermo scientiæ, siue prophetia, siue genera linguarum: si reuelentur mysteria omnia, si detur etiam fides, quæ montes transferat; quomodocumque amicus amico arridere videatur, non se talibus omnibus testimoniis credit, nisi testimonium sentiat charitatis. Hoc solum testimoniũ vox sponsi est, propter quam gaudio gaudet amicus, qui etsi ad vocem magistri, ad vocem domini, ad vocem fratris, ad vocem patris gaudeat: gaudio tamen gaudet specialiter ad vocẽ sponsi. Vt pater enim monet, vt domin⁹ comminatur & terret, vt magister docet, vt frater congaudet, sicut sponsus cohæret. Vt frater complexatur, vt sponsus counitur: in vtroque suauitas, in vtroque dilectio: sed inter fratrem & sororem germanior, inter spõsum & sponsam ardentior. Ibi copula naturæ, hic gratiæ. Et naturæ quidem conformior, sed suauior & potentior est gratiæ; ita vt relictis homo patre & matre adhæreat sponsæ suæ. Inter fratrem & sororem complexus est vnanimitatis, vnum velle & vnum nolle faciens inter duos: inter sponsum & sponsã cohærentia mutuæ permixtionis, per quã sponsa liquefacta tota transit in sponsum, & in eandem imaginem transformatur, vt sicut in carnali copula iam non sunt duo, sed vna caro, ita in spirituali iam non duo, sed vnus spiritus sint. Quam vnitatem non vnus tantũ fa-

*Rom. 7.* — *Ioa. 16.* — *1. Petri. 3.* — *Psal. 118.* — *1. Cor. 4.* — *Mat. 7.* — *Vox sponsi quidnam sit.*

cit consensus geminæ voluntatis, sed vna perfruitio & vnus effectus geminæ dilectionis. Licet enim læua fratris sub capite sit sororis, & eandem eius dextera complectatur, non tamen ad singularem sponsi gratiam nisi sponsa assurgit: nec gaudio gaudet ad vocem sponsi, nisi vel sponsa, vel amicus sponsi; sed nec amicus semper. Non enim gaudium gaudij est ei, cùm vox sponsi ad eum dirigitur propter sponsam: sed tunc solùm gaudio gaudet, cùm ad eum dirigitur, sicut ad propriam sponsam. Amicus enim est, cùm sponsæ procurat profectus; sponsa, cùm soli sponso vacans, omnes suos colligit & in spõsum tendit affectus; illud vnum desiderans, illud vnum in sponso requirens, vt ostendat ei seipsum. Hæc de testimonijs diuinis dicenda credidi, antequam ad fundamentorũ tractatum accederem: vt ex talibus testimonijs facile quisque cognoscat, quem vel statũ habeat, vel gradum teneat in ciuitate Domini virtutum. Quòd si inter ministros se inuenit,

Luc. 3.

studeat inter filios computari: nam etiam *De lapidibus potens est Dominus Abrahæ filios suscitare.* Si autem ad filiorum se gradum peruenisse,

Rom. 8.

per Spiritum clamantem, *Abba pater*, cognoscit, etiam ad amicorum ascendere prærogatiuam contendat, vt sic supra firmã petram fundatus, soliditatem fundamentorum ciuitatis potiùs in seipso, quàm in nostris apicibus legat. Non enim amicos qui magistram habent vnctionem docere intendimus: qui vtinam vel ministris tale aliquid ministrare possimus, vt vel ministrorum nomine in ciuitate Domini digni simus. Ad ipsam igitur ciuitatem iam propius accedentes, non tam fũdamenta locare, quàm ab ipso domino virtutum locata perscrutari diligentius studeamus. Ipse autem semper Alpha & O, sit nostri sermonis, qui vniuersorũ initiũ est & finis, & sine initio & fine permanet in sæcula sæculorum.

*Tractatus 4. De Fundamento Ciuitatis Dei.*

Psal. 86.

F*undamenta eius in montibus sanctis.* Multi Reges & prophetæ voluerunt videre quæ nos videmus, & non viderunt: & audire quę nos audimus & non audierunt. Quidam

Ioa. 8.

autem concupierunt videre, sicut dicit Dominus de Abraham: viderunt & gauisi sunt. Ex

Psal. 47.

his Dauid fuisse credendus est: qui de seipso protestatur in psalmo dicens. *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eam in æternum.* Vnde volens ea quæ viderat in eadẽ ciuitate præsentibus & futuris fideliter cõmunicare, eam ab ipso fundamento incipit describere dicens. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Eius dicit, quam videbat in spiritu interius, ad differentiam illius que palam videtur exterius. Duæ enim sunt ciuitates, vna Dei, altera diaboli: vna spiritualis, altera carnalis. Vtriusque fundamenta in montibus. Carnalis ciuitatis fundamenta in montibus Gelboe, vbi nec ros nec pluuia: in montibus aquilonis: spiritualis in Sanctis, in calidis mõtibus; vbi ros Hermon, vbi mandauit Dominus benedictionem & vitam. In sita est ciuitas quæ vergit ad austrum, quo flante fluunt aromata illius. De his legitur in Isaia Propheta.

Isa. 2.

*Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Quærendum est sollicitius quis sit hic mons, & in quorum montium vertice præparatus. Mons iste

*Christus mons & super alijs. præparatus.*

Christus est, mons Dei, mons pinguis. Patriarchæ & Prophetæ montes sunt præparatorij huius montis. Sed & colles super eosdẽ montes monti huic sunt collaterales, sup quos mõs iste iam incomparabiliter cernitur eleuatus. Hos meritò dixerim Mariam & Ioseph,: quos quantò ei coniunctiores, tantò fuisse constat eminentiores. Libet intueri quandam quasi ciuitatem nouam recentemque fundatam in vna domo, Mariam & Ioseph, & infantem positũ in præsepio. Numquid non hi videntur iam tibi dicere. *Montes excelsi ceruis* præparamur:

*Psal. 103.*

filij Dei sumus, sed nondum apparet, quid erimus? Apparent fundamenta; nondũ turres & mœnia. Sed quia potissima pars cuiusque rei principium esse solet, scrutanda sunt diligentius fundamenta: quia ex eis fortè melius cognoscetur, quanta surgere debeat ædificiorum structura. Sanè in paruulo Iesu fundamenta video humilitatis, in Maria castitatis, in Ioseph nutritio & procuratore eorum perfectionem inuenio charitatis. Hæc sunt Domini

*Fundamenta Ciuitatis Dei.*

virtutum ciuitatis pretiosissima fundamenta, & firmissima; super quæ omnis ædificatio cõstructa crescit in templũ sanctum in Domino. Licet autem prælati ter dicantur fundamenta, vnum tamen est fundamentũ Christ⁹, de cuius plenitudine omnes accipiũt, & quæ diuisĩ alij habent per gratiam, ipse totaliter obtinet per naturã. Ipse n. qui homo nat⁹ ĩ terris fũdamẽtũ fact⁹ est & forma humilitatis, ipse in cælis in sua diuinitate consistens Angelis lumen est & pabulum veritatis. Ipse qui nõ solum in se sed & in matre formã pretendit castitatis, ipse in sua natura æternitas est incõmutabilis. Ipse cuius benignitas & humanitas nobis est in natiuitate exhibita: & primò ei à Ioseph deuotissimè redibita, ipse est æterna ac vera charitas cara & vera æternitas, æterna & cara veritas, O Domine quanta fuit illa charitas, vt per humilitatẽ fũdamentũ fieres in ciuitate hominum, qui per charitatem confirmasti ordines Angelorum. Quanta est virtus istius fundamenti, quæ de veritate humilitatis per vehiculum charitatis transfert hominem ad requiẽ æternitatis. Ecce quantũ per fundamẽti meritum excrescit omnis ædificatio constructa super ipsum. Sic sic de spiritu timoris peruenitur ad spiritum sapientiæ: sic lapis abscissus sine manibus, id est non humana opera vel industria, sed sola diuina gratia timor domini homini inspiratus statuã superbiæ & vanitatis comminuit & euertit, & in montẽ perfectionis excrescit. Quantò enim crescit humilitas, tanto amplius deficit vanitas, & euertitur statua Babilonis, statua Babilonicæ ciuitatis. Habet namque & ipsa sua fundamenta nostræ ciuitatis fundamentis opposita. Nam sicut initium sapientiæ timor Domini, sic initiũ omnis peccati superbia; pœna vero superbiæ luxuria & auaritia. Iuste enim totũ amittit, quisquis extra suum bonum volens in aliquo delectari, partem à toto quantum in se est, præcidit, cum quodlibet bonum minus in se, quàm in suo toto sit. Per superbiã igitur homo bonum summ quod factus est deserens, per luxu-

etiam seipsum rebellem & contrarium experitur, per auaritiam cupita vel fugientia cum labore insequitur, vel insecuta cum timore & anxietate tuetur. Per superbiam Deo, per luxuriam sibi, per auaritiam proximo aduersatur. Hæc sunt fundamenta ciuitatis terrenæ, quæ in ipso paradiso, in protoplastis & serpente velut in quibusdam terrenis montibus iacta reperiuntur. In serpente notatur superbia, vbi ad amorem propriæ excellentiæ prouocat dicens, *Eritis sicut Dy, scientes bonum & malum.* In muliere voluptas carnalis concupiscentiæ deprehenditur, vbi legitur. *Videns quòd pulchrum esset lignum visu, & ad vescendum suaue, tulit de fructu eius, & comedit.* Auaritia specialiter in Adam demonstratur, vbi ad operandum terram, etiam in vultus sui sudore condemnatur. Ecce hæc in radice occultè latuerunt; sed latè nimis & potenter in ramis postea pullularunt, Inde in Cain fratricidium ex superbia: per quam gratiam & gloriam minori se natu à Deo exhibitam odiendo inuidit. Inde in eodem vagatio ex carnis concupiscentia, quia hominem, quem luxuria sibi subiecerit, secundum Salomonem garrulum & vagum ac quietis impatientem facit, & ita vt nec in domo valeat consistere pedibus suis: sed nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidietur. Tandem profugum auaritia reddit: quia auarus dum omnem hominem suspectum habet, de nullo iã securè confidit; omnes timent & declinãdo quodãmmodo fugit. Ecce patet, quãtum perniciosa hæc fundamenta in ciuitate terrena profecerint: tantum proculdubio, vt nec etiã potuerint aboleri. Non longè enim post diluuium Chus filius Cham genuit Nemrod, qui cœpit potens esse in terra: à quo exiuit prouerbiũ, *Quasi Nemrod robustus venator corã Domino.* Huius regni principium Babilon, vbi propter turrim superbiæ confusum est labium vniuersæ terræ. Meritò autem peccatũ superbiæ punitum est in sermone: quia præcipuè in verbis superbia deprehenditur, secundum illud Iacobi. *Lingua modicum membrum magna exaltat. : & modicus ignis magnã incẽdit silnam.* Sed neque hac tanta pœna homines corrigi potuerunt: quin imò superbiæ addentes luxuriam, igne & sulphure in Sodomis terribiliter perierunt. Tandem verò in fine tertiæ ætatis tertia etiam pestis, scilicet auaritia, plagis illis famosissimis apud Ægyptum, pecorũ & iumentorum morte, frugum & arborum vastatione punita, sed minimè sanata est. Vides igitur Dominus tres iam elapsas esse ætates, primam deletam, secundam debilitatam, tertiã flagellatam, nullam adhuc correctam, sed omnem cogitationem eorum in malum intentam esse omni tempore; non sicut prius ait, *Pœnitet me fecisse hominem, delebo hominem quem creaui, à facie terræ*, sed reparabo, inquit, hominem quem creaui: requiram dragmã quam perdidi: ouem quæ periit ad gregem reportabo. Sed quia primus homo de terra terrenus, facilè ad terrena confluxit: oportuit secundũ de cœlo cœlestem fieri, qui quod vidit & audiuit attestando, homines faceret cælestes, & cælestia sapientes. Volens igitur Deus mysterium propositi sui, quod secundum Apostolũ absconditum fuerat à sæculis & generationibus, sanctis suis tempore sibi placito reuelare, cùm ciuitatem cœlestem in terris constructurus, quarta iam succedente ætate; quæ necessaria erant huic operi incœpit præparare. Debuit autem sapientia Dei, quod postea dictura erat per Salomonem, in sua ædificatione seruare, *Præpara* scilicet *foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domum tuam.* Foris igitur, id est in Ægypto opus suum præparauit, & de Ægypto per mare rubrum miraculosè transtulit in desertum, vbi multis tunsionibus lapides ipsos probans, & ex magna parte reprobans, quosdam quos dignos reperit, suo operi coaptauit. Ipsi sunt, quos Ioannes ex õni tribu filiorũ Israel signatos vidit: sed alij signati sunt ad regni constitutionem, sicut tribus Iuda: alij ad sacerdotij informationem, vt tribus Leui, alij ad ciuitatis præparationem, sicut cæteræ tribus. In his igitur Deus quasi quoddam pulcherrimũ carmen ex quibusdam velut antithetis constituit, non sermonis pulchritudinem quærens, contraria contrarijs opponendo, sed quadam non verborum sed rerum eloquentia contrariorum oppositione suæ ciuitatis pulchritudinem componens. Primùm siquidem sacerdotalem & iudicialem instituit potestatem; vt per vtramque populus erudiretur & cogeretur ad humilitatis subiectionem. Per sacerdotalem namque potestatem docebatur Deo esse subditus: per iudicialem siue regalem homo homini cogebatur fieri subiectus. Potestas Sacerdotalis de cathedra Regalis doctrinæ comminando eum ad Dei reuerentiam incitabat. Iudicialis de tribunali, siue regia de throno terribiliter intonans tumorem & cõtumaciam populi tam prudenter quàm fortiter comprimebat, Sed sicut populus ad spontaneam humilitatem per quædam iam integumẽta inducebatur & erudiebatur in deserto, quia ad coactam satis fuerat priùs exercitatus in Ægypto, sic in Sacerdotalis dignitatis officio castitatis virtus quibusdam iam adumbrabatur figuris, & manifestis commendabatur præceptis. Tunc enim primò diuinum mandatum de castitate insonuit dicens. [Pontifex super cuius caput fusum est vnctionis oleum, virginem ducet vxorem, viduam & repudiatam & sordidam atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo.] Et generaliter de Sacerdotibus. *Sancti erunt Deo suo, & non pollnent nomen eius. Incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt.* In eo quippe iam commendabatur virginitas, quod tantum virginem summ⁹ Sacerdos ducere iubebatur: & quæ virgo non esset, ei velut sordida negabatur. In eo autem iã castitas indicebatur, quòd sũm⁹ Sacerdos etsi nõ penit⁹ ab vxore, à corrupta tamẽ arcebatur, & quod ab ipsa vxore abstinere, etsi nõ sẽper, certis tamen temporibus iubebatur: & cùm in vestimentis Pontificalibus, in fulgore auri, in splendore gemmarũ, in multimoda colorũ varietate cæteræ sint figuratæ virtutes, specialiter tamen castitatis candor in byssi est expressus nitore, qui & inter cætera videtur enitere. Iam verò in iudiciali siue regia potestate quid magis quàm charitas refulgebat, cui⁹ officij erat, ius suum cuique reddere vel seruare, seditiones populi vel comprimere vel

Gen. 3.
Ibid.
Gen. 10.
Iac. 3.
Gen. 6.
Prou. 24.
Leuit. 21
Ibid.
Castitas in veteri lege indicta.

sedare, populum ab hostium impetu defensare, ad bella primum procedere, & seipsum pro populo morti exponere. Sic Moyses primus illius populi dux & iudex, mitissimus omnium legitur extitisse. Et verè mitis, quia cùm à populo sæpius ferè fuerit lapidatus, tanta tamen populi charitate flagrabat, vt cùm ei a Domino diceretur, *Dimitte me, vt irascar populo huic, & faciam te in gentem magnam*, responderit. *Si nō dimittis eis, dele me de libro quem scripsisti*. Alibi quoque, cùm populum sibi assistētem, quasi sui oblitus, à mane vsque ad vesperam iudicaret, quod ex nimia charitate populi faciebat, ex eadem charitate consulenti sibi Iethro & dicenti, *Stulto labore consumeris, tu & populus qui tecum est: vltra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere, Esto tu populo in his quæ pertinēt ad Deum: elige autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas & qui oderint auaritiam: & constitue eos iudices populi*, humiliter acquieuit. Charitas enim quæ ante suadebat pro populo occupatione fatigari, eidem postea persuasit, vtilius esse populo, per plures citiùs & faciliùs expediri. Et bene Moyses, qui ex aqua dicitur, charitatem, Aaron, qui mons fortitudinis dicitur, castitatem designat. Charitas enim per illum diffunditur, de quo scriptum est. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*: quod testatur Euāgelista dictum de Spiritu, quem accepturi erāt credentes. Mons autē est fortitudinis, qui virtute præeminet castitatis. Vnde scriptum est. *Super montem excelsum ascende, tu qui euangelizas Si on*. Populus quoque qui fame & siti & omnimoda angustia aut vastitate eremi ad humilitatis subiectionem prouocabatur, meritò Iudæorum, siue Iudæus dicitur, quod confitēs interpretatur. Sic sic à Moyse vsque ad Dauid & à Dauid vsque ad transmigrationem Babilonis, à transmigratione vsque ad Christū, nō defuerunt in populo illo viri virtutum, qui virtutes prædictas vel signis præfigurauerunt, vel verbis prænuntiauerunt, vel suis docuerunt exemplis: quos si omnes enumerare vellemus, citiùs deficeret temp⁹, quàm copia. Extant libri Iudicum, Regum, Paralipomenon. Daniel, Iudith, Esther, Machabæorum: quos siquis recensere voluerit, talibus plenos reperiet. Sic illis tribus ætatibus cæteris quæ præcesserant, velut quadam infantiâ, pueritiâ, seu adolescentiâ, iam elapsis, & quasi obliuioni traditis, humano genere iam multiplicato, & roborato, ac capace rationis effecto, vidēs Deus plenitudinem temporis propinquare, quādo missurus erat filium suum in similitudinē carnis peccati, tales montes, quales iam diximus, voluit præparare, super quos in nouissimis diebus mons domus Domini pararetur: vt super illum montem ciuitas de qua loquimur, fundaretur. Necesse enim erat, longè antè qualibet tāto operi necessaria præparare, vt cùm veniret ipsius conditor ciuitatis, omnia in promptu haberentur, & iactis fundamentis structura tota sine tarditate aliqua incrementum acciperet, & absque vlla difficultate citiùs reciperet consummationem: sicque factum est. Nam cùm ipsius ciuitatis needum fundamenta transcenderimus, imò nec ipsa adhuc plenè iecerimus: in ipsis tamen fundamentis tanta iam compareret perfectionis plenitudo, vt nihil ipsi ciuitati deesse posse videatur ad firmitatem, nihil ad decorem, nihil omnino ad commoditatem. Hæc enim præcipuè attendi & considerari solent in omni ciuitatis constructione, & in omni constructura, à volentibus inhabitare requiri, & à transeuntibus commendari: scilicet quàm commoda sit, ad vtilitatem: quàm decora, ad iucunditatem: quàm munita, ad defensionem. Quæ quidem si in ciuitate Domini virtutum spiritualiter attendantur, quid inueniri potest fortius charitate? De ipsa quippe dicitur in Cantico Canticorum, *Fortis est vt mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio. Et aquæ multa non potuerunt extinguere charitatem: nec flumina obruent illam*. Vnde & Paulus certum se asserebat, quòd neque mors, neque vita, neque instantia, neque, futura, neque Angeli, neque creatura alia, posset eum separare à charitate Christi. Ecce quàm fortis, quàm stabilis, imò quàm æterna: quæ, siue prophetiæ euacuabuntur, siue scientia destruetur: ipsa non solùm non excidit, sed consummatur. Ipsa quippe huius ciuitatis initium est & finis: & quæ in natiuitate Christi ciuitatis Christi inuenitur fundamentum, ipsa in Pentecoste eiusdem ciuitatis efficitur complementum. Quid verò pulchrius castitatæ, quæ in carne præter carnem viuentes homines cœlestes facit: & eos qui per luxuriam aliquando iumentis insipientibus comparati computruerant in stercore suo, Angelis Dei in cœlis similes facit, vbi iuxta Euangelium, neque nubunt, neque nubuntur? Denique castitatis incorruptio sicut in libro Sapientiæ legitur, facit hominem proximum Deo, & participem sapientiæ, quæ candor est lucis æternæ, speculum sine macula, & emanatio claritatis omnipotentis Dei sincera, in quam nihil inquinatum incurrit. Meritò proinde pulchra à Spiritu Sancto describitur sponsa, quæ casta est corpore: pulchra autem replicatur, quæ casta est & corde, vbi legitur. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum*. Et bene, vbi castitatis pulchritudo laudatur, oculi specialiter cōmendantur: quia corruptio prima fit castitatis in aspectu. Vnde & Dominus Euāgelicam castitatis perfectionem Apostolis tradens, dicebat. *Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo*. Oculi siquidem columbini non ad concupiscendum, non ad nocendum aperiuntur: sed Spiritu Sancto illuminati & reuelati, assimilantur columbis super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenitudinis. Talis etiam pulchritudo in Apostolis commendatur in Isaia Propheta, vbi legitur. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Et apud Ieremiam. *Candidiores niue Nazaræi eius, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo*.

*Mansuetudinis exemplar Moyses.*

*Exo. 32.*

*Exo. 18*

*Ioa. 7.*

*Isa. 40.*

*Cant. 8.*

*Charitate nil fortius.*

*Castitatis commendatio.*

*Cant. 1.*

*Mat. 5.*

*Isa. 60.*

*Thren. 4.*

O quantus est in oculis columbæ decor, quam Scriptura tanta laude prosequitur, imò quæ à Spiritu sancto tam mirè remuneratur. Ecce enim in niue candor gratiæ cœlestis, in lacte nitor industriæ gratiæ cooperantis, in ebore autem apparet rubor & perseuerantia verecundiæ naturalis. Nix quæ desursum venit, purum habet candorem. Lac carni non assimilatur, de qua quandam fæculentiam trahens, plus ad terrenum nitorem, quàm ad candorem cœlestem accedit. In terra enim quædam quæ naturaliter albent, industria artificis plus renitent, vt argentum per aurificem, vestis per fullonem. Vnde & vestimeta Domini candida fuisse dicútur sicut nix, qualia fullo non potest candida facere super terram. Ecce hic in niuis candore & fullonis operatione manifestè exprimitur candor gratiæ, & nitor industriæ; quę si vicissim sibi cooperentur, vt quantum gratia adiuuat industriam, tantum industria respondeat gratiæ, ad incredibilem citò pertingitur venustatis decorem. Quod si istis etiam naturæ bonum accesserit, nihil iam ad perfectionem deesse videtur; vt nec robur eburnei ossis, nec rubor pudoris, nec perseuerantia vel grauitas desit antiquitatis. His de firmitate & decore ciuitatis Domini virtutum breuiter prælibatis, ad considerandam iam eiusdem commoditatem accedamus; quam in ciuitate hominum homines hodie plus attendunt; libentius commoditatis vtilitate etiam sine cæteris, quàm eis sine commoditate contenti. Quid autem humilitate commodius, ad quam nos Dominus velut laborantes ad requiem, velut oneratos & pressos ad leuamen, velut captiuos & subiugatos ad sui iugi libertatem inuitat dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: Tollite iugum meum super vos; & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris?* Humilitas enim velut quædam compendiosa commoditas semitæ, per quam deuitatur obliquitas publicæ stratæ, facile perducit ad requiem, citò peruenit ad quietem. Quid enim quietius, quàm ex intima cordis humilitate velle potiùs vinci, quàm vincere; ferre iniurias, quàm inferre; præferre diuitijs paupertatem, gloriæ ignominiam, quieti & delicijs carnis spineam dolorum & passionum coronam? Ecce quanta in humilitate commoditas, quanta suauitatis iucunditas; per quam facillimè praua mutantur in directa, & aspera in vias planas. Hæc de ciuitatis peregrinantis fundamentis dicta ad præsens possunt sufficere, vt ex his quilibet vestrum manifestè conijcere valeat, si in ea sit ciuis ascriptus, si huius ciuitatis sit municeps; quantum etiam in ipsa ciuitate profecerit, si prædicta fundamenta in se iam iacta experiatur, siue iam sentiat altiùs excreuisse. Quo enim pacto ad ipsam ciuitaté spectare se reputat, qui necdum pro peccatis suis confunditur & humiliatur, necdum ad pœnitentiæ lamenta non solum recurrere non disponit, sed insuper peccata peccatis accumulat, gloriatur, cum malè fecerit, & exultat in rebus pessimis? Quomodo inquam ciuitatis Domini ciuis esse uel credi vel dici potest: qui nec propositú quidem castitatis, nec vel primam radicem charitatis, quæ est timor Domini adhuc attigere meruit? O quàm verum, sed & quàm miraculosum hodie illum sermonem Domini experimur. *Multi vocati, pauci verò electi.* O quàm metuendum est nobis, ne potiùs de multitudine simus palearum, quàm de paucitate granorum: ne potiùs simus de illis, de quibus legitur, *inter multos erant mecum*, quàm de quibus dicitur; *In populo grani laudabo te.* Scrutemur igitur vias nostras & studia nostra, & indagatione solicita perquiramus prædictarum ciuitatum ad quam pertinemus; ad ciuitatem Domini, an diaboli; ad ciuitatem spiritualium, an ad ciuitatem carnalium: ad ciuitatem, ad quam via lata & spatiosa peruenitur: an ad quam angusta via attingitur, per quam pauci ingrediuntur. Illa siquidem, sicut legitur, est clamoris plena, vrbs frequens, ciuitas exultans, sordibus nobilis, grandis interitu, ciuitas sanguinum, cuius tutura est grandis pira. De hac legitur. *Oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquã transferri poterit: nec auferentur claui eius in sempiternum. Omnes funiculi eius non rumpentur: quia solummodo ibi magnificus Dominus Deus noster, locus fluuiorum, riui latissimi & patentes: non transibit per eam nauis remigum, neque trieris magna transgredietur eam. Dominus enim Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster, ipse saluabit nos. Lagati sunt funiculi tui, sed non præualebunt. Sic erit malus tuus, vt dilatare signum nõ queat.* Quem non delectent tantæ promissiones? Quis tantorum gaudiorum particeps esse non concupiscat? Quis in ciuitate tã opulenta, tam stabili, tam libera, tam irrigua, spatiosa, tam iustitiæ plena, tam salutifera, tam nominata, ciuis ascribi toto desiderio non festinet: nec solùm ciuis, sed magis ciuitas ipsa quilibet nostrum fieri toto cordis affectu requirat? Quod si fortè alicui arduum nimis & difficile videatur, si fundamenta quæ proposuimus adipisci se posse desperet, & in vertice montium collocari: saltem ad montes præparatorios appropinquet, vt paulatim mons præparatorius ipse efficiatur. Montes siquidem præparatorios eosdem hodie in plebibus Christianorum esse, quos in populo Iudæorum fuisse antiquitus, æstimamus. Ille namque populus ab ascensu montis Sinai arcebatur, ad radices autem montis accedere, & terminos à Moyse constitutos tangere permittebatur. Quid aliud in hoc præfiguratum credimus, nisi quod à Propheta postea prænuntiatũ, & hodie in Christianorum plebibus cernim⁹ ad impletum? *Erit* inquit propheta, *præparatus mons Domus Domini in vertice montium.* In his verbis manifestè videtur esse distinctum, quod à Moyse fuerat præsignatum, vt mons in vertice montium positus esse intelligatur, ad quem vulgus ascendere non sufficiat; ad montes autem, in quorum situs est vertice accedere ei liceat, & ipsi sint termini, quos transgredi non præsumat. Montes hos inferiores ciuitatis in superiori monte ædificandæ præparatorios non incongruè vt arbitror interpretamur fidem, signum fidei, & reuerentiam signi. Hæc in Abraham patre fidei præcessisse Apostolus expressim asserit dicens. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiã: & signum accepit Circumcisionis, vt sit pater omnium cre-*

Mat. 9. Mat. 11. Mat. 20. Psal. 54. & 34. Isa. 33. Isa. 2. Rom. 4.

*Abraham credentium pater.*

*dentium.* Rectè credentium patrem Abraham dicit Apostolus, in quo ea spiritualiter præcesserunt, quæ secuturis necessaria erant ad præparationem salutis. Ei siquidem in signũ suæ fidei tradita est circumcisio, & à tota progenie sua cum tanta reuerentia & veneratione suscepta, vt quam Christiani per baptismum, eam & Iudæi per Circumcisionem salutem expectarent. Sed neq; reuerentia signi sine ei⁹ susceptione, nec signi susceptio sine fide Iudęis profuit ad salutem. Nec Christianis baptismi veneratio absque eius perceptione, nec sacramenti perceptio sine fide,suam vel aliorum hodie salutem operatur. Bene igitur hæc tria salutis præparatoria dicimus: quæ licet bene operandi tempora non habentibus sufficiant ad salutem : habentibus tamen & bene operari nolentibus solam spem potiùs afferunt, quã conferant rem salutis. Vbi enim ista præcesserint, iam velut quædam præparatorij montes apparent, quibus superædificari debeat ciuitas Domini virtutum, & fundamenta quæ apposuimus, in eis valeant collocari. Quandam enim videntur habere conuenientiam cũ his montib⁹ prædicta fundamenta : vt castitati fides, susceptio sacramenti humilitati, Christi reuerentiæ deuotio sacramenti respondere nõ incongruè videantur. Penè igitur etiam isti montes fundamenta dici possunt, sicut illa ; sed hæc prima & inferiora, illa superiora & altiora sunt fundamenta : hæc incipientium, illa proficientium ; hæc communia bonis & malis, illa specialia solis bonis. Super hæc qui ædificant ligna,fœnum, stipulam, ignem timere possunt tantò ardentiorem, quantò à fundamento longiùs recesserint: tantò autem tolerabiliorem, quantò ad fidei fundamẽtum per pœnitentiam propiùs accedendo redierint. Hæc pro illis dicta sint,qui ciuitate modica Segor contenti, montis ardua non conscendunt: & cum populo Iudæorum terminos à Moyse constitutos transire non contendunt. Ad eos igitur qui prædictis fundamentis aurum, argentum, lapides pretiosos, superædificare nituntur, stylum vertentes, transgressis iam fundamentis muros & portas ipsius ciuitatis solicita indagatione perscrutemur. Ad hoc enim finis versiculi, quem apposuimus, nos inuitat, vbi prædictis subinfertur, ***Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.*** Hęc autem sub alio sermone, quantum nobis Dominus dederit, differemus. Ipse autem semper Alpha & O sit nostri sermonis, qui vniuersorum est initium & finis, & sine initio & fine permanet in sæcula sæculorum, Amen.

*Tractatus 5. De portis ciuitatis Dei.*

Volens Propheta Dauid, quæ in ciuitate Domini virtutum viderat, pręsentibus & futuris sine tabescente inuidia cõmunicare, commendatis fundamentis ipsius ciuitatis, ad describendas portas & exponendum nomen eius se transfert, vt ex his quæ prima frõte etiã extra positis apparent, quanta sint,& quàm iucunda, quæ intus sunt, manifestiùs cognoscatur. Verùm primo loco dignum admiratione videtur, cùm Propheta ciuitatis gloriam descripturus, nec portas, nec nomen, nec populum, nec principes, nec ipsa eius fundamẽta tacuerit, cur de muris nec mentionem quidem fecisse inueniatur. Sed facilis est ad ista responsio, Prophetã minimè muros præterisse, quorum fundamenta & portas tam studiosè voluit commendare. Vbi enim tam pretiosum sternitur fundamentum, pretiosissima speratur debere cõsurgere structura murorum. Priùs igitur quàm ad ciuitatis portas accedamus, quid de muris ipsius alius Propheta dixerit, audiamus. *Vrbs*, inquit Prophetarũ eximius Isaias, ***fortitudinis nostræ Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale.*** Quem alibi lapidem pretiosum in fundamento fundatum dicit, hic murum & ante murale eiusdem ciuitatis proponit. Ipse siquidem, qui est Alpha & O. principiũ & finis, ipse ciuitatis suæ dedit vel fuit initium, & daturus est complementum. Ipse qui voluit esse caput corporis & fundamentum ciuitatis, ipse & in corpore distinxit & ordinauit membra, & in ciuitate varia munitionum & officiorum disposuit genera. Sicut enim in vno corpore multa sũt mẽbra,omnia autẽ membra non eundẽ actum habent : & sicut in ipsis mẽbris quædam sunt honestiora, quædam infirmiora, quibus & abundantiorem honorem circumdamus: ita in vna Domini ciuitate varia sunt municipia, diuersa & ministeria : cùm tamen vnus sit dominus, vna fides, vnum baptisma : vnus spiritus, diuisiones gratiarum & administrationũ & operationum multæ. Ipse enim Spiritus diuidens singulis, prout vult, alios quidem dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Euãgelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, quod est ciuitas ipsa, de qua loquimur Sicut autem vnus spiritus diuersa in vno corpore membra viuificat, & viuificando compaginat: & sicut vno cæmento multi lapides in vno conglutinantur muro : ita in ciuitate Christi vniuersæ ipsius ciuitatis partes vno Christi spiritu regũtur & muniuntur. Ipse enim qui in propria persona voluit suæ ciuitatis fieri fundamentum, ipse non solum in se, sed etiam in quibusdam mẽbris suis voluit murus esse, in quibusdam antemurale : quædam velut turres firmissimas eminere : quædam velut partes speciosissimas inimicos arcere, ciuibus & amicis patere. Vnde in Canticis de sponsa dicitur. *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argẽtea : si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis* : quod suo in loco postea meliùs exponetur. Interĩ quod cœpimus prosequentes, primò quomodo in seipso Christus ciuitatis suæ murus sit, & antemurale, deinde quomodo in suis membris, videamus. Si ergo diligenter aduertam⁹, murus non solùm est ad munimentum, sed etiam ad prospectum,antemurale ad incitamentum. Incitantur enim ciues ad resistendum aduersarijs tantò ardentiùs, quantò securiùs habent vsque ad antemurale progressum. Sic Christ⁹ suæ ciuitati est ad munimentum, non solum per præsentiam diuinitatis, vel per infusionẽ gratiæ spiritualis, sed etiam per meritũ passionis : ad prospectum per doctrinam Euangelicæ prædicationis : ad incitamentum per exẽpla communis conuersationis, Quem enim non graui soluat metu, ne dicã Christi passio, sed in ipsa passione latronis absolutio? Quis

*Isa. 26.*

*Varia in Ciuitate Dei officia.*

*Cant. 8.*

ad tubā Euangelicæ prædicationis aures non arrigat, quis oculos non aperiat, ad prospiciendum altius non ascendat? Quem Christi paupertas, ieiunium vigiliæ, iniuriæ, exprobrationes, non moueant ad similia patientissimè toleranda? Sic sic suæ ciuitatis in seipso Christus murus est & antemurale. Quod & in membris suis idem fit, manifeste indicare videntur tres illæ celeberrimæ festiuitates, quæ festum dominicæ natiuitatis sequūtur. Beatus enim Stephanus incitat per exemplum, beat⁹ Ioannes inuitat ad speculandū, beatissimi Innocentes, per solū muniunt meritum, Beatus Stephanus fundamēto Christo superędificasse videtur aurum, B. Ioannes argentum, S. Innocentes lapides pretiosos. O ciuitas gloriosa, de qua tam gloriosa sunt dicta, imò in qua tam gloriosa sunt facta, vt in ipso muro aurum, argentum, lapides pretiosi, mira quadam varietate distincta, & vno Spiritus sancti glutino counita cohærere sibi inueniuntur. Nec recedit à fundamentis superædificatio talis; cùm & in Stephano aurum rutilet charitatis, & in Ioanne argentum niteat castitatis, & in paruulis Innocentibus velut quidam lapis pretiosissimus soliditas splendeat humilitatis. Quid enim humilitate solidius, quæ instar lapidis pretiosissimi nullius aduersitatis igne frangitur, nullius prosperitatis eleuatione immutatur, sed vna & eadem in omnibus perseuerans temperantiam in prosperis, fortitudinē retinet in aduersis. Castitatis & argēti conuenientiam quis manifestiùs exprimat, quam propheta, qui ait, *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum?* Eloquium siquidem Philosophorum, eloquium Rethorum, eloquium illorum, qui per sapientiam verbi crucem Christi velle euacuare videntur, minimè castum reputans, sed adulteratum, sicut ait Apostolus, *Non sumus sicut quidam adulterantes verbum Dei*, solū quod Domini est, castum, & argento iudicat comparandum: nec cuilibet argento, sed igne examinato, quod tantò sonorius, tantoque nitidius, quantò probatius esse constat. Quid autem carius charitate: quæ sicut aurum metallis omnibus, sic virtutibus omnibus noscitur præminere? O quanta concordia, quanta vnio, quantus in hac ciuitate Domini prima facie conuentus apparet: vbi nulla à fundamentis in muris discrepantia, hiatus nullus, nihil quod dedeceat inuentu: sed vno Christi spiritu & distinctè vnita, & vniformiter distincta, & mirabiliter ornata omnia reperiuntur. Vno siquidem atque eodem Christi spiritu omnia operante in ædificationem corporis sui positi sunt Apostoli velut quædam ipsius ciuitatis speciosissimæ portæ, deinde prophetæ velut quædam turres sublimissimę, tertiò Euangelistæ, velut quidam turrium vigilantissimi speculatores, tandem pastores & Doctores velut quidam totius populi prudentes consiliarij, & eruditores sapientissimi. Pastores qui in tribulationibus & angustijs consolentur & reficiant; Doctores qui in dubiis & tentationum periculis ignorantiæ tenebras repellant. De his omnibus suis locis pleniùs differetur. Interim libet cū propheta exclamare & dicere. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri.* Magnus inquam, qui talem potuit ædificare; laudabilis qui eā taliter & sciuit & voluit ordinare. Magn⁹ in se per omni potentiam, laudabilis nimis in donis electis suis collatis per misericordiam. Comparemus, si placet, hanc nostram, imò Domini ciuitatem ciuitati terrenæ, mundiali, Babilonicæ, siue Romulæ. De illa siquidem qui eam in immensum suis laudibus extollere voluerūt, suis in carminibus reliquisse legūtur, *Roma caput mundi tenet orbis frana rotundi.* Et illud. *Par tibi Roma nihil, cùm sis fere tota ruina.*

*Et quanti fueris integra, fracta doces.*

Quid quæso, hæc quæ tanta prædicatur, cum esset integra, simile cum nostra habuisse inuenitur? In ea siquidem Romulus fundamētum posuisse, in nostra fundamentum positus esse Christus describitur. Eam Romulus muro circumdedit: in nostra murus & antemurale Christus esse voluit. Eam ille fratris sui sanguine parricida fœdauit: Christus suo sanguine suæ ciuitatis postes & superliminaria signans contra omnem hostium fraudem & virtutem muniuit. Ille legibus populum seditiosum coercens, iurgia populi quoquomodo compescuit: Christus in suorum cordibus leges suas Spiritu Sancto scribens, suos sibi incorporando vniuit. Ille à populo suo Deus est institutus: Christus Deus de Deo natus suos omnes filios Dei fecit, cohæredes quidem sui, hæredes autem Dei: nec timuit in sua hæreditate habere cohæredem, sed suos omnes in fratres adoptauit, vt esset primogenitus in multis fratribus. Romulus suam ciuitatem lateritiam, Augustus marmoream reliquit: Christus suam, sicut dictū est, ex auro & argento & lapidibus pretiosis condidit & ornauit. Romulus suam ciuitatem à suo nomine denominauit, vt à Romulo Roma diceretur: Christus non solùm suam ciuitatem, sed etiam singulos ipsius ciues suo nomine illustrauit, vt Christiani à Christo singuli dicerentur. Quod & per Prophetā longè antè prædictum fuerat, qui ait. *Seruos meos vocabo nomine altero, in quo qui benedicendus est, benedicetur in Domino Amen*, Augustus ciuitati illi totum orbem subegit: Christus seruis suis etiam dæmones quos Romani colebāt vt Deos, subiecit: & transitoria omnia calcāda edocens, eis regnū cœlorum aperuit. O fratres & conciues mei, quid vltra nobis facere debuit, & non fecit? Quantum diligendus est Christus à Christianis. Si tantum dilectus est Romulus à Romanis, vt dicerent, vtinam aut nūquam natus, aut numquā mortuus esset: quantū diligendus est Christus à nobis, pro quibus natus & passus, vitam nobis æternam donauit? Si Brutus natos noua bella gerētes ad mortem pro Romana libertate vocauit, ne superbus Tarquinius in ea imperaret, ita vt legatur de eo. *Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido*, Si alius etiā Romanus princeps cognomine Torquatus, filiū, non quia contra patriam, sed etiam pro patria, tamen quia contra imperium suū ab hoste prouocatus iuuenili ardore pugnauerat, licet vicisset, occidit; ne plus mali esset in exemplo contēpti imperij, quàm boni in gloria hostis occisi: quantò potius pro nostræ ciuitatis Regibus, quibus plurimi sunt filij, terrena omnia contēnere & abdicare debem⁹? Si A. Regulus,

*Festa Stephani, Ioa. & Innoc. quid innuant.*

*Quid sint Apostoli & alij sancti in Ciuitate Dei*

*Excellentia Ciuitatis Dei supra Romanam*

*Quàm diligendus Christus à nobis.*

crudelissimos hostes mirādo falleret, ad eos ab ipsa Roma reuersus est & à Carthaginensibus Romani imperij æmulis, quia cōtra eos in Romano Senatu egerat, ne pro suis captiuis captiuos illorum redderent, grauissimis supplicijs necari, quàm fidem violare maluit: qui cruciatus non sunt pro fide Christi cōtemnendi & pro nostræ ciuitatis gloria sustinendi? Aut quomodo se auderet extollere Christianus de voluntaria paupertate quàm suscepit, vt in huius vitæ peregrinatione expeditior ambulet viam quæ ducit ad patriā, cuius veræ diuitiæ Deus ipse est, cùm legat, Lucium valerium, qui in suo defunctus consulatu, vsque adeo pauperem esse voluisse, vt nūmis à populo collatis eius sepultura curaretur: cùm legat & Quintū Cincinnatū quatuor iugera possidentē, & suis manibus excolentem, ab aratro fuisse abductum, vt dictator fieret, vbi maior esset quā Consul, victisque hostibus ingentem gloriam consecutū in eadem paupertate mansisse? Si in terrena & pro terrena ciuitate isti talia, & multi alij multò amplius fecerant, quanta pro æterna patria facere & sustinere debent Christiani? Sed ecce dū ad terrenam ciuitatē oculos paululum reflexim⁹, à muris & portis nostræ ciuitatis longè digressi sumus Et quia circa muros diutius quàm sperauemus immorati sumus, & desiderantibus intrare ciuitatem tantò optabiliùs portæ aperiuntur, quantò tardiùs ad eas peruenitur: ad ipsas iam propiùs accedamus portas, & vt nobis aperiantur, opportunè & importunè pulsemus: vt eis reseratis, & eis quæ intra ciuitatem sunt, studiosè inspectis, diutius in eis & delectabiliùs iucūdemur. Cùm igitur multæ sint huius ciuitatis portæ, inter alias quatuor prīcipales eminere videntur: quas à cæteris distinguere volens Propheta Spiritu sācto reuelante, sic ait. *Attollite portas principes vestras.* Ac si diceret. Plures quidem portas, sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutū: sed præ cæteris principales & præcipuæ attollantur: ne quid infimum, ne quid terrenum, ne quid carnale, eas fœdare aut corrumpere queat, quominus Rex gloriæ, quem non nisi gloriosa & sublimia decent, per eas introeat. Has principales portas quatuor existimo præcipua Dei sacramēta, per quæ diuersa hominum genera velut quidam ipsius ciuitatis ciues, secundū varia officia diuersos habent exitus & ingressus. Quidam enim intrant ciuitatem ab oriente ad commorandum, quidam ab occidente exeunt ad trāsmigrandum. Et quia duplicem aciem producit mundus contra milites Christi, blandiens vt decipiat, terrens vt frangat: exire nō cessēt strenuissimi & ad bella doctissimi nostræ ciuitatis milites contra aduersarios suos dimicaturi alij ab austro, alij ab aquilone, vel secundū Apostolum, à dextris & à sinistris. Ab austro, siue à dextris, vt carnis delicijs & mundi prosperitatibus, stigmata Iesu circumferentes, resistant. Ab aquilone siue à sinistris, vt aspera & molesta scuto patientiæ & armis iustitiæ longiùs studeant propulsare Porta igitur ab oriente sacramentū est Baptismatis, per quod in ciuitatem intratur, & ipsius ciuis, quisquis rectè intrat, ascribitur Bene autem porta hæc dicitur orientalis, vel quia primò per hanc visitauit mundum oriens ex alto, cùm baptizato in Iordane Domino, cui nomen est oriens, aperti sunt cœli, & vox patris audita est, & in specie columbæ Spiritus sanctus super eum apparuit, & tota Trinitas in ipsius baptismatis consecrationem, & eiusdem sacramenti commendationem mundo innotuit: vel quia qui baptizantur in Christo velut modo geniti infantes mundo mortui, & Christo per baptismum consepulti patri spirituum oriuntur, & in nouam transeunt creaturā. Porta igitur intrantium baptismi est sacramentum. Portam autem occidentalem non immeritò dixerim sacram ægrotantium vnctione, quo sacramento sic muniuntur morituri, velut de ciuitate militante ad triumphantem iamiamque transmigraturi, Portam ab aquilone securè diffinio sacramentum Confirmationis, siue manuum impositionis, quod pugnaturis ad corroborationem datur, cùm post Baptismū quis in virum perfectū proficiens, velut ouis ascendens de lauacro, vt gemellis sit fœtibus principali spiritu confirmatur. Non est enim nouiter inuentum Confirmationis sacramentum, cùm longè ante Propheta distinxisse legatur inter spiritum innouantem, qui datur in baptismate, & spiritum confirmantem, qui datur in manuum impositione, & spiritū sanctificantem qui datur in septemplici sacri liquoris vnctione. De isto sic dicitur. *Spiritum sāctum tuum ne auferas à me.* De spiritu confirmante. *Spiritu principali confirma me.* De innouante. *Spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Restat porta australis, quam non immeritò dixerim sacramentum altaris, vbi non iam oleum demulcens ægrotantem, sed panis confirmans & vinum lætificans triumphantē. Vnde legitur in Propheta. *Qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti.* Fugere de ciuitate domini virtutū disponit, quisquis ad carnis suauia, ad mundi prospera, non contra ea pugnaturus, sed eis abstractus & illectus accedit: quod illis specialiter solet contingere, qui diuini panis inedia afflicti, quia panes sanctificatos contingere non præsumūt, ad panes laicos se conuertunt. Neque enim panes sanctificatos contingere permittuntur, nisi qui mundi fuerint, maximè à mulieribus, id est carnalibus delicijs. Qui igitur terram austri inhabitant, quorum hortum auster frequenti perflat visitatione, vt educat panem de terra eorum, meritò fugientibus cum panibus præcipiuntur occurrere: vt pane vitæ & intellectus refocillati, manere in ciuitate, & locū suum studeant retinere. Meritò igitur portā australem Eucharistiam dicimus, quæ specialiter carnis illecebris opponitur; & cuius virtutem, qui carnem suam crucifixerunt cū vitijs & concupiscentijs sæpius experiuntur. Ipsa siquidem est altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo carnis deseruiūt. Vnde & extra castra Christus pati voluit, vt quisquis de castris Babilonicæ ciuitatis fugiēs ad castra nostræ ciuitatis vellet redire, passionem eius portam haberet, & per eam in ciuitatem haberet regressum: siquis autem de nostra ad illam vellet transire, eandem passionē inueniret obstaculum. Hæ sunt portæ ciuitatis Christi, de quibus dicit Propheta. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Vbi Iacob, non Israël ponit, & taber-

Fidei seruandæ exemplum in M. Regulo.

Psal. 23.

Portæ 4. ciuit. Dei sunt 4. sacramenta.

Psal. 50.

Isa. 21.

Heb. 13.

Psa. 86.

seculi Iacob non Israël, dicit. Videtur nobis innuere, se de illis tabernaculis loqui, quæ mutanda, & finem habitura essent: sic nomen Iacob in Israëlem mutatum, ita quod nec vocari Iacob vltra deberet, dicente Domino. *Nequaquã vocaberis Iacob, sed Israël erit nomẽ tuum.* Sicut autem Israel longè dignius & meli' nomen quàm Iacob, secundum suam interpretationem esse cognoscitur, eo quod Iacob luctator, & Israël videns Deum dicatur; & longè melius sit Deum videndo quiescere, quàm Deũ quærendo luctari: sic incomparabiliter meliora & digniora sunt sacramenta præsentis Ecclesiæ, quàm tabernaculum & cæremoniæ veteris Sinagogæ. In illis enim vmbra, in his veritas. In his stabilitas, in illis antiquatio & vetustas. Vnde Apostolus. *Holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi, ecce venio. Dicẽs, qu ia hostias, holocausta, & oblationes noluisti; tunc dixi, Ecce venio, vt faciem voluntatem tuam Deus, aufert primum, vt sequens statuat.* Meritò igitur diligere dicitur Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob, cùm illa nec dilexisse dicatur. Vnde nec ei placuisse Apostolus prophetæ consonans, & prophetã approbans asserit. Sacramenta verò Ecclesiæ adeo diligere cognoscitur, vt per sacramentum baptismatis velut per portam orientalem introducat ad patrẽ. O quantum diligendæ, quantum attollendæ, quantum venerandæ sunt à nobis hæ portæ, quas non ob aliud diligit & frequentat Rex gloriæ, nisi vt per eas intrantes omnes faciat gloriosos. Quisquis enim de luce ad illum vigilauerit, assidentem eum foribus istis inueniet. Bene autem Sion nominatur, cuius portæ tantum à Domino diliguntur. Sion enim speculatio dicitur, quia iam non figurarum vmbris, sed per sacramentorum veritatem velut per quasdam portas, ad huc tamen clausas, futuræ suæ beatitudinis gloriam speculatur. Sed quia ex portarum speculatione & ciuitatis nominatione magis ac magis cœpit nobis eius notitia relucere, non est ipsius nominationis discussio in transitu percurrenda, nec iam finiendi sermonis angustijs coarctanda. Alterius igitur principio reseruetur, quæ ad alicuius secreti speculationem nos inuitare videtur. Ipse autem semper Alpha & O. sit sermonis nostri; qui vniuersorum est principium & finis, & sine principio & fine manet in sæcula sæculorum, Amen.

Gen. 32.

Hebr. 10.

Baptismus est porta orientalis.

### *Tractatus 6. De nomine ciuitatis Dei.*

Cùm Propheta mente excessisset Deo, volens sobrius nobis fieri, & quæ in excessu suo viderat, fideliter aperire: descriptis fundamentis, & commendatis portis ciuitatis Domini virtutum, quo nomine censeri eam audierit, postmodum non dicit. Sciens enim quod ex re nomen imponi soleat, & ex nomine res agnosci, cùm à multis alijs Prophetis qui de ea [illegible] gauisi sunt visione, diuersis sit vocabulis nuncupata: ipse illud magis ponere voluit, quod proprietati intellexit ciuitatis potiùs conuenire. Isaias siquidem huius ciuitatis nomen exprimere volens, nec satis prout volebat, valens, dicebat. *Non vocaberis vltra derelicta: & terra tua non vocabitur amplius desolata. Sed vocaberis voluntas mea in ea.* Et ibidem. *Vocabitur,* ait, *tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Alij quoque prophetæ alia atque alia de nuncupatione illius ciuitatis scripsisse inueniuntur. Dauid breui volens vti compendio, Sion eam nominat, vt ad speculandam, & diligenter perscrutandam ipsius gloriam & virtutem audientes inuitet. Vnde & in alio Psalmo. *Circumdate Sion, & complectimini eam: narrate in turribus eius. Ponite corda vestra in virtute eius.* Circumdate perscrutando, complectimini desiderando, narrate collaudando. Et ne videatur sufficere exteriora quoque, fundamenta scilicet, muros ac mœnia, turres ac portas intueri, *Ponite,* ait, *corda vestra in virtute eius;* vt non tam gloriã ciuitatis, quàm virtutis attendatur: quia fallax omnis gloria, quam virtus non parturiuit. Nos igitur virtutem ac proprietatem huius nominis attendentes, non quæ exteriùs videntur, sed quę interiùs latet, acutiùs speculemur. Videtur siquidem ciuitas Dñi hoc nomen inde traxisse, quod suus ei conditor in omnibus suis partibus, officijs, & officinis proponitur speculandus. Quod Simeon in Spiritu cognoscens, pro sua speculatione gratulabundus & laudans ait. *Viderunt oculi mei salut re tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum.* Bene dicitur Simeon in spiritu aduenisse in templum. Videtur enim per spiritum cognouisse, illum quem videbat, suum, imò Dñi esse salutare ad salutẽ præstãdã paratũ ante faciẽ omnium populorum, vt in ipsius visione consisteret ius salutis humanæ. Sicut enim quondam intuitu ænei serpentis à serpentium morsibus Iudæi saluabantur; sic & hoc salutare ante omnium Christianorum faciem Simeon vidit esse paratum, vt in ipsius visione salus eorum consisteret. Hoc etiam cognoscens Psalmista aiebat. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Iacob autem viso Domino facie ad faciem saluam factam animam suam profitetur. Rem igitur sui nominis Sion speculando tenens, & nominis Iesu effectũ participans speculando; saluari, & salua facta speculari suũ Salutare non cessat: nõ sicut Roma nudum nomen trahens à Romulo, sed suo Saluatori, quantum ab eo conceditur, speculando inhærens. Sed quia in præsenti vita non est plena visio, nec salus in præsẽti potest esse perfecta, neque enim perfectam salutem dixerim, quæ manente crepusculo [illegible] valeat vel corrumpi: in ea autem ciuitate quæ sursum est & libera est, sicut est visio manifesta, ita pax est, & salus perfecta. Vnde meritò Ierusalem dicitur, id est visio pacis: nostra autem ciuitas quæ adhuc militat & peregrinatur in terris, potius Sion quàm Ierusalem debuit nominari, quia interim per speculum in ænigmate videt eum, quem post finem peregrinationis suæ facie ad faciem est visura. Speculetur igitur interim nostra Sion Regem Salomonem, & si nondum in diademate gloriæ, saltem in diademate humanæ naturæ: vt quem iam inuenit in fundamentis & muris suis, inueniat & in portis. Portas quippe nostræ ciuitatis diximus sacramẽta salutis. Has portas iam penes se, sed tamen clausas habent, qui solo sacramentorum vsu gaudent.

Isai. 62.

Psal. 47.

Luc. 2.

Psal. 79.

Illis autem aperiuntur, quib⁹ sacramentorum mysteria reserantur. Qui verò reipsa mysteriorū & sacramentorū fruuntur, cū propheta apertis sibi portis iustitiæ ingressi in ciuitatē Domino confitentur. Vsum sacramentorum & notitiam mysteriorum boni possunt habere & mali. Vnde Apostolus. *Si habuero omnem fidem itaut montes transferam, & nouerim mysteria omnia, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Rē autem mysteriorum & sacramentorum, soli boni percipiunt. Accedunt igitur ad portas, & apertas inueniunt etiam filij huius sæculi: sed non nisi filij lucis, filij dei, qui spiritu Dei aguntur, in numero amicorum vel ciuiū admittuntur. Vnde Dominus in Euang. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, ille fur est & latro.* Videntur igitur aliqui intrare per portas, qui non intrant per ostium. Plane ita est. Porta quidem ostio claudi solet, & aperto ostio porta patet. Porta, sicut iam diximus, est visibile sacramentum, ostium huius portæ Christus est, qui non solum institutor, sed etiam res est sacramenti. Sera huius ostij occultum ipsius sacramenti mysterium. Clauis huius seræ, siue ostiarius, non aliud est à Christo, quia spiritus Christi est. Christus igitur digito & claue spiritus sui nobis reserare dignetur seram istius mysterij, vt cognoscamus quomodo ipse sit ostium in quolibet portarum: quomodo sit res ipsa mysteriorum & sacramentorum. Videamus igitur hoc in sacramento baptismi, vbi manifestiùs & faciliùs apparebit. Visibile sacramentum baptismi porta est, per quam intrant boni & mali. Sed boni sicut ciues: mali vt fures & latrones. Nō enim intrant per ostium Christum, nec habent rem ipsius sacramenti. Quibus etiā occulti sera mysterij claue plerumque spiritus reseratur, secundum illud Apostoli *Dominus enim illis reuelauit:* tamen per ostiariū non introducuntur, quia rē mysterij Christū non assequūtur & licet intrent per sciētiam, non tamen per conscientiam. Intus quidem vidētur esse per scientiam inflantem: sed non sunt intus per superædificantem scientiæ charitatem. Boni autem cū suscipiunt visibile sacramentum, etiamsi ignorent mysterium, tamen intrāt per ostium Christum: & ostium Christum, & rem habent tam mysterij, quàm sacramēti. Christus siquidem res est vtriusque. Res est sacramenti, quia salus est & sanctificatio, quę per illud confertur. Pro salute namque & sanctificatione obtinenda recipitur, non pro elementi veneratione, quę nulla est, nisi quę ei ex verbi sāctificatione confertur. Accedente enim verbo ad elementum, fit non ipsa aqua, sed ex ipsa & verbo sacramentum. Christus igitur res est & causa baptismi: quam qui nō habet, proculdubio ex baptismo salutem non habet, quia ipse dicit, salus populi ego sum: & Propheta dicit, *Dic āīæ meæ, sal⁹ tua ego sum.* Quomodo etiam sit res mysterij, videamus. Mysterium est occulta sanctificatio ipsius visibilis sacramēti: quam diuersam diuersi assignauerunt. Ambrosius quidem per aquam voluit intelligi, quòd sicut aqua sordes corporis ac vestes abluit, ita Baptismus maculas animæ, sordesque interiorum emundando extergit. Gregorius autem in tribus mersionibus personarum Trinitatem, & in vna, vbi talis est consuetudo, Diuinitatis singularitatem voluit designari. Addidit etiam, nos qui tertiò mergimur, etiam triduanæ sepulturæ sacramentum signare. Augustinus etiam baptismi ordinem duplici asserit mysterij significatione celebrari, Rectè inquiēs [mersi estis qui accepistis baptismum in nomine Trinitatis. Rectè tertiò mersi estis, qui accepistis baptismū in nomine Christi, qui die tertia resurrexit à mortuis.] Ecce isti in trina mersione baptismi triduum Dominicæ sepulturæ asserant designari. Secundum ergo baptismi mysterium est, vt sicut Christus in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus fuit, sic qui baptizantur in Christo, mundo mori & sepeliri debeant opere, verbo, & affectu: vt possint dicere cum Apostolo: *Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Hoc mysterium volens Apostolus aperire, ait. *Consepulti estis Christo per baptismum in mortem.* Et alibi. *Quotquot antè in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quòd si aliter illud triduū licet intelligere, possumus dicere, primam sepulturæ spiritualis diem, abrenuntiationem, quę fit in baptismo, quando abrenuntiatur Satanæ, & omnibus pompis eius: quæ pompæ nō sunt aliæ, quàm mundi labentis vanitates: secundam, eiusdem abrenuntiationis feruentē & studiosam executionem: tertiam, quæ & verum sabbatum est, tranquillæ contemplationis quietem: cùm etiam à bonis operibus vacatur, vt videatur Deus; cùm minoratur quis actu, vt percipiat sapientiā: cùm absconditur quis in abscondito faciei Dei à conturbatione hominum. Prima die moritur actus peccati, cùm per gratiam baptismi submergūtur Ægyptij: secunda mortificatur sensus, cùm non tam puniuntur peccata, quàm amore & imitatione Christi mortificantur mēbra. Tūc enim, sicut scriptum est, maximè prodest pœna, cùm nō punit peccata: tertiā peccati moritur & sepelitur affectus: cùm spiritus humanus spiritui diuino adhærens vnus spirit⁹ est, & ad vocem vel visionē dilecti anima liquefacta in ipsum transit dilectum. Ecce quomodo Christus & mysterij res est & sacramēti: cum & sacramentum salutē, quæ Christus est, conferat: & mysterium eandem significet & ostendat. Ipse igitur ostium est, per quod homo introducitur: ipse via, per quam deducitur: ipse vita ad quam perducitur. Bene igitur ait, *Ego sum ostium: per me siquis introierit saluabitur.* Bene, introductus & ingredietur ad me Verbū à me homine deductus, & egredietur à me Verbo ad me hominem reductus, & pascua inueniet pīguia in humanitate, vberiora in diuinitate, vberrima autem ad patriā perductus post præsentem peregrinationem in vtroque. Non immeritò itaque Propheta nominationem ciuitatis portarum commendationi coniunxit: cum ipse sit illarum portarum ostium, qui præcipuè ciuitati, quam Sion nominat, proponitur speculandus. Ipse siquidem eidem ciuitati, sicut ait Apostolus, factus est sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Redemptio est in baptismate, quo homo à seruitute peccati redimitur, vt iam ei naturalis concupiscentia sine consensu ad dānationem non imputetur, secundū illud Apostoli. *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo* Iesu

Marginalia: 1. Cor. 13. — Ioa. 10. — Christus ostium est Ecclesiæ. — Philip. 3. — Psal. 34. — Ambro. in c. 6. ad Rom. Grego. l. 1. ep. 41. — Aug. ser. De myst. baptism. Supplem. — Gala. 2. — Rom. 6. — Gal. 3. — Triduum sepulturæ Christi quadrupl. — Ioa. 10. — Rom. 8.

*Iesu, qui non secundum carnem ambulat*: id est qui carnis concupiscentiam non sequuntur. Et alibi. *Si quod nolo, id ago, iam non ego operor illud.* In baptismate igitur redemptus recipit gratiam declinandi à malo: in manuum impositione gratiam operandi bonũ. Ibi mundatur à peccatis, hic meritis virtutum proficiens habet fructum suum in sanctificationem. Ibi caput in oleo impinguatur, hic bene oleo facies exhilaratur. Quod fortè non incongruè illud significat, quòd in baptismo chrismate in vertice, in confirmatione homo cõsignatur in fronte. In baptismo enim liberũ arbitrium velut quoddam interioris hominis sublimissimum caput vnctione Spiritus sancti perfunditur & impinguatur: vt quod ante baptismũ liberum erat ad posse peccare, non autem liberum ad posse non peccare mortaliter, post baptismum liberum fit cooperante gratia ad non peccandum damnabiliter. Ante baptismũ enim, vt ait Augustinus, premitur à concupiscentia. & vincitur, & habet infirmitatẽ ad malum, sed non habet gratiam ad bonum: & ideo potest peccare, & non potest non peccare, etiam damnabiliter. Post baptismũ verò premitur à concupiscentia, sed non vincitur, & habet quidem infirmitatem ad malum, sed gratiam ad bonum: vt possit peccare propter libertatem & infirmitatẽ, & possit non peccare ad mortem, propter libertatem & gratiã adiuuantem: nondum tamen habet posse omnino non peccare, vel nõ posse peccare: propter infirmitatem nondum plenè absorptã, & propter gratiam nondũ perfectè consũmatam In baptismate igitur liberatur voluntas: & quia velle non sufficit, nisi adsit & posse, in cõfirmatione bene operãdi indulgetur facultas: vt exhilarata facie homo decantare iam valeat *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Sed quia dum sumus in corpore, peregrinamur à Dño, & corpus quod corrũpitur aggrauat animam, & deprimit sensum hominis multa cogitantem: caligante interim oculo rationis sæpius à iustitia deflectimur, dicentes bonum malum, & malum bonum: ponentes lucẽ tenebras, & tenebras lucẽ. Cõtra hunc igitur morbum statutum est etiam antidotũ Eucharistiæ sacramentum, per quod velut quandam portã, quę verè dici debet speciosa, Christũ sapientiã speculamur. Hoc siquidem antidoto morbo ignorantiæ subuenitur, vnde in fractione panis discipulorum oculi leguntur aperti. In eo namque, quòd sub visibili specie inuisibilem speciem latere credimus & confitemur: edocemur, non esse rerũ species aut formas visibiles tantũmodo attẽdẽdas: sed potiùs inuisibilia, quæ causæ sunt visibiliũ quærenda esse & diligenda. Quæ enim videntur temporalia sunt, vnde & paruipendenda: quæ autem non videntur æterna, vnde & toto corde optanda & complectenda. De visibili quippe specie apud Danielẽ sic legitur. *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* Primò quidem similitudine veri boni species fallit aspectũ, deinde concupiscentia subuertit affectum. Ecce ex ignorantia venit cõcupiscentia, per carnis concupiscentiam virtus spiritus exhauritur, ita vt quod vult nõ faciat, sed quod non vult inuitus sustineat, vt clamare cum Apostolo cogatur. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Verè corpus mortis, quo viuẽte nec infirmitas perfectè absorbetur, nec ignorantia tollitur: sed ad concupiscentiam impellit infirmitas, & per ignorantiam impeditur libertas: vt nec ratio sine errore iudicare, nec volũtas sine difficultate bonum possit appetere, nisi liberata gratiã Dei per Iesum Christũ Dñm nostrũ. Hęc gratia quotidie est necessaria: quia quotidianus est per ignorantiam & concupiscentiam humanæ infirmitatis defectus: & ideo quotidie dicimus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, & quotidie in humanæ salutis subsidium, in infirmitatis adiutorium, Eucharistiæ repetimus sacramentũ. Cætera duo sacramenta Baptismus & Confirmatio non repetuntur: quia ex quo semel solutus est homo à vinculo concupiscentiæ in Baptismo, & infirmitatis in Confirmatione, vt iam velle & posse habeat, nil restat, nisi vt nouerit quà eat. Hæc igitur via sacramẽto altaris quotidie magis ac magis ostenditur, & in vsu quotidiano quantò frequentiùs, tantò certiùs aperitur. Non solum autem ad tenenda viam, & transeundum à visibilibus ad inuisibilia, de speciebus & formis velut de accidentibus ad subsistentia, per hoc sacramentum luce sapientiæ illustramur: sed etiam reliqua duo, quæ per sacramenta Baptismi & Confirmationis conferri diximus, sacramenti altaris virtute conceduntur: sicut in illis & vsu firmantur & augmentantur, quod non fit in illis. Quod etiam significari luce clarius constat in illis tribus substantijs, de quibus ipsũ conficitur sacramentum, pane scilicet, vino, & aqua. In pane, qui hominem corroborat, designatur gratia, qua infirmitas roboratur: in vino quod lætificando inebriat, ostenditur gratia quæ à concupiscentia visibilium affectuũ homines alienat: in aqua, quæ oculos lauando clarificat, sapientiæ claritas exprimitur. Vnde & per Isaiam dicitur. *Aqua sapientiæ salutaris potauit illum.* Hæc sunt illa tria, quæ Philosophi prudentiam, fortitudinem, temperantiã vocauerunt, & in eorum perfectione iustitiam humanã constituerunt. Verùm, quia de proprijs viribus præsumentes, & suam volentes statuere iustitiam, iustitiæ Dei non fuere subiecti: ideo Dei ignorantes iustitiam, euanuerunt in cogitationibus suis, se ex se & de se sapientes, fortes, temperatos, & iustos fieri posse dicentes. Sed ciuitas Sion veriùs philosophando de suis portis aliter speculatur, aliter prædicando annuntiat dicens. *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam: vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* In porta siquidem orientali annuntiat, quia *nemo potest esse continẽs nisi Deus det.* In aquilonari, *Fortitudo mea & laus mea Dominus.* In australi, *Omnis sapiẽtia à Domino Deo est.* In occidentali, cùm iam nõ solùm homo exterior deficit, sed etiam interior portam mortis ferream horrescit, confitendo annuntiat, & annuntiando cum Propheta exclamat dicens. *In te Domine speraui, non confundar in æternum: in tua iustitia libera me.* Iam certè de iustitia sua diffidens, & se coram se statuens, velut pannum menstruatæ omnem suam iustitiam reputat, & ad merita se conuertens, solius Christi, iustitiæ memo-

Ibid. c. 7.

Duplex vnctio, in vertice & in fronte.

Quid possit liberu arb. ante vel post baptismum.

Psal. 118.

Dan. 13.

Rom. 7.

Luc. 11.

Eucharistia conficitur ex pane vino & aqua.

Eccli. 14.

Psal. 72.

Sap. 8.

Psal. 117.

Eccli. 1.

Psal. 30.

raus, eam Patris oculis repræsētat: nec aliud iam, quàm misericordiæ oleum expostulans, sicut à planta pedis vsque ad verticē non esse in se sanitatem profitetur, sic à planta pedis vsque ad verticem non solū oleo visibili perungi, sed etiam interiorem hominem vnctione misericordiæ totum perfundi credit & gloriatur. Talia in portis suis annuntiat, talia de portis speculando clarius intuetur. Sed quia intrare gestientibus tamdiu circa portas morari tædiosum fortè videbitur, multa quæ de his portis dicenda occurrunt, legentibus relinquo speculanda: dans tantum occasionē sapienti, vt sapiētior fiat, Videat ergo lector & iudicet, si primam harum portarum in Esdra porta piscium præfigurauerit, propter illud quod dictū est Petro. *Faciam te fieri piscatorē hominum*, Videat, si secunda debeat dici porta gregum, propter illud quod dictum est *Populus eius & oues pascua eius introite portas eius in confessione*. Numquid non videntur velut quidam greges ad portam congregari, cum anhelando currit populus festinans ab Episcopo confirmari? Videat, si porta sterquilinij tertia dici possit, cū iam stercus peccati relinquitur, & corpusculū terræ velut stercus vilissimum cōmendatur. Videat, si quarta dici debeat porta iudicialis, ad quam qui non digni accedunt, iudicium sibi manducant & bibunt. Videat etiam, si his portis congruè possit aptari, & de altitudine earum speculādo valeat comprehendi, quid sit latitudo, lōgitudo, sublimitas, & profundum. Videat si latitudo congruat temperantiæ coarctationi, secundum illud, *In tribulatione dilatasti mihi*, si longitudo fortitudinis longanimitati, si sublimitas prudentiæ circumspectioni, si profūdum iustitiæ ancipiti & incertæ conclusioni: quia nescit homo, vtrum amore dignus sit, an odio, sed omnia in posterum reseruantur incerta. Hæc de portis principalibus ad præsēs dicta sufficiant. Nam sunt fortè aliæ portæ secundariæ, quibus aliæ quinque quæ in Esdra nominantur, non inconuenienter aptari possunt, sed hæc aliàs. Iam ergo cum propheta in ciuitatem intrātes, quid intus audierit quid viderit, ab ipso pariter & cum ipso audiamus

2. Esd. 3.
Mat. 4.
Psal. 99.
Psal 4.
Eccle. 9.
Esd. 3.

*Tractatus 7. De libertate, Dominatione, & gloria ciuitatis Dei.*

Psal. 86.

Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Ex his quæ dicta sunt, ciuitatis Domini virtutum firmitatem, decorem & commoditatem Propheta describente, imò per Prophetam Spiritu sancto reuelante, manifestè iam comprehendisse videmur. Hæc enim in omni ciuitate, sicut superiùs dictum est, specialiter attendi, & præcipuè assolent commendari. Vnde & Propheta hæc volens ostendere, expressius in fundamentis expressit firmitatem, in muris pulchritudinem, commoditatem commendauit in portis. Quod quia satis iam ex præmissis videtur patuisse, superfluum duximus replicare. Sciens igitur Propheta, non in his solis etiam æternę ciuitatis perfectionem felicitatis consistere, & ad metienda cœlestia ex terrenis, ad conspicienda inuisibilia per visibilia, ad insolita per assueta nos volēs deducere; post ea quæ prædiximus, illud quod summopere in ciuitate terrena solet desiderari, gloriam scilicet & dominationem, in ciuitate Domini prosequendo describit dicens. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei*. Primò igitur quanti in ciuitate terrena apud suos ciues sit hodie gloria & dominatio, ac quanti apud ātiquos extiterit, ipsa nos edoceat vrbs Romana. De illa siquidem sic ait Augustinus. *Veteres primiq; Romani, sicut eorum docet historia, laudis erant auidi, pecunia liberales, gloriam ingentem, diuitias honestas volebant. Hanc ardentissimè dilexerunt, propter hanc viuere voluerunt, pro hac etiam mori non dubitauerunt: cæteras cupiditates ingenti gloria cupiditate presserunt. Ipsā denique patriam, quoniam seruire videbatur inglorium, dominari & imperare gloriosum, priùs omni studio liberam, dominā esse concupierunt, Hinc est, quod Regalem dominationem non ferētes, annua īperia binosque Consules sibi fecerunt; qui Consules appellati sunt à consulendo. Expulso itaque Rege Tarquinio, & Consulibus institutis, ciuitas incredibilem adepta est libertatem: & tantum breui creuit, quantum gloria cupido incesserat. Laudis ergo auiditas & cupiditas gloria multa illa miranda fecit atque gloriosa secundum hominum existimationem.* Cuius autem laudis auidi & glorię cupidi essent, in magnis illis & preclaris viris Marco Catone & Caio Cęsare, qui suo tempore ingenti virtute diuersis moribus magni fuisse perhibentur, ostendit dicens primo in laudibus Cęsaris. *Ibi magnum imperium exercitus nouum bellum exoptabat, vbi virtus enitescere posset, hoc laudis auiditas & gloriae cupiditas faciebat.* Deinde Cationē eos laudasse refert, qui ad gloriam, honorem, imperium, vera via, id est ipsa virtute nitebātur. Vnde & verba Catonis ponens, ita dicit. *Nolite existimare, maiores nostros armis Rempublicam ex parua magnam fecisse. Si ita esset, multò pulcherrimam eam nos haberemus. Quippe sociorum atque ciuium, preterea armorum atque equorum maior copia nobis quàm illis est. Sed alia fuere. quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla sunt. Domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam, auaritiam, publicè egestatem, priuatim opulentiam. Laudamus diuitias, sequimur inertiam: inter bonos & malos discrimē nullum, omnia virtutis præmia ambitio possidet. Nec mirum, vbi vos separatim consilium sibi quisque capitis, vbi demum voluptatibus, aut pecuniæ, aut gratiæ seruitis. Eo fit, vt impetus fiat in vacuam Rempublicam.* Hæc Augustini verba, siue illorū quos loquentes inducit, posuimus, vt ex his manifestè detur intelligi, quantum Romani primò quidem libertatem, pòst etiam dominationē, laudem quoque & gloriā sibi quæsierūt. Sed primò magis ambitio quàm auaritia animos eorum exercuit: quod tamen vitium propius virtuti erat. Sed & illi, qui nec ambitione, nec auaritia, sed per virtutem honorem quæsierunt, sicut Cato, nec dolis nec fallacijs, sed vera via nitendum esse iudicauerunt, finē tamen virtutis honorem posuerunt. Vnde & ædes virtutis & honoris coniunctissimas statuerunt. Hinc & de Catone dictum est, quominùs petebat gloriam, eò illum magis sequebatur, quia semper virtutē gloria comitatur. Ex his breuiter colligim⁹, Romanos priò

Aug. 5. de Ciu. c. 12.
Romani laudis auidissimi.
Ibid.
Templa virtutis & honoris coniunctissima.

gloriam libertatis, secundò gloriam dominationis, tertiò gloriam laudis, tribus vijs, quosdam scilicet ambitione, quosdam auaritia, quosdam vera via, id est per virtutem, quæsiuisse. Sed illi hominibus seruire ducentes inglorium, à seruitute humana liberi esse voluerunt. Nostræ autem ciuitatis ciues vera gaudentes libertate, qua libertate Christus nos liberauit, à seruitute peccatorum, vitiorum & dæmonum, liberos se esse gloriantur. Nec enim filij sunt ancillę, sed liberę, Et quia spiritu Dei aguntur, filij sunt Dei. Quod si filij, & heredes. Heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Et cùm liberi sint ex omnibus, omnium se seruos propter Christum faciunt, subiectiomnium humanæ creaturæ propter Deum, in hoc ipso illi soli seruientes, cui seruire regnare est. Est & alia gloria libertatis, qua non solùm à supradictis, sed ab ipsorum etiam elementorum hujus mundi seruitute ciues nostræ ciuitatis liberos se esse gloriantur; vt iam non seruiant in vetustate literæ, sed in nouitate spiritus consummentur. Non enim indigent doceri, quæ sint elementa exordij sermonum Dei, sed intermittentes inchoationis Christi sermonem ad perfectionem feruntur, audientes ab Apostolo. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Ea quippe sunt elementa exordij sermonum Dei, rudimenta scilicet, & diuini documenta timoris, quæ velut prima quædam elementa incohantibus proponuntur, qui lacte opus habent, non solido cibo, & adhuc sermonis iustitiæ sunt expertes. Hæc Salomon filio proponebat dicens. *Audi fili mi disciplinam patris tui. Timor Domini principium sapientiæ. Time Dominum, & recede à malo. Timenti Dominum bene erit in extremis. Timor Domini expellit peccatum. Et, sine timore Domini non poterit quis iustificari.* Hoc timore quidam ciuiũ nostrorum seruiunt, eo ipso iam liberi, quòd voluntariè & liberè & libenter sic seruiunt, sperantes se per hanc seruitutem proficere in libertatem glorię filiorum Dei. Quinimo iam & ipsi sunt liberi, licet quãdiu sunt paruuli nihil distent à seruo, cùm sint Domini omnium; sed sub tutoribus & actoribus timoris & obedientiæ sunt, vsq; ad præfinitum tempus à patre. Ad quod cùm per patris gratiam peruenerint, siue qui iam patris munere peruenerunt, non solum non seruiunt prædictis elementis, sed quadam iam libertate spiritus in auras libertatis euadentes, etiam elementa figurarum, & sacramenta veterum omnium & nouorum spiritus viuacitate trascendunt, nec iam onere figurarum premuntur, sed ad veritatis perfectionem feruntur. Sunt etiam & alia elementa, quę tertiò tangit Apostol⁹, arguens quosdã seruientes infirmis & egenis elementis. Elementa, siue elementata, sunt quæcumque sensu corporeo percipi possunt: & ea meritò infirma & egena dicuntur, quia humanam naturam nec à corruptione tueri, nec ipsius indigentiæ sufficere possunt. Qui autem in eis sanitatem aut satietatem quærunt, decepti & volentes vanitati seruiunt: à qua seruitute liberi sunt, qui seruiunt non volentes, secundum Apostolum, subiecti interim vanitati, propter eum qui subiecit eos in spe. Subiecti inquam non serui, sed liberi tandem etiam à corruptione omnino liberandi. Hæc de gloria libertatis ad præsens dicta sufficiant. De gloria quoque dominationis, quàm gloriosa, quamque gloriosè à viris gloriosis dicta sint, audiamus. Ait prophetarum eximius Isaias, imò per Isaiam Dominus de gloria ciuitatis Sion. *Ecce in manibus meis descripsi te. Muri tui coram oculis meis semper. Venerunt structores tui, destruentes te & dissipantes à te exibunt. Leua in circuitu oculos tuos & vides omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Viuo ego, dicit dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris: & circumdabis tibi eos quasi sponsa. Ad huc dicent in auribus tuis filij sterilitatis meæ. Angustus mihi est locus, fac mihi spatium, vt habitem. Et dices in corde tuo Quis genuit mihi istos? Ego sterilis & nonpariens: transmigrata & captiua, & istos quis enutriuit? Ego destituta & desolata, & isti vbi erant? Hæc dicit Do. D Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt, & puluerem pedum tuorum lingent.* In his verbis primo commendatur gloria libertatis, deinde dominationis. Vbi enim Dominus in manibus suis dicit se Sion descripsisse, nullius eam dominationi obnoxiam, nullius iugo depressam, nullius tributo adscriptam, sed sibi soli debere latriam ostendit. Licet enim suæ ciuitatis ciuibus dixerit, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*; & Apostolus vnus illorum structorum de quibus subiungitur, *Venerunt structores tui*, eidem concinat dicens, *Reddite omnibus debita: cui honorem, honorem: cui vecti gal, vectigal; cui tributum, tributum*; tamen ab huiusmodi debitis liberos docet Dominus esse filios, dicens ad Petrum. *Reges Gentium à quibus exigunt tributum; à filijs, an ab alienis?* Cui cùm responsum esset à Petro, *ab alienis*; ait, *Ergo liberi sunt filij.* In hunc modum suæ ciuitatis ciues velut filios Dei, & suos cohæredes à tributo Cæsaris liberos esse probat. Licet enim Cæsar vniuersum mundum sub sua descriptione concluserit, & suam imaginem numismati suo impresserit; tamen Domini est terra & plenitudo eius: orbis terrarum & qui habitant in eo. Eius quippe rectiùs dici debent omnia, qui dixit & facta sunt; mandauit & creata sunt vniuersa. Nam & quod Augustus hoc potuit, ex Dei ordinatione processit: quia non est potestas nisi à Deo. Cùm ergo redduntur Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Deo potiùs sua redduntur, ex cuius concessione sunt Cæsaris: cùm tamen non tam eius sint, quàm esse dicantur siue putentur: & cùm redduntur quæ Dei sunt Deo, etiam quæ Cæsari propter Deum redduntur, non tam Cæsari quàm Deo exhibentur. Cui concinit prædictus structor, vbi ait. *Serui obedite dominis carnalibus, sicut Christo; non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate seruientes, sicut Domino & non hominibus.* Ecce quomodo conueniunt descriptor & structor. Quòd si Cæsari, qui mũdi descriptor tantum, non structor fuit, mundus obediuit, & suæ imaginis numisma recepit, quantò magis Christo suæ ciuitatis ciues obedire, & eius imagine insigniri debent: vt liberi ab omni iugo ei soli seruiant, qui in su-

Vera libertas filiorum Dei.

Rom. 8.

Prou. 1. & 8. Eccli.

Dominatio ciuitat. Dei quæ in ãpla. Isa. 49.

Mat. 22.

Rom. 13.

Mat. 17.

Ephes. 6.

operibus velut in proprijs manibus formam eis vitæ dedit & disciplinæ: & per Apostolos & Euangelistas suos, quasi per proprios structores, suam eis imaginem misericorditer impressit? Ipsi quippe meritò structores eius dicuntur, qui suis conciuibus dicunt. *Imitatores nostri estote, sicut & nos Christi.* Ipsorum merita & exempla muri nostri sunt, qui coram oculis Domini semper esse dicuntur, quia eorum meritis ab eo protegimur & munimur. Quod autem subiungitur, *Leua in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: & omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos, quasi sponsa*, & cætera quæ sequuntur, omnia libertatis gloriam commendant; eo quod ciues tam gratuitò vndique congregati, tam mirabiliter à Deo præordinati, dati, geniti, & enutriti, tamque multiplicati & magnificati, ciuitatem Sion glorificent & exornent; & quasi quædam vestimenta gloriæ similem eam faciant sponsæ, quæ relicto patre & matre, & adhærens viro iam se in gloriam vendicat libertatis. Cætera quæ sequuntur, quàm manifestè exprimant gloriam dominationis, expositione non indiget, sed admiratione. Quis enim non miretur, quis non delectetur audire, imò quis iam se vidisse non glorietur, à cunctis mundi partibus gentes ad Ecclesiam conuolasse; filios Ecclesiæ in vlnis, & filias super humeros attulisse; Reges nutricios, & Reginas nutrices habuisse, vultu demisso in Ecclesia adorasse, & ad limina Apostolorum & martyrum, aliorumque Sanctorum intrantium & exeuntium puluerem labijs & lingua deuotissimè detersisse? Limina siquidem piscatorum reuerenter deosculantur labia Imperatorum. Ecce quanta est ciuitatis Sion gloria potentiæ ac dominationis, quæ non solum gentibus, sed etiam Regibus & Imperatoribus dominatur: imò seruire ei Reges & principes gloriantur: & vt plus aliquid dicatur, etiam dæmonia ei subijciuntur, & potestatem à suo Rege accipit calcandi super serpentes & scorpiones, quorũ alij cauda pũgũt, alij lingua, & super omnẽ inimici virtutẽ, quæ tota in his duobus, peccati scilicet suggestione & consummatione consistit. Dominatur etiã cæteris mundi visibilibus creaturis quibuslibet, de dono & gratia sui Imperatoris, à quo audire meretur. *Terror vester & tremor sit super cuncta animantia terræ, & super omnes volucres cœli, cum vniuersis quæ mouentur in terra.* Quod licet bonis & malis videatur esse commune, specialiter tamen bonorum est, qui nõ solum animantibus, sed ipsis etiam elementis potenti virtute leguntur imperasse; ita vt cœlum clausisse, solem fixisse, tempestuosum aërem & mare procellosum solo verbo serenasse inueniantur. Quibus specialiter à Paulo dicitur. *Omnia vestra sunt, siue Cephas siue Paulus, siue Apollo: vos autem Christi.* Meritò quidem Christi esse debent, quibus Christus inuisibilia omnia subiecit, & quos suæ ciuitatis ciues conscripsit ad conregnandũ: cùm orbis Augusti dictus fuerit, qui eum non condidit, sed descripsit ad sibi seruiendum. His de gloria dominationis breuiter prælibatis, ad tractandum de laudis gloria transeamus. Eam siquidem beatus diffinit Augustinus, Iudicium hominum bene de hominibus opinantium. Et licet nostri ciues de testimonio conscientiæ suæ potiùs quàm de opinione hominũ glorientur: tamen nec bonæ opinionis famam sibi deesse volunt; sed cõmendant se ad omnem conscientiam hominum, prouidentes bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus, testimonium habere volentes etiam ab his qui foris sunt: vt ex luce operum suorũ non ipsi, sed pater suus glorificetur, qui est in cælis. Sciunt enim, quòd laudando patrem, nec ipsis laus deerit, sed secundum Salomonẽ dabitur eis de fructu manuum suarũ, & laudabunt eos in portis opera eorum. Fallacem siquidẽ gratiam & vanã pulchritudinem contemnunt, scientes, quòd mulier timens Dominum ipsa rectiùs laudabitur. Hanc laudis gloriã non vanam sed veram, non fallacem siue fugacem, sed stabilem, nolens Dominus suæ ciuitati deesse, multis eam labiorum monimentis inseri voluit, mittens ad eã depromendam Prophetas & sapientes & Scribas: & ne quid huic deesset gloriæ, gloriosos etiam Reges Dauid & Salomonem ad eam decantandam suo spiritu excitauit: quorum omnium si dicta super hoc vellemus retexere, citiùs deficeret tempus, quàm copia. Sed vt alios omittamus, sufficit tantum ad Salomonis laudes recurrere, quas in typo ciuitatis nostræ de muliere forti legitur deprompsisse. Ibi quidem post multa, quæ in laudem eius dicta inueniuntur, legitur. *Nobilis in portis vir eius, cùm sederit cum senatoribus terræ.* Et illud, quod præmissum est. *Laudent eã in portis opera eius.* Aliæ siquidẽ sunt portæ, in quibus quæ apparent commendantur, aliæ in quibus non operum, sed conscientiæ testimonium requiritur ab illo qui cordium est inspector, qui ipsas iustitias cùm ad iudicandum sederit, iudicabit: & ipsam Ierusalem scrutabitur lucernis: vbi iustus vix saluabitur, & etiam prudentibus virginibus vix suum sufficit oleum, vt ex eo vel in modico fatuis virginibus valeant subuenire. In illis portis nostræ ciuitatis gloria manifestiùs apparebit. Ibi vir ipsius nobilitatis suæ gloriã reuelabit. Surgẽt enĩ filij eius, & beatissimã prædicabunt, & vir eius laudabit eam dicens. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* In illis portis dabitur ei de fructu manuum suarum, quæ interim in alijs portis sine fructu laborare & operari videtur, & fructum non tam percipere, quàm sperare, secundum illud, *Singulariter in spe constituisti me*: iuxta illorum opinionem qui in alijs portis dicturi sunt. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem eorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* Portæ gloriæ erunt illæ, in quibus non solum à filijs, non solum à viro, sed & ab hostibus tam mirificè, tam gloriosè ciuitas nostra laudabitur. Portæ verò iustitiæ non incongruè dici possunt, in quibus interim ex operibus iustitiæ collaudatur, de quibus in psalmo legitur. *Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor domino.* Has iustitiæ portas quatuor esse plurima Doctorũ scripta testantur. Prima est dolor compũctionis, secunda vox cõfessionis, tertia satisfactio operis, quarta est confessio laudis, vel gratiarum actionis. Hæ portæ diuersis aperi-

*Margin notes (left column):* 1. Cor. 4. — *Meritis Sanctorum protegimur.* — Isa. 49. — *Sanctorum cultus, ac Reliquiarum veneratio.* — Gen. 9. — 1. Cor. 3.

*Margin notes (right column):* Prou. 31. — Prou. 31. — Ibid. — Sap. 5. — Psal. 117. — *Porta iustitiæ quatuor*

untur modis. Primò, cùm per eas quid apud nos interiùs agatur, exteriùs hominibus aperitur. Reuelatur siquidem vis doloris per lachrymas, victoria peccati per cõfessionis humiliationem: quia sicut initium peccati superbia, sic per humilitatem confessionis triũphatur de peccato: per satisfactionẽ operis ostenditur ardor feruoris: sicut de Maria Magdalena legitur. *Considerauit quod egerat, & noluit moderari quid ageret.* Per gratiarum actionem apparet charitatis profectus, quæ quantò consummatior fuerit, tantò quietiùs & securiùs in Domino gloriatur. Aliter enim aperiuntur hæ portæ, cùm vel ad prædicatoris vocem, vel per solam diuinam inspirationem, corda peccatorum, quæ priùs malè in mundi concupiscentia obdurata, & cuilibet admonitioni clausa & obserata erant, ad pœnitentiam aperiuntur, & compunctionis dolore scinduntur: itaut etiam digni pœnitentiæ fructus, qui sunt in confessione & satisfactione, remoto omni difficultatis repagulo subsequantur. Sic sibi Propheta portas iustitiæ aperiri poscebat, vt ingressus in eas, id est vt ingressus ei; confiteretur Domino, non in illis remanere volens, sed per eas ad hanc trãsire, de qua dicitur. *Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.* In illas enim peccatores intrãt, in istam iustificati à peccatis, quibus per Paulum dicitur. *Iustificati à peccato, pacem habeamus ad Deum:* & qui cum Propheta dicũt Domino, *Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinẽ tuam:* quoniam non est speciosa laus in ore peccatoris. Ecce hæ sunt portę iustitiæ, per quas ciuitatis nostræ ciues intrant ad gratiam, qui per quatuor præscriptas, quas principales diximus, intrant ad veniam. Bene autem illæ principales dicuntur, quæ ita sunt necessitatis, vt sine illis neque ad veniam, neque ad gratiam pertingatur: & vt duodecim, quas Ezechiel vidit in spiritu, portæ nostræ ciuitatis spiritualiter assignẽtur, sunt & quatuor portæ gloriæ, per quas ad patriam peruenitur, quarum tres meritò duodecim Apostolos dixerim, qui fidem Sanctæ Trinitatis per quatuor mundi partes disseminauerũt, & mundo prima fidei rudimenta tradentes, doctrinæ Christianæ ei ianuæ extiterunt. Sed & cùm venerit Dominus iudicare viuos & mortuos & sæculũ per ignem, creduntur portæ futuri ad Christum: portæ inquam claudendæ damnandis, aperiendæ saluandis. Per eas quidem quotquot ad fidem intrauerunt, ad fidei præmium admittentur, ab eis iudicandi; per eos Domino præsentandi, quorum vni à Domino dictum pro omnibus legitur. *Tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ligaueris super terrã, erit ligatum & in cælis.* Et illud. *Cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Israël,* Tunc suę ciuitati in his portis nobilis apparebit vir eius, cùm gloriosus apparebit in sanctis suis, mirabilis in maiestate sua Tunc istarum portarum reuelabitur gloria, quęcùm ad fidem intrantium frequẽtia premerentur, & comprimentium iniurijs quassarentur, minimè apparebat: quamuis nec tũc Apostoli inglorij prorsus extiterint. Neque enim mediocris erat gloria, quòd in plateis ponebantur infirmi, & sola vmbra Petri obumbrati ab incommodis omnibus sanabantur. Nec solùm Petri, sed & aliorum miracula si quis velit attendere, tantã gloriæ immensitatem nullus sufficiet admirari. Omitto alia gloriosa Dei dona, quibus ipse in eis voluit glorificari, quæ enumerans Apostolus dicit. *Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum,* & cætera quæ sequuntur: quæ si aliquis voluerit diligentiùs considerare, cogetur cum Apostolo exclamare. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incõprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Sed ne tanta altitudo gloriæ, & tãti spiritualium diuitiarum thesauri iam finiendi sermonis angustia concludantur, meliùs alteri principio reseruantur: vt ex nouitate principij ad nouitatem gloriæ corda legentium innouentur. Ipse autem semper Alpha & O sit nostri sermonis, qui initium est & c.

Grego. hom. 33. in Euang.

Psal. 117.

Rom. 5.

Psal. 70.

Ezech. 46.

Apostoli sunt portae ciuitatis Dei.

Mat. 16. & 19.

Act. 5.

1. Cor. 12.

Rom. 11.

*Tractatus 8. De Gloria Apostolorum.*

De illa deuotione & gloria, quæ Apostolis quotidie à fidelibus exhibetur, aliquid iam dicendum videtur, quæ non solũ præsentibus festiua gaudia de eis frequenter agentibus visu & auditu sufficienter est nota, sed etiam à Patribus veteris Testamenti per spiritum præuisa, multifariè multisque modis prænunciata est ab eis & cõmendata. Ex quibus Propheta Dauid, vt cæterorum dicta omittamus, quæ longum esset retexere, in hanc vocem mirando legitur prorupisse. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Quod cùm etiam cæteris beatis assignet Gregorius dicens, *Ecce electi Dei carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruscãt. Præsentia despiciunt, æternam patriam moribus & vita prædicant, eam moriendo diligunt, & ad eam per tormenta pertingunt. Occidi possunt, & flecti nequeunt, ita confortatus est principatus eorum:* specialiter tamen beatis cõgruit Apostolis, qui præ cæteris sunt à Domino honorati, & potentiori principatu donati, sicut alibi idem Propheta ait. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram.* Numquid non nimis confortatus videtur principatus eorum, qui super omnem terram sunt principes constituti? Quis vnquam terrenorum principum totam terram obtinuit, licet monarchiam dicantur aliqui tenuisse? Imò quis vel mediam eius partem aut per se, aut per suos potuit peragrare? Beati verò Apostoli ita sunt super omnem terrã principes constituti, vt non solùm iugum dominationis eorum nullus refugiat: quin potiùs nullus sit aut princeps aut subditus, qui non libenter ac gratanter ipsorum dominio deuotus colla submittat, qui non eorum patrocinio gaudeat, qui non eorum suffragia reuerenter exquirat. Nimis ergo potens ac fortis factus est principatus eorum. Satis potens est ille principatus, qui ita fortiter custodit atrium suum, vt in pace sint omnia quæ possidet: & de suis ab eo nullus possit aliquid violenter auferre: potẽtior verò, contra quẽ nullus vel se vel sua possit defendere vel tu-

Psal. 138. Greg. ho. 27. in Euãg.

Psal. 44.

Quantus sit principatus Apostolorum.

tueri: potentissimus verò, cui nec resistere potest creatura aliqua, nec nocere. Sed nimis ille confortatus est principatus, qui nec fine clauditur, nec infestatione aliqua molestatur. Sic confortãdum principatum Apostolorum sicque confortandas seras portarum nostrarũ Propheta prævidens, mirando gloriabatur & gloriando mirabatur, Et ne tantus principatus honore debito carere videretur, præmisit dicens.

*Psal. 138.*

*Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Magn⁹ quippe honor amico exhibetur, cùm ad amici secreta consilia, & ad quælibet eius arcana admittitur, sicut ait Domin⁹ Apostolis suis.

*Ioa. 15.*

*Vos autem dixi amicos, quia quaecumque audiui à patre meo nota feci vobis.* Et propheta gratias agens Domino dicebat

*Psal. 50.*

*Incerta & occulta sapien. tu. manif. mihi* Maior autem est honor, quando suo amico amicus cõmunicando partitur: maximus, cùm omnia sua illi committit, & omnibus eũ præficit & præponit.

*Gen. 41.*
*Dan. 2.*
*Esth. 3.*

Sic Pharao Ioseph legitur honorasse, sic Nabuchodonosor Danielẽ, sic Rex Assuerus Aman honorare volens, solium eius posuit super omnes principes quos habebat, ita vt cuncti serui Regis eũ flectentes genua adorarent. Sed quia ille tanta abusus gloria diu in ea stare non potuit, illum permaximũ vel nimiũ honorem dicere possumus, qui non momẽtaneus aut transitorius inuenitur, cùm eum quem suis omnibus præfecit, etiam adoptat in filiũ, & suum cõstituit heredem. Sic Christus suos volens honorare amicos, cùm factus ipse primogenitus in multis fratribus coheredes habere voluerit: cæteris tamen fratribus & amicis beatos Apostolos præferre voluit, quibus & specialiter dixit.

*Luc. 22.*

*Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis regnum, vt edatis & bibatis super mensam mei in regno meo; & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.* Breuiter ista pertranseo, dans tantum occasionem sapienti, vt sapientior fiat. Sed fortè minùs sufficiẽter videbitur aliquibus assignatum, quòd sub trium portarum numero duodenariũ Apostolorum duximus concludendum. Attendat ergo & aliud fortè non contemnendum.

*Apostoli sunt portae ciuitatis Dei.*

Tribus siquidem modis Apostoli in ciuitate Domini officiũ obtinent, & vicem portarum. Primò siquidem nascenti Ecclesiæ portæ fuerunt ad fidem, quotidie proficienti portæ sunt ad iustitiam fidei, tandem coronandæ ad iustitiæ præmium portæ futuri. Quod non immeritò in eo fortè signatur, quòd Apostolicæ documenta doctrinę tribus tantum scribendi modis distinguũtur. Primò in Actibus Apostolorum actuum & dictorum suorum historia texitur, secundò per epistolas nascentis Ecclesiæ commendãtur virtutes, & vitia corriguntur: tertiò quæ pœnæ maneant impios, & iustos quæ præmia, in Apocal. ꝓphetatur. Ad idẽ quoque respicere videtur, ꝙ triplex principis Apostolorũ in Ecclesia festiuitas celebratur:

*Tres Petri festiuitates.*

prima de cathedra, secunda de vinculis, tertia de triumpho. Audientes siquidem eum de persecutore, de mundo, de morte, tam gloriosè triumphasse, meritò de tanta eius virtute confidimus, vt quod nostris non possumus, tãti patroni meritis assequamur. Audientes autem eũ duab⁹ vinculatum catenis, dirocarceri mancipatũ, ad similia sustinẽda pro iustitia prouocamur. Quid de Apostolica dicam doctrina, quæ per Petri cathedrã designatur, nisi ꝙ toto orbe fide Christi repleto quatuor ipsius partes quatuor nihilominus pedibus suis cathedra ipsa concluserit? Quatuor siquidem modis corã Regibus & principibus, populis & nationib⁹ nomen Christi portando, verbo, morib⁹, miraculis, morte denique, eius testimonium sunt confessi. His quatuor pedibus innitentes, talibus subnixam columnis, suam cathedrã firmauerunt, sicut eis à Domino prædictũ erat, testes eius esse in Ierusalem, & in Iudæa, & vsque ad vltimum terræ. Hæc est illa cathedra, in qua cùm numerarentur, & nominarẽtur fortes Dauid, primus absque nomine legitur sedens sapiẽtissimus princeps inter tres,

*2. Reg. 23.*

quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno. Ibi inter fortes Dauid triginta nominantur, deinde tres fortiores, tandem tres fortissimi numerãtur, quibus ipso Dauid addito, in summa triginta & septem inueniuntur. In triginta fortibus bonorum coniugatorum exprimitur fortitudo, qui fortes in fide fortium operum multiplicatione, fidem in se Trinitatis viuere protestantur. Fides enim sine operibus mortua cõprobatur. In tribus fortioribus fides continentium designatur, qui non solum luce bonorum ac fide non ficta sunt contenti: sed etiam cor purum & conscientiam bonam Domino exhibere contendunt. Cor purum, vt nihil aliud, quàm id quod diligendum est, diligatur. Conscientiam bonam, per quam rectè viuendo certa spe quod diligũt odoratur, ꝙ & fide non ficta tenetur. Bona siquidem inuisibilia, quæ fide non ficta tenemus, per spẽ bonæ conscientiæ odoramur, & per charitatem de corde puro gustamus. His tribus, fide scilicet, spe & charitate, homo subnixus, easque inconcussè retinens non indiget scripturis, nisi ad alios instruendos: ita vt multi per hæc tria sine codicibus in solitudine vixerint. Vnde sicut beatus ait Augustinus, iam in illis impletum esse videtur, quod dictũ est.

*1. Cor. 13.*

*Siue prophetia, euacuabuntur: siue linguæ, cessabunt: siue scientia, destruetur:* quib⁹ tamen quasi machinis tanta fidei & spei & charitatis in eis surrexit instructio, vt perfectum aliquid tenẽtes, ea quæ sunt ex parte non quærant. Perfectum sanè, quantũ in hac vita potest. Hi adeo fortes fuisse dicũtur, vt inter cætera quæ fortiter egisse narrantur, etiam leones tres in diebus niuis percussisse ferantur.

*Daniel. 14.*

Quod non est aliud, quàm quod de Daniele legitur, quẽ in lacũ missum leones minimè nocere potuerũt: quia iræ & tribulationis tempore, quod est in die niuis & caliginis, vitia eum non solum nõ subiugauerunt, sed ei potiùs diuino sunt auxilio subiugata. Nam quòd apud Danielẽ septem, hic tres tantũ leones fuisse dicuntur, ita rectè intelligitur, vt in septenario omnia vitiorum genera designentur, sicut septẽ dæmonia de Maria à Domino sunt eiecta: in tribus leonib⁹ tria illa maxima, ex quib⁹ cætera omnia oriuntur; superbia scilicet, luxuria & auaritia. Bene autem hæc tria leonũ nomine exprimuntur: quia leo animal superbissimũ, libidinosissimum, & voracissimum esse perhibetur. Meritò igitur triginta fortibus tres isti

fortiores dicitur, quod & illos non latuit, qui Iob tricesimum, Danieli fructum sexagesimum assignarunt. Sed quantumcumque Daniel fortem se sentiat, nulla se ratione spirituali Noe audeat comparare: quia etsi docti iuxta Danielem intelligendi, qui ad iustitiam erudiūt multos, quasi stellæ futuri sunt in perpetuas æternitates, vnde & eis solis fructus centesimus assignatur, quia frequenter Doctoribus intelligere ex meritis subditorum conceditur, ad quod nec suis studiis, nec sua vmquam contemplatione leuantur. Meritò igitur fortissimi Dauid Doctores intelliguntur, qui seipsos sibi abnegantes, omnibus omnia propter Christū fiunt, vt omnes lucrifaciāt Christo, & omnia possint in eo, qui eos confortat Christus. Horum omniū primi & præcipui beati fuerunt Apostoli, de quorum principe Petro dicitur, quòd sedit in cathedra sapientissimus princeps inter tres. Nec ipsi sine causa, cùm sint duodecim, tres dicūtur, sed triplex in hoc Doctorum officium innui nobis videtur. Primum est doctrinæ, secundū cōuersationis & vitæ spiritualis, tertiū diuinæ contemplationis. Hæc tria in illis tribus nobis sunt designata, quos Dominus seorsū ab aliis Apostolis assumens, secum duxit in montem, & suam eis gloriam transfiguratus ostendit, Petrum loquor, Iacobum, & Ioannem. In Petro doctrinæ gratiam specialiter expressam illud manifestè ostendit, quòd ei soli dictum à Domino legitur. *Pasce oues meas.* Et illud. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Illud quoque, quòd vas de cælo submissum ei est præostensū, & audire meruit à Domino, *Macta & manduca.* In Iacob qui luctator interpretatur, spiritualis exercitii lucta intelligitur: quā Sancti Doctores non solum contra vitia luctando quotidie sentiunt, sed in ipsis spiritualibus exercitiis de hoc ad aliud transeundo sæpius experiuntur. Neque enim mediocris lucta est, sicut norunt, qui talia sunt experti, cùm à dulcedine intimæ compunctionis, à sedulitate diuinorum officiorum, à peruigili suorum circumspectione actuū, ad fraternæ compassionis curam, & spiritualib⁹ filiis debitam solicitudinem ex pastoralis officii debito cogitur quis transire. Vnde & talibus congruere videtur, quod dictum est. *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima.* In Ioanne qui supra pectus Domini in cœna recubuit, & cui reuelata sunt secreta cœlestia, illud manifestè contemplationis genus exprimitur, quod specialiter Doctoribus dari solet, ex diuina tantum reuelatione, potiùs quàm ex humana meditatione aut inuestigatione. Tales fuerunt excessus Pauli, quos ipse commemorans, raptum huiusmodi hominem asserit, nō deductum. Talis & illa Petri, cuius superiùs meminimus, de lintei visione: tales & Ioannis reuelationes, ex ipsa earum constat relatione fuisse. Licet autem singula horū trium in singulis trium prædictorū Apostolorum emineant, tamen omnia ipsa tria plenè atque perfectè in singulis eorum, & omnium etiam cæterorum Apostolorum fuisse credendum est. Rectè igitur ipsi per tres fortissimos Dauid intelligūtur, qui & fortes contra homines, & fortiores contra dæmones, fortissimi autem etiam contra Deum, orationibus iram eius placando, & suis meritis ad misericordiam flectendo præualuisse leguntur. Nec solum omnes in tribus, sed in ipso vno suo principe Petro omnes possunt intelligi, cùm dicitur, *Sedens in cathedra, sapientissimus princeps inter tres.* Doctrina etenim Apostolica, quæ & Canonica dicitur, maiori præ cæteris Romanorum scilicet Pontificum atque Doctorum non solùm authoritate, sed etiā sapientiæ luce præfulget. Vnde nec nominatur sedens ille in cathedra, quia doctrina Apostolica non ab eis, sed à Christo per Spiritum sanctum est eis inspirata: nec eorum, sed eius potiùs est dicenda, qui eis, manens cum eis, repromisit dicens. *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, docebit vos omnem veritatem.* Et alibi. *Cùm steteritis ante Reges & praesides, nolite praemeditari, qualiter respondeatis: dabitur enī vobis in illa hora quid loquamini.* Et illud. *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarii vestri.* Quod & Paulus de se profitens ait *Euangelium quod euangelizaui, non est a me, nec per hominem accepi illud, sed per reuelationem Iesu Christi.* Cathedra igitur Petri, Christi potius est, quàm Petri: sed ascendens Christus ad regni solium, tribunal ei, siue thronum iudiciariæ potestatis promisit, cathedrā doctrinę Christianæ cōmisit: & licet ab Apostolicæ doctrinæ cathedra sacri succedentium Romanorum Pōtificum canones, & Ecclesiasticorum Doctorū sapientissima documenta non discrepent, nulla tamen ratione eidem cathedræ coæquātur: sed velut scabellum pedum cathedræ cohærentia, ei semper humiliter obsequuntur, & in medio eorum Petrus sedet, præsidens authoritate sapientissimus diuinæ reuelationis illustratione, prīceps gratiæ & magnificentiæ potestate. Audiamus, quid aliqui Romanorum, quidque præcipui Doctorum Ecclesiasticorum super hoc sētiendo professi sunt. Ait Gelasius Papa [Sancta Romana Ecclesia post illas veteris & noui Testamenti Scripturas, quas regulariter suscipim⁹ etiam has suscipi non prohibet. Sanctā Synodum Nicænam trecentorum decem & octo Patrum mediante maximo Constantino Augusto, in qua Arrius condemnatus est. Sāctam Synodum Constantinopolitanam mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit. Sanctā Synodum Ephesinam primam, in qua Nestorius damnatus est, consensu beatissimi Papæ Celestini, mediante ipsius legato. Sanctam Synodum Chalcedonensē mediante Marciano Augusto, in qua Nestorius, Euuyches, & Dioscorus cum suis complicibus sunt damnati. Sed & si qua sunt alia Concilia à Sanctis Patribus instituta, post istorum quatuor authoritatē & custodienda & recipienda mandamus. Item Decretales Epistolæ quas beatissimi Papæ diuersis tēporibus ab vrbe Roma pro diuersorum Patrū consolatione dederunt, venerabiliter suscipiendæ sunt.] Item Leo papa. [Ita Dominus noster Iesus Christus humani generis saluator instituit, vt veritas, quæ antea legis & prophetarum præconio continebatur, per Apostolicā tubam in salutem vniuersitatis exiret, sicut scriptum est. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed hui⁹ muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret: vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne

Triplex Doctorum officium.
Ioa. 21.
Luc. 22.
Act. 10.
Luc. 10.
2. Cor. 12.
Scripturae sacrae prae aliis dignitas.
Luc. 21.
Mat. 10
Luc. 21.
Gal. 1.
Gelas. in Syno. 70. Episc.
Leo ep. 89

diffunderet, vt exortem se ministerij intelligeret esse diuini, qui ausus esset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium indiuiduę vnitatis assumptũ, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Mat. 16.
Vt æterni Templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, vt illã nec humana temeritas posset appetere, nec cõtra illam portæ inferi præualere. Verùm hanc petræ istius sacratissimam firmitatem, Deo, vt diximus, ædificante constructam, nimis impia vult præsumptione violare, quisquis eius potestatem tentat infringere, id quod accepit à maioribus non sequendo.] Item Vrbanus. [Sũt quidam dicentes, Romano Pontifici semper licuisse nouas condere leges, quod nos nõ negamus, sed valde affirmamus. Sciendum uerò est, quia inde nouas leges condere potest, vnde Euangelistæ aliquid non dixerunt. Vbi verò apertè Domin⁹ vel eius Apostoli, & eos sequentes Patres sancti sentẽtialiter aliquid diffinierunt, ibi non nouam legem Roman⁹ Põtifex dare, sed potiùs quod prædicatum est, vsque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enĩ quod docuerunt Apostoli & Prophetę, destruere, quod absit, niteretur, nõ sententiam dare, sed magis errare conuinceretur.] Item Augustin⁹ De vnico baptismo. *Quis nesciat sancti Scripturam Canonicam, tam veteris quàm noui testamenti, certis terminis contineri, eamq; posterioribus literis omnium Episcoporum ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit? Episcoporum autẽ literas, quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cuiuslibet in ea peritioris, & per grauiorem authoritatem aliorum Episcoporum, doctioremque Prudentiã, & per Concilia licere reprehẽdi, si quid in ijs à vero deuiatum est* Item ad Vincentium *Noli contra diuina tã multa, tam præclara, tam indubitata testimonia, colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, siue nostrorum, siue Hilarij, siue antequàm pars Donati separaretur, Cypriani Agrippini: primò quia genus hoc literarum ab authoritate Canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tamquã ita ex eis testimonia proferatur, vt contrà sẽtire non liceat, sicubi fortè aliter sapiunt, quàm veritas postulat. In eo quippe numero sumus, vt non dedignemur etiam dictum ab Apostolo accipere, Et si quid fortè aliud sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit.* Ecce quàm humiliter Romani Pontifices, Ecclesiastici Doctores, Apostolicæ se doctrinæ subijciunt, & tãquam scabellum cathedræ pedibus se substernũt, vt palam profiteantur, non licere Romano Pontifici nouas condere leges, vbi apertè Dominus vel eius Apostoli sententialiter aliquid diffinierunt: sed potiùs quod ab eis prædicatum est, debeat vsque ad animam & sanguinẽ confirmare. Sed nec legi literas suas Doctores voluę, tamquam ex eis testimoniũ proferatur, vt cõtrà sentire non liceat, sicubi fortè aliter sentiunt, quàm veritas Apostolicæ doctrinæ postulat. Sed ne scabellum istud humi & contẽptibiliter hæreat, & puluere conspersum aliquo modo fœdetur, supponitur ei velut quoddam regium ac nobile substratorium leges mundanæ, quæ vel Iustinianę, vel Imperiales dicuntur, quod in ipsis legibus Iustinianus ipse profiteri non erubescit, dicens. *Leges nostræ non dedignantur imitari sacros Canones.* Valentinianus quoque Imperator, cùm ab Oriente ad Hesperias partes veniens, Mediolani Catholicum vellet ordinari Episcopum, euocãs Episcopos, sic eis locutus est. *Nostis ex diuinis eloquijs, qualem oporteat esse Pontificem, quòd debeat semetipsum totius imitatorem virtutis ostẽdere, testemque doctrinæ conuersationem bonã habere: cui & nos qui gubernamus Imperium sinceeerè capita nostra submittamus: cui⁹ monita, dum tamquam homines delinquimus, necessariò veluti curantis medicamina suscipiamus. Super vos enim est talis electio, qui diuina gratia potiti, & illo splendore fulgentes, meliùs potestis eligere.* Hæc Nicolaus Papa attendens, ita ait. *Lex Imperatorũ nõ est supra legẽ Dei, sed subtus: non quod Imperatorum leges: quibus sæpe Ecclesia vtitur contra Hæreticos, sæpe contra Tyrannos, atque contra prauos quosque defenditur, dicamus penitus renuendas: sed quòd eas Apostolicis & Euãgelicis atque Canonicis decretis non posse inferre præiudicium, asseramus.* Sed ne, quæ dicta sunt de Cathedra, ęmuli Cathedrę de sermonis prolixitate corrodant, cùm multa adhuc de ea occurrant, alio ea principio reseruamus, vt modica interim quiete releuati, ad ea quæ dicẽda sunt alacriter accedamus. Ipse autem Alpha & O sit sermonis nostri, qui omniũ princ. &c.

Vrbani decret.

Lib. 2. de Bapt. contra Donat. c. 3.

Epist. 48.

## Tractatus 9 De Cathedra Petri iterum.

Nec mirari debet aliquis, nec moueri, si circa ciuitatis nostræ portas diutius immoramur: vel si de portis tractaturi, de cathedra prolixiùs disputamus. Solent enim iuxta portas plateæ inueniri, in quibus solent sapientibus cathedræ præparari, vt de ipsis secundum Salomonem foras fontes sapientiæ deriuentur; & in plateis spiritualium aquarum riuuli diuidantur. Sic quippe Iob ad portam ciuitatis procedenti, sicut ipse testatur, in platea cathedra parabatur, vbi videntes eum iuuenes abscondebãtur, & senes assurgentes stabant, auris audiens beatificabat eum, & ocul⁹ videns testimonium reddebat ei. Non ergo mirũ, si & nos inuenta latiori planitie Scripturarum, circa portas gloriæ aliquantulum euagamur, & more ludentium in plateis de portis ad cathedram, de cathedra ad scabellũ, de scabello ad tapetem pictum ex Ægypto saltum damus, ne fortè improperari nobis possit à patribus illud Euangelicum. *Cantauimus vobis, & non saltastis.* Cantatum siquidem nobis iucundè & mirabiliter est in libro Regum de Fortibus Dauid: & descripta nomina eorũ simul & opera in typo Apostolorum, quibus dictum est. *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo.* Nam quòd primi eorum nomen non edicitur, illud fortè significat, vt quisquis ad doctrinę officium & cathedram pastoralem assumitur, nomen sibi facere non studeat: sed etsi nomen iuxta nomen magnorum qui sunt in terra habuerit, in eo non gaudeat, sed in eo, si nomen suum scriptum in cœlo esse confidat, dicens cum Propheta Domino. *Non nobis Domine*

Prou. 5.

Iob. 29.

Mat. 11.

Luc. 10.

Psal. 113. mine, non nobis. sed nomini tuo da gloriam. Sic sic nomen Domini, non suum, sanctificari sęper postulet & exoptet. Hinc est, quòd Romanus Pontifex, qui Petri successor est in terris, quando instituitur, nomine pristino deposito, alicuius sanctorum prædecessorum suorū nomine insignitur: vt iam non communem hominum vitam aut conuersationem ducat, sed mutatus in virum alterū nō iam sit qui fuerat, & de numero sanctorum effectus, cū Apostolo dicat. *Viuo ego, iā non ego: viuit verò in me Christus.* Sic quippe Petrus in signum sui principatus, solus inter alios à Domino nomen accepit, per quod non tam ipse, quàm Christus agnosceretur: qui cùm petra dictus sit, à petra Petrum denominauit, dicens. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Meritò proinde Petrum præfigurauit ille primus fortium Dauid, non solùm in eo quod nomen ejus non ponitur; sed & in eo quod sedisse in cathedra, & sapientissimus fuisse inter tres, quasi tenerrimus ligni vermiculus, & octingentos occidisse vno impetu perhibetur. De cathedra autem Petri & sapientia satis iam dictum esse videtur. Sed si adhuc alia de ea audire delectat, tres in scripturis cathedras specialiter legimus cōmendatas: cathedrā Moysi, cathedram Elisæi, & cathedram Petri. De prima legitur. *Super cathedrā Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.* De secunda, quòd fecerit mulier Sunamitis Elisæo cœnaculum paruum, in quo constituit ei lectum, sellam, mensam, & candelabrum. De tertia, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum.* Cathedra igitur Moysi, doctrina fuit legis: sella Elisæi, doctrina Prophetica: cathedra Petri Euangelica & Apostolica est doctrina. Doctrina legis justitiam carnis imposuit, sicut Apostolus ait. *Non potest lex iuxta conscientiam perfectum facere seruientem: solum modo in cibis & potibus, & justitijs carnis vsque ad tempus correptionis impositis,* Hæc iustitia carnis erat in hostijs & muneribus, & varijs baptismatibus: quæ licet secundum conscientiam perfectum non possent facere seruientem; secundum legis tamen iustitiam, iusti dicti sunt multi, etiam coram Domino, incedentes in manda tis & iustitijs legis sine querela. Sic enim de Elisabeth & viro ejus Zacharia etiam in Euangelio legitur. Doctrina Prophetica iustitiam non rectè offerendi, sed rectè operandi indixit. Vnde Isaias. *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus? plenus sum. Ne offeratis vltra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Neomenias & sabbata & festiuitates alias non feram. Manus vestræ sanguine plenæ sunt. Lauamini, mundi estote, quiescite agere peruersè, discite bene facere. Quærite judicium, subuenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam; & venite, & arguite me, dicit Dominus.* Ecce doctrina Prophetica primò victimarum & holocaustorum, & cœremoniarum carnalium vanam spem & fallacem fiduciam tollit: secundò quiescendum à peruerso opere præcipit: tertiò bene agere discendum indicit: quartò quæ inter bona opera sint potentiora & saluti viciniora, edicit. Huic omnis concinit prophetia, hoc omnes prophetæ persuadere intendunt, vt declinent peruersi à malo, & faciant quod bonum est. Hæc Elisæi sella, quæ licet & inculta, & sermone obscuro velut ex rudi & impolita materia contexta videatur: solida tamen & firma, atque immobilis inuenitur, iuxta verbum principis Apostolorum dicentis. *Habetis firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Ecce cathedra Petri sellam Elisæi aut cathedram Moysi non euertit; sed velut eis supereminens quasi firmissimis columnis innixa subsistit. De lege enim ait. *Nō veni soluere legē, sed adimplere.* De Prophetis, *Incipiens* ait, *à Moyse & Prophetis, interpretabatur eis, quæ de illo scripta erant.* Huic etiam concinit, quòd Moyses & Elias cum Christo loquentes apparuerunt in monte. Inter hos igitur cathedra Petri medium obtinet locum, velut dignior & superior, & quæ illi meritò sessori congruat, qui sapientissimus dicitur inter tres. Sicut enim cathedra Petri prædictis duabus constat esse superiorem, ita & Petrum in sapientia tanquam Christi vicarium, & primum fortium Dauid, constat fuisse sublimiorem. Ejus siquidem sapientia non solùm carnis iustitiam, sicut Moyses, nec solum operis rectitudinem, sicut sermo propheticus, sed cordis munditiam requirendam, agnouit, & docuit, dicens, sicut ex ore veritatis didicerat, & acceperat prædicandum. *Mundate prius quod intus est calicis vel paropsidis; & quod exterius est, mundum erit.* Et illud. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod exit,* & cætera. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia,* & cætera quæ sequuntur. Illud quoq; *Audistis, quia dictum est antiquis, non occides,* & cætera. In his & alijs multis, quæ silua nobis Euangelica & Apostolica profert, docemur, non solùm illicitos actus, sed etiam petulantes corporis motus, & irrationabiles cordis affectus cohibere. Meritò igitur sapientissimus inter tres dicitur, qui perfectissimus inter eos quos prædiximus, perfectioris vitæ, & abundantioris iustitiæ præcepta noscitur edidisse. Vt autem hujus sapientissimi cathedrę dignitas seu firmitas plenius innotescat, quot & quibus nitatur pedibus, intendamus. Tres siquidē ipsius pedes Dominus in Euangelio videtur expressisse, vbi discipulis aiebat. *Nonne hæc scripta sunt in lege, & prophetis & psalmis de me:* vbi legem, prophetas, & psalmos, de se dicit testimonium perhibere; vt scilicet oporteret eū pati & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari Euangelium in omnes gentes. Ibi legem, prophetas, & psalmos, Euangelio probat astipulari: & eis velut tribus stipitibus Euangelium niti. Quibus vt quartus stipes addatur, iunguntur prædictis scripturæ quæ agiographæ nuncupantur: sicut sunt, liber Iob, Salomonis, Daniel, & alij, qui non minùs manifestè quàm cæteri Christum prænuntiando prophetant. Vel si inter agiographa psalmos iuxta Hieronymum computamus, possumus quartum pedem dicere, scripturam illam, quam idē Hieron. apocripham nominat, scilicet librum sapientiæ, Iesu filij Sirach, Tobiæ, Iudith, Machabæorum: in quibus nihilominus inuenimus Christi & Apostolorum tempora præsignata. In his omnibus Scripturis veteris testamenti si sensus spiritualis requiratur, vt eliciatur mysticus intellectus, inuenietur non minùs mira-

Marginalia: Papa cur nomen pristinum deponat. — Galat. 2. — Matth. 16. — 2. Reg. 23. — Tres in Scripturis cathedræ, & quid significent. — Matt. 23. — 4. Reg. 4. — Matt. 16. — Hebr. 9. — Luc. 1. — Isa. 1. — 2. Petri 1. — Matt. 5. — Luc. 24. — Matth. 23. & 15. — Pedes cathedræ Petri qui & quot. — Luc. 24.

biliter, quàm decentèr tenerrimus ille ligni vermiculus, de quo statim post cathedrā subinfertur. Quid enim vermiculo illi similius spirituali intellectu? Vermiculus siquidem ille ex aliquo ligni humore velut ex quadam occulta ipsius materia & accidentali calore secreta quadam vi naturæ exteriùs adhibita procreatur. Hic spiritualis intellectus ex duritia literæ tracta similitudine quasi quodam humore reperto, & calore Spiritussancti animum inspicientis inflammante pariter & illustrante, velut quodam sole aëre accedente extruditur. Hic velut tenerrimus ligni vermiculus quidam non violentia vtens alicujus percussionis, sed vicem obtinens vnctionis, literæ duritiam occulta quadam & subtili examinatione inflectēdo emollit: animum quoque inspicientis quadam vi voluntaria demulcendo compungit. Hunc vermiculum Paulus in cordibus auditorum suorū procreari volebat, cùm diceret. *Litera occidit, spiritus viuificat.* Petrus quoque id ipsum alijs verbis exprimit dicens. *Omnis Prophetia propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Ac si diceret. Si iuxta propriā interpretationem verba prophetica accipitis; ligni, imò lapidis potiùs duritiam, quàm intelligentiam capietis. Si autem Spiritu illo ducimini, quo fuerunt Prophetæ inspirati, in eorum verbis Spiritum & vitam inuenietis, & ex eis ipsi etiam vobis vitam cōparabitis: vt more teredonis sermo Dei in vobis operetur, & si non cito gressu, iugi tamen conatu quidquid in vobis durum est emolliens, & in similem sui commutans qualitatem. Hoc igitur teredone duce rimemur cætera, quæ in eadem litera subjunguntur; vt ex eis vitale aliquid ipsi percipientes tenerrimi illius vermiculi eximiam virtutem mox in nobis experiamur. Sequitur ergo, quòd occiderit hic sapientissimus octingentos impetu vno. Quid quæso vtilitatis ex litera ista, cùm legitur, fidelibus prouenit: qui non solùm occidere, sed etiam sine causa irasci homini prohibentur? Sed veniens Spiritus Domini, qui vt hæc scriberētur inspirauit, & qui in corde scribentis velut tenerrimus vermiculus quidam reconditus etiam hoc literæ sibi reconditorium præparabat, iam nobis in lucem prodeat: & omni duritia & obscuritate remota, quid in hoc facto voluerit præfigurari, declaret. Primò siquidem saluo altiori mysterio, si corpoream hujus fortitudinem spirituali Petri comparemus virtuti, incomparabiliter Petri inueniemus virtutem excellere, qui non solùm octingentos, sed etiam tria millia hominum vno sermonis sui impetu vna die baptizatos mundo legitur occidisse. Sed & octingentos vno impetu occidit, cùm in Simone omnes Simoniacos condemnauit dicēs, *Pecunia tua tecum sit in perditionē: quoniam donum Dei existimas pecunia possideri.* Quasi diceret. Gratiā Spiritussancti quæ septenario designatur, ad octonarij quæstum voluisti transferre, quæstum æstimans pietatem. Sed *non est tibi pars neque sors in sermone isto. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse,* dum octonarium rerum mundanarum, quæ per quatuor mundi partes ex quatuor elementis subsistunt, multiplicare contendis, & gratiam septiformis Spiritus, quæ amaritudinem aut tædium nullum habet, vænalem reputando contemnis. Octingentos quoque vno impetu sermo Apostolicus occidit, cùm hæreticos quosque ab Ecclesia condemnando præcidit. Sic Nicæna Synodus in Ario Arianos omnes vna sententia condemnauit: Constantinopolitana in Macedonio omnes Macedonianos, Ephesina Nestorianos in Nestorio, Chalcedonensis Eutychianos in Euthyce vno gladij spiritualis ictu peremit: quod hodie quoque per totum orbem Petri gladius facere non desistit, cùm iuxta prophetam carnes deuorare non desinit, carnalium hominum vitia vel corrigens, vel præcidens. Ecce hic gladius carnalibus inuenitur asperrimus, spiritualibus tenerrimus; sedentibus in cathedra, & eum de ipsa vibrantibus splendidissimus reperitur. Hæc autem sunt, quæ sedentibus in cathedra spiritualiter præ cæteris congruunt: scilicet lumen discretionis, zelus rectitudinis, & affectus pietatis. Secundum ista pro varijs subditorum meritis gladium verbi Dei circa impios oportet variari. Vnde beatus Benedictus, qui iustorū omnium spiritu plenus fuisse legitur, qualis debeat esse pastor in regula sua describens, ita ait. *Oportet eum esse doctum lege diuina, vt sciat vnde proferat noua & vetera.* Et in sequentibus. *Obedientes & mites vt in melius proficiant, obsecret. Duros verò corde & improbos vt duriùs increpet & corripiat, admonemus.* Spiritus quoque sanctus in igne super Apostolos apparens, hæc spiritualiter visus est figurasse. Ignis enim lucis habet splendorem, caloris suauitatem, vrendi asperitatem. Eadem etiam in tribus animalium faciebus designata videntur: vt qui officium pastorum suscipiunt, & vice animalium Ecclesiæ murum trahunt, faciem leonis exhibeant peruersis, faciem hominis simplicibus & mansuetis, faciem aquilæ spiritualibus & eruditis. Sic Paulus faciem aquilæ assumens, sapientiam loquebatur inter perfectos; facie hominis vtens lac potum paruulis propinabat; flebat cum flentibus, gaudebat cum gaudentibus. Faciem verò leonis, quoties oportuit, semper tamen coactus induens, Corinthium tradidit Satanę in interitum carnis; in promptu habuit vlcisci omnem inobedientiam, & omnem altitudinem extollentem se aduersus Christi scientiam deijcere non dubitauit. Sicque his faciebus vicissim, & absque confusione vti nouit, vt nec plus habens de leone, minus habere voluerit de homine; vel plus habere volens de homine, minus habuerit de leone: vel vtriusque horum deposita facie totus aquila voluerit apparere. Hac quoque discretione vsus beatus Papa Gregorius alios etiam vti docebat dicens. *Compassionem quippe homini, rectitudinem vitijs debemus, vt in vno eodem homine & diligamus bonum quod factus est, & persequamur malum quod fecit: ne dum culpas incautè remittimus, non jam per charitatem compati, sed per negligentiam condescendisse videamur:* id est, non tam hominē homini, quàm bouē exhibeamus. Sed si bouinum aliquid sanctis inesse dicere videamur, non eis bouinæ tarditatis vitium assignemus: sed quàm sit aptum hoc animal diuinis sacrificijs, attendamus. Hujus ergo animalis faciem soli Deo, non homini exhibemus, cùm in ara

Marginal notes: 2. Corint. 3. | 2. Petri 1. | 2. Reg. 23. | Act. 2. & 8. | Ibid. | Quatuor prima concilia generalia. | Deuter. 32. | Pastoribus tria præcip. necessaria. | S. Bened. in Reg. cap. 2. | Ezech. 1. | Greg. hom. 32. in Euangel.

cordis nos ipsos diuinis oculis immolamus: & hanc faciem sibi in canticis dilectus præcipit exhiberi, dicens. *Ostende mihi faciem tuam.* Ac si dicat. Hanc tuam reputo, quam tibi formas de tuo, quia in te materiam infirmitatis & culpæ causam inuenis, vnde meritò compungaris: & hanc mihi soli ostendi volo, qui solus remedium infirmitatis conferre valeo, solus culpā abolere sufficio. Nec videri debet contrarium huic sensui, quod sequitur. *Nam facies tua decora.* Quantò enim est quæque anima sibi ampliùs indecora, tantò oculis sponsi speciosior apparet. Has facies beatus Benedictus prælatos subditis exhibere docebat, cùm diceret. *Si delinquenti fratri Abbas adhibuit fomenta, si vnguenta adhortationis,* quod est faciē hominis exhibere; *si medicamina diuinarū scripturarū* quod faciem aquilę, *si ad vltimum plagas virgarum, exustionem excommunicationis,* quod est faciem Leonis: *exhibeat tandem quod majus est, suam & suorum orationem,* quod est bouis faciem adhibere. Et licet in hunc modū hæ facies exhibeantur proximo, specialiter tamen facies bouis orando, & facies aquilę contemplando debentur Deo: facies leonis, & facies hominis proximo. Vnde & hæ duæ, hominis scilicet & leonis non incongruè exprimuntur in illis duobus fortibus Dauid, qui primo ipsorum fortium subnectuntur. Leonis siquidem faciem prima facie nobis Eleazarus & re & nomine repræsentat, in eo quòd dicitur percussisse Philistæos, donec obrigesceret manus ejus cum gladio. Quid est enim obrigescere manum cum gladio, nisi absque vlla remissione zelum iustitiæ contra peccata & vitia inflexibiliter exercere, & velut in virga ferrea vel regendo subditos, vel motus illicitos comprimendo leonis insuperabili vti seueritate? Sed ad hoc agendum opus est Dei adjutorio, quod Eleazarus sonat, nec tam de propria virtute, quàm de Dei est auxilio confidendū; vt dicat qui hujusmodi est. *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Nihil enī secundum Apostolum, *nocere nobis poterit, si boni æmulatores fuerimus.* Sed caueat Eleazarus ne dum leonis exercet seueritatem, leonis incurrat austeritatem. Ista enim si adsit, odibilē, illa si desit contemptibilē reddit. Vnde in Ecclesiastico legitur. *Non sis quasi leo in domo tua, euertens domum tuam, & opprimens subditos tibi.* E contrario legitur de Iuda Machabæo. *Similis factus est leoni in operibus suis, & persecutus est iniquos perscrutans eos; & qui conturbabant populum suum succendit flammis. Et repulsi sunt inimici præ timore ejus; & exacerbabat Reges multos; & lætificabat Iacob in operibus suis. Et directa est salus in manu ejus, & congregauit pereuntes.* Sic & de hoc Eleazaro dicitur, quòd facta per eum salute magna, populus qui fugerat reuersus est ad cæsorum spolia detrahenda. Ecce quantum prodest populo facies leonis in magistro. Sicut enim vbi non est gubernator, populus corruit: & sicut væ terræ cujus est Rex puer, & cui effœminati dominantur: sic dissipat impios Rex sapiens, & curuat eos fornice. Roboam siquidem dominante populus sub Dauid congregatus diuiditur: Iuda vel Eleazaro triumphante qui perierant congregantur; & qui fugerant, ad cæsorum detrahenda spolia reuertuntur. Sequitur in fortibus Dauid Eleazarum Semmaa, de quo legitur, quòd cùm fugisset populus à facie Philisthijm, stetit ille in medio agri lente pleni, & tuitus est eum, percussitque Philistæos, & fecit Dominus salutem magnam. Semmaa iste audiens interpretatur: in quo apertè faciem hominis intuemur, cùm prælatum cernimus aures propitias subditis inclinare, clamorem pauperum efficaciter exaudire, vociferantē eripere de manu fortiorum, egenum & pauperem à diripientibus eum. Sed ne in hoc Semmaa, vel in porta vndecima, propter vndecim saga cilicina, & vndecimum Psalmum, qui sanctitatis defectū deplorat, diminutionem aliquam suspicemur; sub altero principio factum ejus subtiliter indagemus. Ipse autem semper alpha & O sit sermonis nostri, qui vniuersorum principium est & finis: & sine principio & fine permanet in sæcula sæculorum.

[Margin: Cant. 2.; S. Bened. c. 28. Regul.; Psalm. 117.; 1. Petri 3.; Eccli. 4.; 1. Macha. 3.; 2. Reg. 23.]

*Tractatus* 10. *De tribus Prælatorum ordinibus, & Cleri supra populum exaltatione.*

AD portam vndecimam accessuri, priusquam agrum lente plenum, quem Sammaa in ea tuetur, intremus, libet intueri in his tribus robustis fortium Dauid, per quos prælatos diximus designari, tres distinctè expressos ordines Prælatorum: qui sicut hodie in Ecclesia distinguuntur, ita & apud Ethnicos, apud Iudæos, & in nouo testamento à Domino inuenimus distinctos. Apud Gentiles quidem simplices sacerdotes templorū Flamines, majores Archiflamines, maximi Protoflamines. In veteri quoque testamento summi sacerdotes in anno semel in sancta sanctorum introibant. Minores sacerdotes quotidie tabernaculum intrantes sacrificia consummabant. His quoque Leuitæ velut minimi subseruiendo ministrabant. In nouo autem testamento Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui secundum Apostolum columnæ erant aliorum, dextras dederunt Paulo. Dominus quoque Petrum, Iacobum & Ioannem assumens duxit in montem excelsum, & ostendit illis gloriam suam. Istorum vice hodie in Ecclesia sunt Primates & Archiepiscopi instituti, vice aliorum Apostolorum Episcopi. Fuerunt etiam præter Apostolos & alij septuaginta duo à Domino designati, & missi in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus: quibus specialiter dictum est ab eo. *Ecce ego mitto vos, sicut oues inter lupos.* Loco istorum sacerdotes hodie plebibus præferuntur, quos Semmaa iste propriè designare videtur, sicut & superiores ordines duo præmissi fortè manifestè demonstrant. Primates & Archiepiscopos primus sedens in cathedra, qui & sapientissimus asseritur: quia quantò sunt cæteris superiores, tantò & esse conuenit sapientiores. Nam & aquila quæ alijs auibus dicitur præeminere, clariùs etiam omnibus oculos noscitur infixos luci tenere. Episcopos Eleazarus, qui rigidissimus fuit, sicut & ille sapientissimus. Nam sicut leo cæteris bestijs fortitudine noscitur præeminere, sic Episcopos rigidiores minoribus Sacerdotibus, & constantiores conuenit apparere. Minoribus quippe, quibus dictum est. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos,* pietas specialiter congruit, & mansuetudo, vt nulla se-

[Margin: Galat. 2.; Matt. 17.; Matt. 10.; Luc. 10.]

ditiosarum plebium inquietudine, nulla improbitate ad rancorem vel odium prouocentur; sed sicut agni mansuetissimi luporum rabiem sustinentes, illum qui sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutuit, infatigabiliter imitentur. Attendant subtiliter factum Semmaa, in quo quid eis agendum sit, plenius edocentur. Ipse siquidem agrum lente plenum à Philistæis tuitus esse perhibetur. Quis iste ager est, nisi vita terrena, cujus agri Cain primò, deinde Esau factus est agricola? Econtrà Abel pastor ouium, Iacob vir simplex habitans in tabernaculo. Bene in Abel, qui primus obtulit & oblatus est sacrificium Deo; & in Iacob, qui primus vnxit lapidem, & erexit in titulum, fundens oleum desuper, nostrum est sacerdotium præfiguratum, quod his duobus sacramentis, incorruptibilis scilicet hostiæ immolatione, & sacri chrismatis delibutione specialiter noscitur institutum. Specialiùs tamen in Iacob, qui etiam decimas offerendo, & in duorum hœdorum morte, tanquam in gemina, carnis scilicet & spiritus petulantiæ mortificatione, & proprij nominis alteratione, ea quæ hodie in Ecclesia obtinent, velut historialiter noscitur expressisse. In Cain verò & Esau terrenus est populus rectè præfiguratus, quorum primus inuidia & odij fraterni scelere tabefactus à facie Domini est ejectus: alter dum venatur in agro, domi est supplantatus à fratre, & oppidò lassus de agro reuersus libenter primogenita dedit pro rufa lenticulæ coctione. Non mirentur sacerdotes, cùm vident hodie laïcos inuidiæ stimulis agitari: timeant autem laïci, qui tales se sentiunt, à facie Domini se cum Cain expelli. Sed & si se à lumine diuinæ sapientiæ experiuntur ejectos, non tamen ad laqueum desperationis recurrant, sed Deo humiliter subjecti ab iniquitate declinare contendant. Non autem conturbentur & doleant cùm sint priores natu, si clerum sibi conspiciūt præeminere: sic quippe futurum Dominus præordinauit, & præordinatum in Iacob & Esau præsignauit. Isaac siquidem cùm benediceret Iacob, Domino inspirante sic ait. *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti vini & olei, & seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, maledictus erit, & qui benedixerit benedictionibus repleatur* Econtrariò dictum est Esau. *In pinguedine terræ & in rore cœli desuper erit benedictio tua. Viues in gladio, & fratri tuo seruies.* Ecce quàm manifestè statū vtriusque, cleri scilicet & populi Christiani Spiritussanctus in his verbis expressit. Clero siquidem non solum rorem cœli, sicut quidā blasphemant, sed & de pinguedine terræ abūdantiam pleniorem concessit. Seruitutem etiā populorum, adorationem tribuum, & dominationem fratrum suorum, & incuruationem expressit: in quibus omnibus, non latriam quę soli Deo debetur, sed duliam intelligimus; quæ & Angelis & sanctis hominibus, sanctorumque quibuslibet successoribus exhibetur. Popularibus autem Cleri seruitutem indixit, & viuendum ei gladio, & in pinguedine terrę benedicendum prædixit. Nam etsi ei rorem cœli concessit, non tamen roris cœli abundantiam: & ipsum rorem, non in se habituros, sed desuper à Clero, & post terræ pinguedinem percepturos prædixit. Sed non solùm quid sit per Isaac à Domino prædictum, sed & quid inter ipsos fratres actum sit attendamus. Esau siquidem primogenita fratri libens primò, & ea paruipendēs leuiter concessit. Sed postmodum concessisse se dolens ad persecutionis tyrannidē se conuertit. Sic & Constantinus Romano Pontifici regni insignia, coronam scilicet & purpuram regalem deuotus primò obtulit, quod in vestibus Esau valde bonis Iacob à matre concessis præfiguratum fuit: sed & in successoribus suis eidem postmodum exilia intulit, mortem etiam cōminatus, iniurias multas inflixit: sed tandem Esau Iacob patientia & longanimitate deuictus, diuinæ sententiæ quamuis inuitus acquieuit; & conductum ei atque defensionem, potiùs tamen ex simulatione quàm ex deuotione, obtulit: quam & Iacob sapienter, & prouidè recusauit dicens. *Nosti, quòd paruulos habeam teneros, & oues fœtas, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur omnes vna die.* Quæ omnia apud sacræ Scripturæ gnaros expositione non indigēt sed tantum rememoratione. Illud autem potissimùm videtur attendendum, quo iure, quibusue ex causis minor natu primogenito sit prælatus: & prima quidem facie ius in euidenti esse videtur, quòd Iacob lentem quam coxerat, non antea fratri instanter petenti concessit, donec ille primogenita sponte cessit. Sic & clerus eodem etiam iure populis est prælatus, cùm carnis & sanguinis opera velut rufam lēticulæ coctionem, licet gustum suauem, tamen visui nociuam à se abijciens, populis cedendo concessit. Illi verò velut animales, & quæ sunt Spiritus Dei minimè percipientes, eadem carnis opera velut summum aliquid retinentes, maluerunt carnalibus & sæcularibus implicari, quàm Deo militando in spiritu ambulare. Clerus verò verbum Apostolicum libenter amplectens, illud scilicet, *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis*: illud etiam non surda aure audiens, *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Et, qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Et, qui *in delicijs est, viuens mortuus est*: Spiritu facta carnis mortificare, vt viueret, præelegit. Iustè igitur sicut spiritus carni, sic spiritualiter viuentes carnaliter sapientibus præferuntur. Ecce primogenita, quæ lentis non comestio, sed concupiscentia Esau abstulit, Iacob eiusdem lentis despectus contulit: & primatum Clerus ex continentiæ castitate promeruit, quam carnalis concupiscentiæ suauitate, velut quadam rufa lentis decoctione pluris duxit. Est & alia hujus præposterationis causa, pius scilicet nostri Iacob dolus, qui carnem peccati velut quandam hœdi pellem assumens, in similitudinem carnis peccati venire voluit, tentatus per omnia pro similitudine absque peccato. Hunc pietatis dolum matre gratia operante, Iudæorum populus, velut pater cœcus ignorans benedictionem quam Isaac Iacob verbo dederat, opere in Christo nesciens adimpleuit. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Huius ergo nostri veri Iacob merito, qui non tam vngendo lapidem, quàm seipsum vnctū lapidem exhibendo, vnctus oleo lætitiæ præ

*Sacerdotium nouæ Legis.*

*Clerici laïcis prælati, vt Iacob fratri Esau Gen. 27.*

*Ibid.*

*Dulia Sanctis debita.*

*Genes. 33.*

*Galat. 5.*

*Roman. 8.*

*1. Timot. 5.*

*1. Corint. 2.*

consortibus suis, coronatus & oblatus in cruce verus nobis Rex factus est, & sacerdos, illi etiam qui sacerdotio funguntur ei, genus electum, regale sacerdotium, iustè dicti sunt & effecti, benedictionem paternam velut filij spiritualis Aaron iure hereditario possidentes. Sed inter hæc meminerit noster Semmaa vtendum sibi esse, non gloriandum potestate quam accepit in ædificationem, non in destructionē. Sciat tuendum sibi traditum agrum lente plenum, potiùs quàm demetendum: prohibitum sibi lentis esum, carnalium scilicet operum delectationem: agri sibi commissam defensionē. Studeat igitur spiritualis Semmaa carnalem populum velut agrum lente plenum tueri, saltem à criminalibus peccatis: si non à concupiscenda vxore proximi, saltē ab adulteranda: si non à re eius concupiscenda, saltē à rapiēda: si nō ab odio, saltē ab homicidio. Tueatur pauperes ab iniurijs diuitū, diuites à laqueis dęmonū, docēs eos nō superbè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum: dicens eis, quia qui volunt diuites fieri, incidunt in tentatione, & laqueū diaboli. Caueat autem idem Semmaa, ne solā vocem Iacob retinendo, manus Esau non tam simulare, quàm habere dolis & fallacijs, velut pilorum asperitate & subtilitate versutas inueniatur. Nam & tales aliquos sacerdotes futuros Spiritussanctus ex illo facto videtur innuisse, & Dominus hoc ipsum in Scribis & Pharisæis arguens, *Super cathedram*, inquit *Moysi sederūt Scribæ & Pharisæi; quæ dicunt, facite: quæ autē faciunt, facere nolite.* In quib' verbis quid aliud dicere videtur, nisi, *vox quidem vox Iacob est; sed manus manus sunt Esau*? Verùmtamen propter sacerdotij reuerentiam, cathedræ deferatur, voci obediatur. Timeant tamen sacerdotes, ne qui propter vocem Iacob, & propter lentis contemptum benedictionem meruerūt; propter manus Esau & lentis concupiscentiam cum Presbyteris Babilonicis mortis maledictionem incurrant. Primus siquidem illorum pro fraudulentis & iniquis iudicijs condemnatus audiuit. *Nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris priùs, iudicans judicia injusta, innocentes opprimens, & dimittens noxios.* Vnde & damnationis suæ sententiam accepit, Spiritu sancto per os Danielis dictante atque dicente ei, *Cum ilice pereas.* Ilex siquidem iugem retinet foliorum virorem: fructum autem profert porcis potiùs, quàm humanis vsibus aptum. Quid est autem viror foliorum, nisi integritas & sanorum vigor verborum? Quid verò fructus porcorum nisi opera carnis, quę ennumerans Apostolus post flagitiosa etiam facinora, subintulit dicens, *Veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, inuidiæ, homicidia?* Quid est etiā dicere, *cum ilice pereas*, nisi quod subiungit Apostolus, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*? Secundus denique de flagitio velut de lentis edulio condemnatus audiuit. *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* Vnde & per sententiam subiunctum est. *In lentem comminuet te Angel'.* Meritò qui lentē alijs cōcesserat, & carnalibus illecebris velut quibusdam minimis spiritualia & cœlestia velut summa prætulerat, adminuta rediens in eis comminuitur, vt iam non nisi ima sapiat, & ad capienda cœlestia non assurgat. Hæc de tribus robustissimis Dauid ad pręsens dicta sufficere possent; si non aquam Bethleemiticam cum Dauid sitiremus, nec videatur posse satisfieri siti nostræ, nisi eadem nobis aqua non bibenda, sed libanda Domino offeratur. Quod horum trium robustissimorum mysterio tunc iuxta literam factum fuit, & postmodum à spiritualibus spiritualis Dauid fortissimis spiritualiter noscitur esse factum. Apostoli siquidem & eorum successores quos per tres fortissimos Dauid diximus intelligendos, de cisterna legis Mosaicæ, quæ alibi piscina dicta est, quinque porticus habens, aquam spiritualis intelligentiæ non minùs fortiter, quàm subtiliter elicuerunt, & iuxta Salomonē fortiter prementes legis vbera, non solum lac moralis scientiæ, sed etiam butyrum sensus allegorici expresserunt. Tantò autem fortiùs id ab eis factum apparet, quantò ab inimicis Dauid Scribis & Pharisæis, qui carnaliter legem intelligebant, eadē cisterna studiosiùs obsessa cingebatur, & obseruata diligentiùs claudebatur. Irruperunt siquidem Apostoli castra inimicorum, cùm, sicut in Apostolorum actibus legitur, congregati principes & seniores & scribæ in Ierusalem, & Annas princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali, statuerunt in medio Petrum & Ioannem, interrogantes eos. *In qua virtute, aut in quo nomine facitis hoc vos? Tunc Petrus repletus Spiritu sancto dixit ad eos. Principes populi & Seniores audite. In nomine Iesu Christi Nazareni quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput Angeli. Deus autem qui prænuntiauit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, impleuit sic. Moyses quidem dixit, Prophetam vobis suscitabit Deus de filijs vestris, tanquam me ipsum audietis. Et omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. Et omnes Prophetæ à Samuel & deinceps, annuntiauerunt dies istos. Vos estis filij Prophetarum, & testamenti, quòd disposuit Deus ad Patres nostros dicens ad Abraham. In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Paulus quoque per medias acies inimicorum transiens, & fiducialiter Iesum eis annūtians, ait. *Annuntiamus vobis eam quæ ad patres nostros facta est, repromissionem, quoniam hanc Deus adimpleuit filijs nostris, resuscitans Iesum, sicut & in psalmo secundo scriptum est. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Aliàs quoque dicit, Non dabis sanctum tuum videre corruptionē.* Quibus contradicentibus Iudæis, & repletis zelo, Paulus & Barnabas constanter dixerunt. *Vobis oportebat primum loqui verbū Dei: Sed quoniam repellitis illud, ecce conuertimur ad gentes.* Ecce aqua spiritualis intelligentiæ Iudæis ablata, Gentili populo ab Apostolis oblata, & in eis ipsi Dauid, qui de Gentili populo mediante Ruth ex Moab duxit originem; quæ & ipsa nobis aquā spiritualiter intellecta propinat: sed nos ad alia tendentes, quod cœpimus, breuiter prosequamur. Sanè quòd Dauid aquam desideratam non bibendam sed libandam Domino dignū duxit, in nobis sine dubio signat, quòd noster Dauid Christus aquā quam prædiximus, non quæsiuit sibi ad humanæ infirmitatis, quam susceperat, remedium; sed in diuinæ naturæ, quæ seipsam ad

*1. Petri 2.* — *1. Timot. 6.* — *Non debent prælati solā vocem Iacob habere, & man' Esau.* — *Matt. 23.* — *Genes. 27.* — *Daniel. 13.* — *Galat. 5.* — *Daniel. 13.* — *Prouerb. 30.* — *Actor. 4.* — *Actor. 3.* — *Actor. 13.*

*Fidei argumentū prædictio futurorum.*

hominem inclinauerat, argumentum. Quod enim est fidei nostræ certius argumentum, quã quòd ea quæ à Christo facta pro nobis credimus, à Prophetis prædicta longè antè cognoscimus, & in veteri testamento, velut in cisterna Bethleemitica aquam limpidissimam recõditam inuenimus? Sic quippe Isaias ait. *Annũtiate quæ ventura sunt in futurum; & sciemus quia dij estis vos.* Nos quoque si aquam spiritualis scientiæ desiderando sitimus, non eam ad pręsentis vitæ fallacem & fugacem gloriam requiramus; sed ad placandum nobis Deum, & ad imbuendos proximos eam à Domino, sicut ait Iacobus, postulemus: & totum ei in nobis, quidquid adepti fuerimus adscribamus, dicentes cum Apostolo, *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Sanguis autem iudicata est à Dauid aqua ista; quia sicut vita carnis in sanguine est, sic vita animæ in sapientiæ calore consistit. Quòd autem iuxta portam Bethleemiticam cisterna hęc fuisse describitur, non aliud esse videtur, quàm vetus testamentum, in quo veteres historiæ velut aquæ nubiũ esse, quod non tam cisterna vel puteus, quàm fons puteus, & porta aperta ciuitatis nostræ Bethleem ab ipsius ciuitatis incolis comprobatur. Hanc portam conuenientissimè beatam Mariam dixerim, de qua in Bethleem Iudæ natus est Christus, velut fons ascendens de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ; & fluuius egrediens de loco voluptatis ad irrigandum paradisum; qui in quatuor Euangelia, quasi in quatuor capita diuisus, orbem vniuersum fœcundat. De hac nobis nostræ ciuitatis duodecima porta grandis nobis est sermo, & tantò interpretabilior ad dicendũ, quantò auditores auidiores fore confidimus ad audiendum. Quantò autem est hæc materia dignior, tantò nouum ei principium assignari dignius esse cognoscitur, vt ad tantam materiam corda legentium quiete modica releuata ardentiùs præparentur. Ipse autem semper Alpha & O sit sermonis nostri, qui &c.

*Isai. 41.*

*2. Corint. 3.*

*Genes. 2.*

*Tractatus II. De porta duodecima Ciuitatis Dei, B. Virgine Deipara.*

De gloriosissima Domini Dei nostri incorrupta matre & Virgine tractaturi, gloriosissimum filium eius Dominum nostrum suppliciter exoramus, vt quæ Scripturis sacris de ea gloriosè inseri voluit, nobis reuelare dignetur: & ea nos de ipsa loqui doceat, quæ & si non eius congruant dignitati, nostræ saltem indignitati conueniant, nostrę satisfaciant deuotioni, & vel paruulorum sufficiant lectioni. Igitur quàm multiphariè quãque multis modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis eam magnificè commendare voluerit, quidã attendens, in hanc vocẽ metro ludens erupit, *Multa de te sunt Prophetæ locuti præsagia; non ignari singulari te ditandam gratia. Nam qui nasci atque pasci, tua carne voluit, Nec scripturis nec figuris tuas laudes tacuit.* Priùs autem quàm ad e.. quæ à Prophetis & Patribus de ipsa dicta & figurata dicuntur, accedamus; attendendũ diligentiùs, & dicendum esse videtur, quòd hæc duodecima nostræ ciuitatis porta, de qua tractare habemus, præmissarum portarũ prima sit & suprema. Prima ordine, dignitate suprema. Ab ipsa quidem cæteræ portæ habuerunt initium, in ipsa obtinent fulcimentum, per ipsam recipiunt complementum. Ipsa quidem in eminentiori parte ciuitatis sita, aliis ministrat lucem, gloriæ dignitatem confert, affert consummationem. Ex ipsa namque sacramenta nobis omnia profluxerunt, gratiarũ omnium charismata & exempla virtutum non minùs delectabiliter quàm mirabiliter effulserunt. Denique ipsis etiam Apostolis primò per eam velut per orientalem portam nostræ redemptionis primordia patuerunt. A quo enim meliùs, quæ de nostri Redemptoris infantia scripturi & prædicaturi erant in vniuerso mũdo, ac fideliùs potuerunt addiscere, quàm ab ea quæ omnia viderat & audierat, & manibus suis tractauerat, firmiter conseruauerat conferens in corde suo? Vnde eis nisi per eam innotuit, Angelicũ illud *Aue* mundo tam suaue? Vnde tota ipsius Angelicæ salutationis series, cuius singula verba, velut cuiusdam diuinæ epistolæ per Angelum allatæ, sed Spiritu sancto dictante, oracula sunt diuina? Vnde ipsius responsio Virginis, & ipsius Angeli, qualiter quæ dicta erant ab eo fieri deberet, instructio, & conceptus Elizabeth tam prænuntiatio Angelica facta ad Zachariam, quàm annuntiatio edita ad Mariam? Vnde Mariæ Ascensio ad montana, & ad salutationem eius Propheticũ Elizabeth responsum, & ipsius Mariæ canticũ non magis Propheticum, quàm profundum? Vnde tandem Domini nostri stupenda & veneranda, ipsisque cælestibus miranda natiuitas, pannorum inuolutio, reclinatio in præsepiũ, angustia diuersorii, Angelica apparitio ad pastores, Euangelizatio magni gaudij quod foret omni populo, hymni Angelici decantatio gloriosa? Hæc omnia Maria conseruans & cõferens in corde suo, portam se clausam vsque ad octauam Circũcisionis diem mundo exhibuit: quæ iam Spiritu sancto reserata filio Dei patuerat, & non soli Gabrieli, sed etiam multitudini cęlestis exercitus patefacta luce clariùs resplendebat. Hæc etiam octauo filij sui die mundo cœpit sensim aperiri, ne si subitò totam se aperiret, oculis minùs sanis non tam lucem fulgore, quàm cœcitatem inferet. Ea igitur die nomen illud suaue auribus, dulce ori, in corde iubilum, quod sola & prima ab Angelo didicerat, filio suo imponens, velut stella matutina solis nouiter orientis mundo lumen inuexit. Nonne per huius nominis impositionem dicere ad singulos; dicere ad omnes tibi videtur, *Non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat saluos fieri?* In quo *qui benedicendus est, benedicetur in Domino amen.* Hoc siquidem nomen efficax inuenitur, non solum ad obtinendam salutem, sed etiam ad promerendam benedictionem; non solùm saluat, sed etiam sanctificat: saluat à pondere peccatorũ, saluat ab insidijs tentationum, saluat à temporalium periculis varietatum. In hoc namque nomine omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Flectitur virtus infernalium nequitiarum, ne tentando noceant; flectitur elatio & cupiditas hominum terrenorum, ne peccato consentiant, flectitur etiã virtus cœlestium Spirituum ad huius nominis inuocationem, vt subueniendo periclitantibus

*B. Virgo porta est orientalis, per quã patuerunt salutis primordia.*

*Luc.*

*Act. 4.*
*Isa. 65.*

*Nominis Iesu efficacia.*

condescendat. Sic sic cultores huius nominis saluantur & liberantur à malo. In hoc etiam nomine benedicuntur, promouentur, & confirmantur in bono: secundum quod orat Sacerdos in Canone Missæ, vt oblationem suam benedictam, ascriptam, ratam, Deus facere dignetur. Benedictam ad sanctificationẽ, ascriptam ad perfectionem, ratam ad confirmationem. Sic quippe fieri solet in concessionibus Principum, siue institutionibus testatorũ. Primò namque apud Principem vel precibus, vel alio modo, rei alicuius concessio nuda obtinetur: dehinc vt concessio redigatur in scripturam ad perfectionem elaboratur: tandem, vt scriptura sigillo principis ad confirmationem roboretur. In hunc etiam modum vt benedictio Domini sit plena, primò fœcundãda sanctificat, dehinc perficiendo multiplicat, tandem corroborando confirmat. Sed hoc non nisi in Domini nomine alicui⁹ benedictio operatur. Legitur Iob benedixisse Dominum, sed nomen Domini collaudando, dicens. *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Legitur Dominus benedixisse Abrahæ, sed suum ei nomen reuelando & cõmendando dicens. *Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus.* Legitur Isaac benedixisse Iacob filio suo, sed in nomine Domini, dicens. *Det tibi Deus de rore cœli,* & cæt. Hæc triplex benedictio in Scripturis frequenter reperitur. Prima, qua Deum benedicimus dicentes, sit nomen Domini benedictum: & hãc signat principium Episcopalis benedictionis, quæ primò fit in pectore, quia primò benedicendus est Deus pro iã acceptis donis quę intrà sunt, vt dicamus cum Propheta. *Benedic anima mea Domino, & omnia quae intra me sut nomini sancto eius.* Secundò petenda & expectanda de ipsius benedictione & adiutorio gratiæ, quæ nondum habemus. Absque ipsius nãque adiutorio nihil boni facere possumus: & hoc non solum corde credere, sed & in facie Ecclesiæ confiteri debemus, secundum illud. *Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Hoc ostenditur in eo quòd Episcopus signo crucis faciem suã muniens, confitendo clara voce dicit. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.* Tertiò ipsum populũ signans, benedictionem suam in inuocatione S. Trinitatis concludit. Prima harum benedictio dici potest Domino attributa, secunda à Domino retributa, tertia in populo distributa. Attribuenda siquidẽ est nomini eius gratia & benedictio pro donis suis, vt dicamus ex affectu & deuotione *Benedictus Deus in donis suis* Benedicendus etiam in omnibus operib⁹ suis, iuxta illud Prophetę. *Confiteatur tibi Domine omnia opera tua.* Et illud quod in eodem psalmo legitur. *Fidelis Dominus in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Benedicendus quoque in maiestate sua. Quem ordinem videtur seruasse propheta, vbi ait. *Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus: & benedictum nomen majestatis ejus in æternum.* Nam pro donis suis eum benedicendo præmiserat. *Sit nomen ejus benedictum, ante solẽ permanet nomen ejus: & benedicentur in ipso omnes tribus terræ.* Retribuitur autem sic benedicentibus Deum larga Dei benedictio: aliquando in affluentia temporalium: aliquando in exteriorum eminentia gratiarum; aliquãdo in spiritualium largitione virtutum: & hanc vltimã cęteris præferendam cõmendasse videtur Apostolus, vbi ait. *Benedictus Deus, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus.* Nã cæteræ benedictiones communiter dantur & bonis & malis: imò frequentiùs malis quàm bonis. Sed non est inuidiosè aut auarè occultanda aut retinenda à bonis: quia qui abscondit frumenta, maledicetur à populis: sed sicut gratis accepta, & ita & gratis danda, piè est distribuenda. Distribuitur autem in minores à maiori benedictio spiritualis, aut imprecando eis bona quæ nondum habent, sicut est illud, quod dictum est Rebeccæ à parentibus. *Crescas in mille millia: & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Aut congratulando eis pro bonis quæ iam habẽt, sicut illud Raguelis ad Tobiam. *Benedictio sit tibi fili mi, quia boni & optimi viri filius es.* Aut prophetando, sicut fuit benedictio Moysi ad Ioseph dicentis. *De benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli, & rore, atque abysso subjacente. De pomis fructuũ solis ac lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum, & de frugibus terræ, & de plenitudine ejus.* In quibus verbis saluo altiori mysterio prædicta triplex benedictio inuenitur expressa. De pomis enim & rore cœli, & abysso subiacente procedit benedictio, cùm ex intimo cordis affectu homo pro gratuitis beneficijs Deum benedicit, dicens cum Propheta. *Clamabo ad Deum altissimum, Deum, qui benefecit mihi. Misit de cœlo & liberauit me. Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam:* & per hæc quasi cœli poma dulcissima liberauit me. De pomis fructuum solis & lunæ homo à Deo benedicitur, cùm donis spiritualibus & temporalibus bonis ab eo cumulatur. De vertice autem montium antiquorum, siue de pomis collium æternorum, ad terram frugibus plenam descendit benedictio, cùm de sublimitate vitæ siue doctrinæ Doctorum orthodoxorum subditi debriantur; vel meritis & orationibus spiritualiũ virorum sola æterna quærentium, inferiores quique ac debiles adiuuantur. Latent tamen sublimiora quædam in his verbis mysteria: quæ si subtiliter enucleentur, portæ de qua loquimur, dignitatem & gloriam pleniùs reserabunt. Ioseph siquidem Dominum nostrum Iesum Christum, non solùm nomine, sed & fratrum venditione, & Ægypti dominatione, & occultorum prophetica interpretatione apertè præfigurasse, nemo qui dubitet. Terra autem eius caro est immeratæ beatæ Virginis Mariæ, de qua Christi caro processit, de sola Domini benedictione Sancti spiritus operatione concepta, cuius benedictionis mysteria Moyses in Spiritu mirabiliter præuidens, mirabiliùs sub tanto verborum inuolucro prænuntiare curauit dicens. *De pomis & rore cœli, & abysso subjacente,* & cætera. Ros cœli gratia est Spiritussancti. Quędam velut abyssi subiacentis exhalatio vis est humanæ naturæ, & animalis sensuum vegetatio. His duobus caro Virginis fœcundata velut terra bona & optima, pomum non ligni scientiæ boni & mali, sed ligni vitæ ex se non interdicendum, sed omnibus exponendum, produxit. Huius fœcundæ generationis, scilicet Incarnationis Christi mysterium, in prima cæli

*Iob. 1.* *Genes. 17.* *Ibid. c. 27.* *Genes. 27.* *Psal. 102.* *2. Rom. 10.* *Psal. 144.* *Psal. 71.* *Ephes. 1.* *Genes. 24.* *Tobiæ 7.* *Psal. 56.* *Genes. 49.*

& abyssi creatione Deus mox figurauit, & velut quædam poma odorantia viris spiritualibus præparauit. Nec contentus est hæc poma sola amicis reponere, sed & Christi mysteria & Ecclesiæ, velut poma fructuum solis & lunæ eis voluit reuelare. Quid enim aliud sensisse videtur propheta, qui ait, *Eleuatus est sol, & luna stetit in ordine suo*, nisi quod eleuato Christo ad dexteram Patris, velut sole iustitiæ in meridie constituto, & status Ecclesiæ confirmatus, & Christianæ religionis ordo sit solidatus? Quid ille qui ait, *Sol & luna steterunt in habitaculo suo*, nisi iustitia & pace se inuicem osculantibus, Christum & Ecclesiã post multas hæreses in vnitate fidei mansionis suæ habitaculum posuisse? Sed & ipse Moyses non alia videtur poma odorasse, nisi Christi & Ecclesię fructus eximios, velut solis & lunæ poma suaue olentia commẽdando. Huius etiam pomis ad cumulum benedictionis adduntur vertex antiquorum montium, & poma collium æternorum, fruges denique terræ & plenitudo eius. Montes antiqui Patriarchæ & Prophetæ meritò sunt intelligendi: montes pro virtutis humanæ & diuinæ reuelationis sublimitate: antiqui, pro factorum & dictorum suorum irrefragabili & summa authoritate. Omnium autem Patriarchalium promissionum & visionum, omniumque Propheticarum locutionum & reuelationum eminentior vertex Christi fuit humanitas: & summa eorum intentio, quæ de Christi natiuitate, baptismo, prædicatione, sepultura, resurrectione, & gloriosa ad cœlum ascensione, in spiritu præuidebant, verbis prænuntiare, figuris & ænigmatibus præsignare. Ad hunc verticem Moyses ipse ascendere cupiens, volens videre, quomodo rubus arderet & non cõbureretur, repressam pręsumptionem suam humiliter cõfitetur, vbi audisse se dicit. *Ne appropies huc. Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Quod ergo plenè videre non potuit, plebeios multos manifestè visuros præuidit, & hanc eis benedictionem inuidit; sine inuidia tamen; ad amplectendam tantam benedictionis dulcedinem omnes his verbis posteros inuitauit. Sed & poma colliũ æternorum, si non prægustasse, tamen odorasse videtur: quæ non solùm odoranda, sed etiam degustanda præuidit benedictis, vel quando audituri sunt, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*: Vos enim *estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis; & ego dispoſui vobis regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*: Vel cùm etiam in præsenti ascendente homine ad cor altum, vt exaltetur Deus, iam Christum secundum carnem non cognoscit; sed Christum Dei verbum & Dei sapientiam, Deo consubstantialem & coæternum, adhærerẽdo æterno factus jam ex parte æternus, & secundum Apostolum fruendo Deo vnus spiritus factus: vt velut collis æternus poma non immeritò proferat incorrupta. Sed ne noster Ioseph tantùm in cœlestibus & montanis pasci, & non nisi in montanis cubare videatur, etiam fruges terræ, qui sunt quilibet fructus digni pœnitentiæ, & eos qui pleniores sunt, fructus iustitiæ, dicitur acceptare. Possent etiam & aliter verba ista exponi: sed quia ad alia festinamus, breuiter ea tangendo potiùs quàm exponendo percurrimus.

Abac. 3.

Christus Prophetiarum finis.

Exod. 3.

Matt. 25.

Luc. 22.

Moyses igitur Iesum nostrum in Ioseph benedicens, & ipsius præconia benedicendo prædicens, primò capitis vnguentum prosequitur, dehinc quomodo sit in membra diffusum, etiã vsque in orã vestimenti descendisse describit. Capiti igitur vnguentorum copiam cælitus infusam præ consortibus suis prospiciens, in pomis cœli cœlicum castitatis ipsius odorem & incorruptum cœlibatus ipsius notat candorem: in rore fœcundissimæ charitatis ejus suauitatem: in abysso subjacente subjectam & mitissimam ipsius humilitatem. His vnguentis optimis caput nostrum in ipso suo exortu fragrasse, & ea à capite in membra defluxisse, satis ostensum est, cùm de fundamentis antea tractaretur. Sed quę in capite fuerunt poma cœli, in membris poma solis & lunæ dicuntur; quia quæ consortes habuerunt per gratiam & industriam, Christus habuit per naturam. Meritò ergo solis & lunæ poma nominantur, quę sub solis & lunæ instabilitate mutabiliter obtinentur. Nam Christi virtutes supra solem & lunam inuariabiliter constitisse firmiter asseruntur; & ne hæc poma tam noua, tamque insolita, immatura fortè aut marcessibilia viderentur; de vertice montium antiquorum, & de vertice collium æternorum fuisse proponuntur. Vertex autem montium antiquorum fuit ad Patres antiquitus de Christo facta repromissio. Vnde Apostolus. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus.* Omnium illarum promissionum summam, & velut verticem fuisse iliam, quæ de Christo facta est, probatur, cùm subditur. *Non ait & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus.* Hanc autem promissionem testamentum vocat Apostolus, confirmatum à Deo per legem & Prophetas. Non enim ex lege promissio, sed ad promissionis confirmationem & cooperationem propter transgressiones velut pædagogus posita est, ordinata per Angelos, signa multa & magna operantes ad ejus confirmationem. Non solùm autem per Angelos, sed etiam Prophetarum dictis prædictæ promissionis confirmatum est testimonium. Ipsi enim promissionem de Christo factam intelligentes, & velut iam impletam in spiritu prę-uidentes, præterita & futura præsentialiter contuendo, quandam ęternitatis speciem sunt adepti, secundum illud Isaiæ. *Ventura annuntiate nobis; & dicemus, quia dij estis vos.* Hi igitur, quot nobis in Scripturis suis de Christi aduentu monimenta reliquerunt, tot quasi poma fragrantissima, quasi colles æterni protulerunt; & Christo reseruanda, ac si poma in figurarum & ænigmatum calathis recondita concluserunt. Sciebant enim secundum Salomonem, omnia poma noua & vetera Christo esse seruanda. Vetera vt in eo implerentur, per eum aperirentur, ab eo distribuerentur, secundum illud, *Dedit dona hominibus*: noua verò, vt ea semper bona crearet, sanctificaret, viuificaret, benediceret ac præstaret Noua sunt, de quibus ait Apostolus Dominum dixisse per Prophetam. *Ecce consummabo super domum Israël testamentum nouum, dando legem meam in mentibus eorum, & non docebit vnusquisque proximum suum dicens, cognosce Dominum. Omnes enim scient me, à majore vsque ad minorẽ.*

Genes. 49.

Galat. 3.

Isai. 41.

Psal. 67.

Dicendo,

Hebr. 2. Dicendo, ait Apostolus, *nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est. Translato siquidem sacerdotio, necesse erat, vt & legis translatio fieret: & reprobato præcedenti mandato propter infirmitatem eius, & inutilitatem, quod nihil ad perfectum adduxit, introductio fieret melioris, quod iure iurando stare promitteretur in æternum, dicente Propheta,* Psalm. 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Ea igitur quæ ad sacerdotium nouum & testamentum spectant, secundum ordinem Melchisedech, semper bona sunt; & sicut sacerdotium æternum, ita & ipsa immutabiliter bona à Deo creata, quando secundum virtutem vitæ insolubilis ab eo sunt instituta: Sanctificata, quando per Christi mortem facta sunt ad propitiandum efficacia: viuificata, quia Christi resurrectione non solum ad accipiendam vitæ indissolubilis virtutem, sed etiam ad dandam, à Deo sunt benedicta. Vnde dicitur in Canone, *Benedicis, & præstas nobis*, id est, quæ in se sunt benedicta, vt habeant; benedicis, vt conferant nobis vitam. Ne autem vnguento capitis sola proximiora membra perfusa viderentur, etiam simplicium & plebeiorum hominum pij actus ac deuoti affectus ad nostri Ioseph benedictionem, velut fructus humiles & de locis planioribus & inferioribus procedentes pertinere dicuntur. Sed quia hi fructus ante aduentum Christi in eis qui eum futurum expectabant semipleni inueniebantur: in terræ plenitudine, illi qui post aduentum eius à credentibus in eum populis pleniùs sunt exhibiti, denotantur. Totius igitur multiformis huius benedictionis, velut cœlestis cuiusdam vnguenti ex varijs speciebus à cœlesti pigmentario confecti, plenitudo ad nos est per beatam Virginem, quasi per quandam portam luce clariorem transfusa: vnde & ab Angelo dicta est in mulieribus benedicta; non solùm quia Euæ maledictio per eam est in benedictionem conuersa; sed quòd etiam ea mediante spiritualium à Deo accipere meruimus benedictionem: & benedicendi minoribus, per Iesum accepimus potestatem: donec tandem in fine omni cœlesti benedictione & gratia repleti, solum iam Dominum laudare & Psalm. 117. benedicere habeamus, dicentes, *Benedictus qui venit in nomine Domini*: & cum Elizabeth Luc. 1. ad Mariam, *Benedictus fructus ventris tui.* Exaltabitur siquidem Dominus solus in die illa; & velut in Resurrectionis octaua completa generali Circumcisione, vt iam neque nubant, neque nubantur, sed penitus tollatur de medio membri genitalis officium, quod per abcissionem præputij Abrahæ ostensum est, interim castigandum, ex tunc nomen Iesu quàm sit super omne nomen benedictum, adorandum, atque laudandum, luce clariùs omnibus apparebit: tunc verè hoc nomen oleum effusum erit, quod primò per Gabriëlem Archangelum Mariæ infusum, clausum apud eum septem diebus permansit, & die octaua per eam non tam effusum quam reuelatum fuit: quia pauca adhuc erant vasa, quę tantam olei plenitudinem capere sufficerent: & nondum venerat hora illa, qua mortuo viro vasa vacua non pauca mutuò inueniret, quibus oleum infusum, vsque ad effusionem excresceret. Vsque hodie hoc oleum vasis vacuis infundere Maria non cessat: & nominis huius suauitatem inexpertis diuinitus reuelatam velut lactis dulcedinem ex vberibus maternis instillat. Et licet hoc oleo perfusæ adolescentulæ nimis eum diligere dicantur, & nomen eius oleum fateantur effusum; interim tamen dum peregrinamur à Domino, infusum potiùs fatendum est, quàm effusum; & currere dicendæ sunt adolescentulæ potiùs in odore, quàm in vnguenti exinaniti & consummatæ charitatis ardore: nec stabit hoc oleum, donec vasa deficiant, & conscientiarum ostijs apertis quęque virgo sapiens de hoc se oleo à suo redimat creditore; & de cætero ad victum & vitam tanta olei sufficiat plenitudo. Hoc nobis, ô beata Maria primò de vtero tuo, postea de ore profluxit, & quem pariendo prima mundo perdito salutem edidisti, prima etiam nominando eiusdem salutis gratiam prodidisti. Tu Saluatori mundi intranti mundum porta extitisti: tu accedentibus Pastoribus ad eum porta patuisti. Per te Magi cum muneribus stella præduce & portam ostendente ad eum intrauerunt. Per te vsque hodie fideles omnes ad eum accedentes, te portam, te mediatricem, te magistram habere gloriantur. Tu siquidem introducis ad fidem, testimonium fidei perhibendo; tu mediatrix es ad veniam pro peccatis credentium filium interpellando; tu magistra ad inueniendam gratiam, exempla vitæ & disciplinæ omnibus ostendendo. Tu tuum porta mihi digneris esse ad filium, interim Incarnationis eius & ciuitatis suæ peregrinantis mysteria reuelando, tandem ad ciuitatem regnantem & triumphantem in cœlis post Liæ lippitudinem accedenti, non Rachelis, sed tuā & filij tui pulchritudinem sine speculo & ęnigmate reuelata facie ostendendo. Sed ecce dum ad portam duodecimam iam per eam intraturi in ciuitatem Domini peruenisse videmur, ipsius portæ gloria, decore, & dignitate stupefacti, solitum sermonis modum excessimus, à lectore veniam postulantes, si vno adhuc sermone à ciuitatis ingressu portæ huius gloriam speculando eum paululum retardamus. Nihil enim gloriosius in tota ciuitate postmodum apparebit, præter eum, qui ipsius portæ & ciuitatis fundamentum est & fundator, initium & finis, conditor & dominator. Ipse autem semper Alpha & O sit nostri sermonis, &c.

*B. Virgo porta fuit Christo & alijs, ac nobis.*

*Tractatus 12. De gloria portæ duodecimæ, Virginis* MARIÆ.

DE portæ duodecimæ gloria locuturi, & gloriosa quæ de ea dicta sunt ad memoriam reducturi: primò Moysen, qui primus de ea scripturus calceamenta detraxit, in medium adducamus: deinde per ordinem alios qui de ea scripserunt, diligenter quid quisque pro suo officio, pro loco, & tempore ad ipsius portæ consummationem decoris obtulerit, attendentes. Primus itaque Moyses velut calamum mensuræ ad metiendum virgam accepit, & obtulit ad portæ spatia designanda: secundus Iosue solem iam declinantem stare fecit ad ipsam designationem pleniùs consummandam, & clariùs agnoscendam. De libro quoque Iudicum Gedeon aream obtulit ad ædifi-

*Quid Moyses & alij obtulerint ad decus virginis.*

1. Paralip. 29. candum, & vellus ad exsiccandum solum areę antè purgandum. De libro Regum Dauid lapides, aurum, argentum, ferri, æris, lignorũque immensam copiam obtulisse probatur. 3. Reg. 10. Salomon thronum eburneũ obtulit ad quiescendum. 2. Paralip. 32. Ezechias aquam piscinæ superioris per aquæ ductum auertit subter, & influere fecit in piscinam vrbis interiorem, in quiescentium siue operantium vsum. Isai. 11. Isaias florem singularis decoris depinxit, qui cæteris omnibus cælaturis in portæ ornatu emineret. Ierem. 32. Ieremias agrum figuli, in quo necessaria omnia congregarentur, & congregata portæ vsui aptarentur, triginta emit argenteis: emptum ad hoc offerens, sicut constituit ei Dominus. Ezech. 1. Ezechiel quatuor rotas plenas oculis in circuitu ipsarum quatuor paratas & volubiles vidit ad quæuis necessaria ferenda & transferenda. Omittimus alios breuitatis causa, duodecim scilicet Prophetas, Danielem & alios, qui inter agiographa computantur, qui omnes officiosissimè in opus huius portæ quod habere potuerunt melius, obtulerunt. Nos quoque pro modulo nostro portæ huius gloriam, ne dicam attollere, sed saltem à longè prospicere cupientes, ea quę breuiter tangendo posuimus, breuiùs exponẽdo auxiliante Dño percurram⁹ Exod. 3. Quid igitur per virgam Moysi meliùs intelligimus, quàm beatam Virginem Mariam, fide rectam, flexibilem humilitate, integram virginitate, de qua legitur, Isai. 11. *Egredietur virga de radice Iesse?* De hac egressus est ille serpens, qui exaltatus in cruce læsis à serpente antiquo suæ visionis medicinam parauit; qui tandem morte superata, velut cauda mortalitatis constricta, per Resurrectionem suam naturam humanam multis miserijs & corruptionibus distortam in virgæ rectitudinem reparauit. Per hanc virgam diuersis sunt plagis afflicti Ægyptij. Per hanc onus illud Ægypti completum est, quod Isai. 19. legitur in Isaia. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & mouebuntur simulacra Ægypti, & cor ejus tabescet in medio ipsius.* Per hanc filij Israël ab Ægyptijs liberati mare sicco vestigio transierunt. Per hanc aquæ maris diuisæ, aquæ mara dulcoratę, aquæ de silice reperiuntur excussæ. Ad tactum siquidem huius virgæ tentationum impetus diuiduntur, cùm paruuli tenentur cogitatus, & ad Petram Christum alliduntur. Aquæ etiã sacri eloquij dulcorantur, cùm in manu hominis inuolutus liber in ore comedentis efficitur mel dulce. Aquæ quoque de silice producuntur, cùm Christo respiciente induratum quemlibet in peccato, compũctionis lachrymæ proferuntur, iuxta illud Propheticum, Psalm. 147. *Flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.* Hac virga folia & nuces ex se mirabiliter proferente sacerdotium est Aaron confirmatum, & virgæ pastoralis mysterium præsignatum. Meritò à Moyse intra arcam testamenti cum manna & tabulis est hæc virgula collocata, præsignante Spiritu sancto manna diuinæ bonitatis, & doctrinę spiritualis scientiam, disciplinæ virgula mediante, nobis à Domino ministranda: quæ tria Propheta desiderando petere videbatur, cùm Psalm. 118. diceret, *Bonitatem, & disciplinam & scientiam doce me.* Virga pastoralis significatio. Virgæ quoque pastoralis forma eadẽ reprę̄sentat, cùm monemur, virgę aculeo velut disciplinæ correctione pungere pigritantes: doctrinæ suauitate velut vncino superiori retrahere fugientes, siue attrahere recusantes, benignitate denique compassionis humanæ sustẽtare vel subleuare, velut quodam baculo, corruentes. Huius virgæ mysterium in diuersis sacræ scripturæ locis nobis est multipliciter commendatum. Esther. 15. Psal. 2. 44. & 109. Nam & Esther virgæ aureæ summitatem osculans legitur confortata: & Dominus in virga ferrea subditos recturus promittitur, & virga directionis virga regni eius describitur. Virgam quoque virtutis eius ex Sion legimus emittendam; quæ, vt breuiter tangendo potiùs quàm exponendo, perstringamus, virga aurea Christi est rectitudo naturæ, virga ferrea rectitudo vitæ, virga directionis rectitudo doctrinæ; virga virtutis rectitudo potentiæ, qua licet liberè & manifestè vti potuisset, voluit tamen eam sub humilitate humanæ infirmitatis abscondere, donec ad iudicium veniens, eos qui ad eius correctionem corrigi noluerunt, nec ipsius rectitudini conformari, non solùm virga potentiæ feriat, sed etiam extremæ sententiæ malleo rectissimè conterat & confundat. Ne tamen penitus ignoraretur, & incognita minùs timeretur, partim eam miraculis mundo innotuit: inferno per sui expoliationem, pleniùs mundo per Psalm. 49. suam Resurrectionem, plenissimè & manifestissimè eam ostensurus, cùm apparente ex Sion specie decoris eius, manifestè veniet Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Interim virga doctrinę eius dirigit ignorantes, rectitudo vitæ eius, quæ velut virga ferrea inflexibilis fuit ad culpam, corrigit & prouocat reluctantes. Rectitudo naturæ, licet pro regali progenie, siue pro eo quod talis tamque recta est assumpta, qualis quàmque recta à recto Deo in primo homine est creata, virga aurea dici possit; tamen specialiter pro animæ incorruptione virga aurea rectiùs appellatur. Ea siquidem, sicut virga vrnę aureæ in arca fœderis fuit iuncta; sic in vna Christi persona fuit Ierem. 1. diuinitati coniuncta. Nam quod apud Ieremiam virga ollæ testeæ coniungitur, illud innuere videtur, quod in eadem persona caro spiritui est coniuncta: & velut testa ferro absque omni carnalis concupiscentiæ repugnantia est subiecta. Sed sicut virga ferrea conterit & comminuit reluctantes, ita virga aurea contritos & humiliatos erigit ad spem vitæ, & ad Psalm. 2. gratiam reparat obsequentes. Bene autem quã Dauid ferream dixit, Ieremias videre se asserit vigilantem; quia Christus nec in aliquo flexus, nec vmquam obdormisse, nec vel in modico dormitasse inuenitur ad culpam: sed sicut vi-Daniel. 4. gil & sanctus apud Danielem iubet arborem præcidendam; sic & apud Ieremiam virga vigilans ollam succensam, & apud Dauid virga ferrea vas figuli confringere perhibetur. B. Virgo virga aurea est. Virga quoque aurea, sed & ferrea beata Dei genitrix dici potest. Aurea, vel quia atauis edita Regibus, vel quia aurea virga primæ matris Euæ florens rosa processit: vel quia gratia plena & inter mulieres benedicta mediante benedicto fructu ventris sui, in carne filij sui est diuinitati coniuncta: ita vt illud quod dictum est ei ab Angelo, *Dominus tecum*, sicut est omnibus fidelibus commune, ita ei fuerit speciale. In alijs enim Deus dicitur esse per gratiam, ei

*Deus in Virgine fuit speciali modo.* autem ita diuinitatis suæ infudit essentiam, vt ex ea etiam humanam sibi vniuerit naturam. Ei ergo meritò antonomasticè dicitur, *Dominus tecum*, in qua non solùm fuit per gratiam, *Luc. 1.* sed ipsius etiam diuinitatis plenitudo, sicut ait *Coloss. 2.* beatus Apostolus, corporaliter habitauit. Vnde & ex ea tanquam sponsus processisse legitur *Psalm. 18.* de thalamo suo, Nam & priùs fuisse in ea per gratiam, sicut & in cæteris, imò eam singulari prę cæteris gratia ditatam testatus fuerat Angelus dicens, *Aue gratia plena.* Ac si diceret, *Prou. 31.* Multę filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Ipsa siquidem maturior Sara, sapientior Rebecca, Lia fœcundior, Rachele gratior, deuotior Anna, castior quàm Susanna. Ipsa gratiæ plenitudinem, quam aliæ *Quomodo gratia plena fuerit Maria.* diuisim habuerunt, totaliter creditur accepisse, & absque interpolatione continuò possedisse. Vel gratia plena dicta est, quia charitatis munere, sine qua omnis gratia fallax & vana est pulchritudo; sine qua nihil est, quod possit prodesse, ita repleta fuit, vt in hac perfectione nec primam similem visa sit, nec habere sequentem. Huius aureæ virgæ summitatem *Esther. 15.* Ecclesia velut altera Esther in altari quotidie osculatur, & osculando promeretur, vt Aman in Antichristo aduersus populum sanctorum non diu præualeat; & vt Mardochæus, imò in *Rom. Pontifex Antichristo resistet.* Mardochæo Petrus, vel in Petro Ecclesiæ Romanæ Pontifex patruelis eius, qui solus ante Aman genua non curuabit, honore regio dignus inueniatur. Vel si summitatem virgæ aureæ libet intelligere consummationem regni sæcularis, & finem regiæ potestatis: tantam opinari possumus circa finem sæculi, Antichristo sublato de medio, vnitatem fore inter sæcularem & Ecclesiasticam potestatem; vt se videantur inuicem osculari, & non tam Assuerus quàm Mardochæus dominetur in regno, quod mox Christus traditurus est Deo & Patri. Virgam quoque ferream dicimus beatam Mariã, non ferream in miserendo, sed ferream in sustentando; non in subueniendo ferream, sed in subuehendo. Non enim est baculus arundineus tantùm, imò plusquam ligneus: quia quantum ferrum ligno præeminet in fortitudine, tantum beata Maria supra omnem humanum modũ virtute est induta ex alto, Spiritu sancto superueniente in eam, id est supra solitum veniendi in homines modum in eam descendente, & virtute ei altissimi obumbrãte. Libenter has virgas, quas à verò Iacob in canalibus Scripturarum inuenio positas, diutius immorando conspicio, vt in earum contemplatione sensus spirituales concipiam: ne si forte carnaliter concupiscendo concipiã, concupiscentia ipsa cùm conceperit, pariat pecca- *Alludit ad Iosue 9. & 10.* tum; & Gabaonitæ mei non tam mihi aquam compunctionis comportent, quàm vetustatis opera ingerendo lumbos meos repleant illusionibus; & efficiantur non solum nomine, sed & re illusores. O quoties à Gabaonitis imaginationum mearum memini mihi illusum: & ore Domini non interrogato de cibarijs eorũ suscepisse, ita vt contemplationis lumine velut quodam mihi sole iustitiæ occumbente, continuis vix tandem precibus obtinerẽ, vt staret sol contra Gabaon: & si non proficeret lumen contemplationis, saltem non deficeret calor deuotionis; maneretque dilectus meus mecũ, magis precum assiduitate coactus, quàm puritate affectuum oblectatus. Heu tunc ouium mearum serotini erant conceptus. Nam qui *Genes. 30.* primi temporis fuerant, Iacob cooperante, vario & diuerso colore mysticorum sensuum apparebant respersi. Tunc quippe in lumine Domini lumen videns, aspiciebã non solùm prędictas virgas, sed & populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis positas in prædictis canalibus, & tanta varietate oblectatus, in ipsis virgis Noë, Daniel, & Iob, contẽplabar exẽpla. In Noë velut in platano exaltata iuxta aquam in plateis, doctrinæ rectitudinem admirabar. In Iob velut in amygdalo facili decidentium florum & fructuum vbertate gaudente, fidei rectitudine delectabar. In Daniele velut in populo viridi, intelligentiæ rectitudine iucundabar. Accedebat etiam, ne similitudo satietatis mater aliquod fastidium generaret, varietas amplior: cùm & in decorticatis & spoliatis tunica solicitudinis sæcularis apparebat candor castitatis; in hac quę decorticata non fuerat, viror humilitatis; in omnibus lenis teneritudo charitatis, siue ad compassionem proximi, siue ad puriorem dilectionem Dei. Et has mihi omnes virgarum varietates illa vna regalis virgula de radice Iesse egressa pariebat, quã Dauid astantem à dextris Regis circumdatam vidit varietate: Salomon ascendẽtem sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris: Moyses vt rubi virgulam ardere & non comburi. Ipsa siquidem meritò à dextris Regis visa est astare, quæ de tota massa corruptæ & incuruatæ in Eua humanæ naturæ prima & sola infaustum nomen Euę in suaue illud *Aue* conuertere potuit & mutare. Ipsa namque sinistrã, quam Eua elegerat, omnino deserens, totã se conuertit in dexterã: & spretis terrenis & carnalibus delicijs imagine terreni deposita, cœlestia & æterna eligẽdo imagine cœlestis se induit: & Dei in se similitudinẽ, quã primus homo rectus à recto Deo factus in rectitudine acceperat, Spiritu sancto eandẽ rectitudinẽ in ea reparãte, & spiritũ rectũ innouante plenissimè in ea, reformauit. Recta ergo astare dicta est, quę tã recta effecta est: & à dextris Regis, quæ Regi facta est tã proxima, quàm conformis. In vestitu quoq; deaurato, quia lumine sapiẽtię velut auri irradiata fulgore; vnde & amicta sole visa est à Ioanne lunam habens sub pedibus suis. Lunam siquidem humanæ rationis, substramentũ habuit naturalis affectionis: quia humani affectus in ea non casu aut impetu ferebantur; sed illustratæ rationis moderamine regebãtur. Et hoc quidem deorsum in transitu præsentis vitæ, velut luna in nocte. Sursum verò in dextera contemplationis velut in die amicta erat sole, quæ alibi in ipso sole posita fuisse describitur; quia non solùm luce sapientiæ vsa est vt vestimento, sed ei vnita, posita & fundata velut in fundamento. Vel posita in sole dici potest; quia sicut in horologio gnomonem facimus prominere, vt quasi in solem porrectus solaris cursus horas designet diurnas; sic diuina sapientia beatam Virginem velut virgã rectissimam humano generi gnomonem constituit; vt per eam quantum à lumine sapientiæ defluxerit, humana natura cognosceret, & in ea viam redeundi ad primum punctum suæ originis inueniret. Duodecim siquidem

*Psalm. 44.* *Cantic. 3.* *Exodi. 3.* *Apocal. 12.*

sunt horæ diei, ad quarum decimam consummandam sol sapientiæ diuinæ humanam naturam instituit, vt nouem ordinibus Angelorum perlustratis, velut decima tandem hora homine illustrato, mediante Spiritu sancto semper ad Patrem velut ad suum rediret principium; duodenarij in eo complens perfectionem, ita in eo manens, vt nullus sit excessus; ita exiens ab eo, vt nullus recessus: ita ad eum rediens, vt nullus fiat accessus. Ab hac tanti luminis claritate homo cùm in tanto honore constitutus esset, veniente sibi pede superbiæ expulsus est, & non potuit stare: & comparatus iumentis insipientibus de die diuinę claritatis deiectus est in profundissimam noctem humanæ cœcitatis. Per hanc noctem transierunt omnes bestiæ siluæ; & ab Adam vsque ad Mariam tenebræ permanserunt super faciem abyssi, donec tandem adueniente temporis plenitudine sol diuinæ sapientiæ qui in suo candore ab homine videri non poterat, beatæ Mariæ velut cuidam humani horologij se iunxit gnomoni; & vmbram carnis quam à sua natura non habebat, de nostro accepit gnomone: vt qui in suo fulgore à nobis videri non poterat, saltem in nostræ infirmitatis vmbra caperetur; & iuxta Prophetam, in tali viueremus vmbra; siue secundum Salomonem, in diu desiderati vmbra sederemus. Et ista est dies, quam nascendo de beata Virgine fecit Dominus, horis eam duodecim mirabiliter percurrendo consummans, & in nostro nobis eas gnomone designans. Primam siquidem huius diei horam habuimus in Christi Annuntiatione, secundam in eius Natiuitate, tertiam in Circumcisione, quartam in Apparitione, quintam in eius oblatione, sextam in fuga eius in Ægyptum, septimam in Baptismate, octauā in Apostolorum vocatione, nonam in Transfiguratione, decimam in noui Paschæ institutione, vndecimam in Passione, duodecimam in Inferni spoliatione. In hac duodecima hora visus est sol Christus occubuisse, & sepultus ad locū suū, id est, ad terram, de qua carnem sumpserat, redijsse. Vnde expauescens sol iste visibilis, etiam ipse non dando lumen suum visus est occidisse. Vnde ait quidam sapiens. *Non erat mirum apud superos tenebras esse, cùm sol descendisset ad inferos.* His duodecim horis consummatus est dies iustitiæ, succedēs diei culpæ, præcedens diem gloriæ: de quibus diebus videtur scriptum. *Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.* Nam de tertia, id est de die gloriæ, videtur Salomon præmisso de die iustitiæ; *Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur,* subiecisse. *Ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem.* Renatus siquidem sol Christus in Resurrectione consummata die virtutis, habitantibus in regione vmbræ mortis initiauit diem æternitatis: imò errantibus in die mortalitatis illuxit dies æternitatis. Huius diei prima fuit hora Resurrectionis, à qua cœpit sol Christus reuerti decem lineis per gradus quos descenderat. Primam lineam impleuit in homine, per dies quadraginta apparens discipulis, & loquens de regno Dei. Nouem lineas in nouem impleuit ordinibus Angelorum, sicque à die Ascensionis vsque ad diem Pentecostes decem gyrando diebus ad summum creditur meridiē peruenisse. Inde tandem ad aquilonem flectetur, cùm veniens ad judicium, illum qui latera aquilonis elegit primò prorsus deijciet: postea propriam aream purgans, & paleas tradens igni inextinguibili, grana in horrea congregabit, & tradens regnum Deo & Patri, eidem per omnia æqualis luce clariùs apparebit. Interim *indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Et qui de meridie tua radios tuos Apostolis expandens, varijs eos linguis ditasti, assistentis à dextris tuis Reginæ varios nobis ornatus ostendens, siue in varietate virgarum, siue in multiplicitate stellarum. Nam & post cætera quæ prædicta sunt, visa est etiam habere in capite coronam stellarum duodecim. Hanc coronam credo esse gloriam & honorem, quo beata Virgo coronatur & honoratur in præsenti Ecclesia, in qua duodenis festiuitatibus tanquam stellis totidem, tam in se quàm in filio suo, colitur & glorificatur. Harum prima est Virginis ipsius Natiuitas, secunda filij Annuntiatio, tertia ejusdem ortus, quarta Circumcisio, quinta eius per stellam declaratio: quæ etsi in hac festiuitate tantum apparuisse describitur, tamen nulli aliarum sua stella deesse cognoscitur, per quam salutis humanæ gradus aliquis declaratur: sexta festum Purificationis, septima, octaua & nona triduū Passionis, decima Resurrectionis, vndecima Ascensionis, duodecima propriæ Assūptionis. Vel si moraliter libet has stellas intelligere, dicamus eas duodecim virtutes, quas fructus Spiritus Apostolus enumerat, dicens. *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Harum virtutum merita sibi Virgo accumulans, earumdem præmijs velut stellis totidem creditur à Deo coronata. Per castitatem siquidem abdicauit illicita desideria; per continētiam abnegauit sibi superflua; per modestiam moderata est etiam necessariā; per fidem respectum habuit potiùs ad æterna, quam ad præsentia bona: per mansuetudinem se exhibuit socialem; per benignitatem liberalem: per bonitatem seruauit in obsequijs simplicitatem, secundum illud. *Qui tribuit in simplicitate.* Per longanimitatem perseuerantiam, patientiam persecutionibus exhibuit, ne frangeretur: pacem, ne turbaretur: gaudium, ne accediaretur: per charitatem ad vltimum quæ est vinculum perfectionis, prædictas colligauit & consummauit virtutes, (sicut solent auro in corona pretiosi lapides colligari,) cauens ne priuato aliquo amore coronæ claritas fuscaretur. Vel sic; casta fuit affectu, continens ab actu. Est enim continens actu, qui non est castus affectu. Et est castus affectu, qui non continet ab actu: qualis credendus est fuisse Abraham. Modesta victu & habitu; fidelis sine ruga simulationis; mansueta, ne inaccessibilis; benigna, ne inexorabilis; bona, ne implacabilis; longanimis, ne inconstans & variabilis: patiens, ne irascibilis: pacifica, ne perturbabilis. His decem virtutibus coronæ circulus consummatur: & fortè ipse est denarius qui laborantibus in vinea moralis actionis, consummato opere pro mercede datur. Sicut enim denarius Regis præfert imaginem, sic pax quę decimo constituitur loco hominem filium Dei facit, & paternam imaginem in filio repræ-

*Christus soli, B. Virgo gnomoni cōparatur.*

*Cantic. 2.*

*S Maximus hom. 2. in festo Paschæ.*

*Osea 6.*

*Eccle. 1.*

*Christus sol per decem lineas reuersus.*

*Cantic. 1.*

*Apocal. 12.*

*Stellæ ornātes caput Virginis virtutes sunt*

*Galat. 5.*

*Rom. 12.*

draco ille antiquus, qui formatus est, vt illudatur ei; qui cùm absorbuisset fluuium, & non miraretur, iam in os suum Iordanem etiam influxisse gaudebat. Sicsic Leuiathan hamo denuo fuerat capiendus; vt qui priùs esca dominicę carnis deceptus, ferro diuinitatis fuit illaqueatus, nunc quoque esca Dominicæ crucis, humanæ scilicet propitiationis illectus, ferro diuinæ sententiæ suas tandem maxillas perforatas sentiret: nec solùm quos absorbuerat euomeret, sed & illos amitteret, quos ad deglutiendum parauerat & perdendum. Diuina quippe iustitia erat, vt Christiani, qui relicto Christo sponte se diabolo peccando subiecerant, puniendi eidem etiam traderentur. Sed hæc Dei iustitia, velut quędam virga ferrea, incuruata videtur & inflexa; cùm sæuienti aduersario in crucem Domini, imò in ipsum crucis consecratorem, occulto eius iudicio potestas est concessa: vt quam iustè in Christianos acceperat potestatem, mereatur amittere: cùm accepta, in Christum abutitur, potestate. In eum siquidem per ministros suos iterum debacchatur, cùm & nomen eius ignominiosè ab Ethnicis blasphematur; & gloriosum sepulchrum eius, proh dolor, turpissimè conculcatur, conspuitur, exprobratur, & lignum salutiferæ crucis, quod in corpore eius dedicatum est, & ex membris eius tanquam margaritis ornatnm, non solùm captiuatur, subsannatur, & omnium inimicorum spurcitijs dehonestatur, sed etiam tandem Machometo offertur, vt de Christi ignominia Machometus glorificetur: & non solùm de Christianis, sed & de Christo triumphasse Machometus à suis iniquè prædicetur. Non enim hæc acta sunt, quia Machometus potuit, sed quia Christus voluit; volens dare Christianis occasionem zelandi Domini sui gloriam, vindicandi Patris iniuriam, & hereditatem propriam vendicandi. Ecce enim tempus acceptabile, quo probati manifesti fiant; quo probet Dominus, qui sint eius; qui sint ei fideles, qui perfidi; qui filij alieni, qui proprij. Fideles siquidem milites suum Regem sequentur, pro suo se Rege hostibus incunctanter obijcient: malentes pro eo fortiter occumbere, quàm segniter fugiendo vitam sibi conferre, ignominiam suo Regi inferre. Si sic pro Rege mortali actitant Christiani, quantò fideliores esse debent cœlesti & immortali? Econtrario filij alieni mendaces probabuntur, solo se nomine tanto patri, non re filios exhibentes. Filij siquidem alieni, iuxta Prophetam, *inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.* Vetus namque Adam de terra terrenus, nouus autem de cœlo cœlestis. Nouus autem temporalibus æterna docuit præponenda: vetus æternis derelictis carnalia & terrena elegit. Huius falsi Christiani imitatores effecti, Christi nouitate relicta veterem hominem induerunt: sicque inueterati, & Christo mentientes, facti sunt filij alieni. Vnde & claudicauerunt à semitis suis, in executione mandatorum Dei debiles, in explendis desiderijs carnalibus & sæcularibus fortes. Proh dodolor, patres carnis filij reuerentur: & pro patris iniuria vindicanda, & angusta hereditate tuenda, decertant vsque ad mortem; nec verbis, nec verberibus cedunt. Filij autem patris spiritualis facti omnino degeneres, sicut

*Saladinum intelligit, ejusque populum Mahometanū.*

*Fideles bellum gesserūt pro terra sāƈta recuperanda.*

*Psalm. 17.*

nec patris vices dolere, sic nec paterna hereditate digni esse probantur. O verè beati, qui nunc veri esse filij inueniuntur, qui nunc Dominum suum non negant, patrem non erubescunt; cùm tam vehementem plagam eius conspiciunt, vt verè beatus sit, qui scandalizatus non fuerit in eo. Sed quantacumque sit materia scandali, veri tamen filij nequaquam scandalizantur, nec verenda patris irrident: sed retrorsum incedunt, & facies habentes auersas pallio piæ interpretationis operiunt, attendẽtes se patri dedisse causam huius ebrietatis. Nostra siquidem crimina, nostra scelera inebriauerunt eum absynthio, ita vt post longam dormitionem, post diutinam simulationem, post morosam expectationem nostrę correctionis, tandem euigilasse videatur, quasi potens crapulatus à vino; quasi virga vigilans, quæ ollam terrenæ cupiditatis à diabolo vehementer accensam conterat & euertat. Sed non terrentur filij virga patris, scientes quia quos diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Illam potiùs formidolosam Domini comminationem verentur, qua ait. *Recessit zelus meus à te, vltra non irascar tibi.* In eo autem probant veri filij virgam esse patris, non malleum iudicis, si virgã sequatur correctio, correctionem consolatio comitetur. Gratias tibi, bone Iesu, qui tria hęc circa filios tuos non desinis operari. Hoc quippe priuilegio gaudent filij tui, hanc de patris tui promissione indubitatam tenent securitatem. Ait enim per Prophetam Dauid. *Si dereliquerint filij mei legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea: neque prophanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita.* Et ne de nuda promissione aliguis hæsitaret, etiam iuramento firmatur, cùm dicitur. *Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semen ejus in æternum manebit; & thronus ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum.* Vbi sunt ergo nunc misericordiæ tuæ antiquæ Domine, sicut iurasti Dauid in veritate tua? Nunquid attendis opprobrium seruorum tuorum, quod in sinu Christi tui reponitur, multarum gentium exprobrantium, non solùm commutationem, sed & diminutionem, imò euacuationem Christi tui? Et si Domine repulisti & despexisti populum tuum, & pro peccatis eorum distulisti Christum tuũ: nũquid etiam abstulisti? Nunquid euertisti testamentum serui tui, cùm prophanatum cernatur sanctuarium eius in terra? Exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos eius. Auertisti adiutorium gladij eius, & non es auxiliatus ei bello. Destruxisti eum in membris suis, nunquid absque eorum emũdatione? Absit, Domine, absit, vt in ira misericordiæ non recorderis: & tam duram castigationem filiorum emendatio & emundatio non sequatur, emundationem consolatio non comitetur. Verbera patris exhibuisti filijs, ne quæso obliuiscaris exhibere etiam vbera matris. Fac obsecro, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, fac filios tuos & de

*Alludit ad factum Noë Genes. 9.*

*Hebr. 12.*

*Ezech. 16.*

*Psal. 88.*

*Ibidem.*

verbere tuo proficere; & de tua citiùs consolatione gaudere. Fac pleniùs, quod iam facere incœpisti; consumma Deus, hoc quod iam cœpisti operari in nobis. Ecce te operante salutem in medio terræ videmus iam perditissimos homines emundari, currere ad confessionem, pœnitentiam agere, satisfacere pro præteritis peccatis, de futuris quærere & promittere emendationem. Nec mediocri, vt assolent, contenti pœnitentia, vndique conuolant ad perfectionem, mittentes manum ad fortia, crucem sibi bajulant, & relictis omnibus sequuntur Christum. Nec solùm infimæ personę aut mediocres hoc attentant, summæ etiam crucem sibi affigunt, imò cruci se gloriantur affigi. Hoc Romanum Imperatorem, hoc filiũ eius suaue ducere, hoc ferè omnes Germaniæ Principes fecisse videmus, & testamur, dicentes cum Apostolo. *Quod vidimus & audiuimus, & manus nostræ tractauerunt de verbo* crucis, hoc testamur & annuntiamus omnibus qui sunt ista audituri. O bone Deus, quanti fuerint ibi clamores in cœlum dati, quot gemitus, quot suspiria educta de profundo, quot effusæ lachrymæ, quanto lachrymarum imbre terra illa perfusa, tu solus Domine nosti, qui solus talia operari potuisti, educens denuo aquam de petra, & deducens tanquam flumina aquas. Videres ibi iterum crucem exaltatam omnia trahere ad seipsam, & euacuato iam crucis scandalo, non iam crucis captiuationẽ deplangi, sed crucis gloriam prædicari; & ferè omnes maiores pariter & minores cruce de manu nostra suscepta in sola iam cruce gloriari. Quid de illustribus, & nunc verè gloriosis Franciæ & Angliæ Regibus dicam, quid de vtriusque regni Principibus, vbi paucissimi relicti sunt, qui non cœlestis Regis vexilliferi sunt effecti? Vexilliferi planè sunt dicendi, qui priùs opus tam arduum, tam laudabile sunt aggressi. Vnde & de eis meritò dici potest, quod in laudibus beati Stephani dictum legitur; siquid inter martyres distat, maximos illos esse, qui primi extitisse noscuntur. Eis tamen specialiter cedit ad gloriam, quorum æmulatio cæteros prouocauit. Et qui in odore vnguentorũ suorum alios post se trahentes currere faciunt ad salutem. Quid plura? Omnis natio, omnis conditio, omnis ętas, eorum exemplo ad similia animatur. Granum quippe sinapis efferbuisse videtur ad trituram; & vnde antiquus hostis scandalizasse fideles præsumebat, inde messis vberior cernitur surrexisse; inde fides mortua feruẽtior noscitur reuixisse. Tantò autem gloriosior, & amplioris meriti probatur esse hæc fides apud Deum, quantò ei nulla humana ratio præbet experimentum. Non enim nunc, sicut initio nascentis Ecclesię, cœci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur; surdi audiunt, mortui resurgunt: sed nullis talibus signis iam apparentibus, ita vt verè dici possit, *signa nostra non vidimus, iam non est Propheta*: & illud, *Non egredieris Deus in virtutibus nostris:* nunc potissimùm qui scandalizati non fuerunt, non solum beati, sed & beatissimi sunt dicendi. Est tamen cernere, siquis oculos fidei habeat reuelatos, signa noua, tantò gratiora, quantò vberiora; tantò digniora, quantò animæ immortalis potiùs quã corporis perituri saluti efficaciora. Nam cœci

*Qui se cruce signarint ad bellum sacrum. 1. Ioann. 1.*

*Psalm. 73. & 59.*

qui priùs erant ad veritatem, claudi ad bonam operationem, leprosi ad virtutem, surdi ad Spiritus suggestionem, mortui ad charitatem; non ad manus Christi, non ad fimbrię tactum, non ad viuifici ligni præsentiam, sed ad solam ipsius vmbram recipiunt sanitatem. Ecce qui præsentem non reuerebantur, in solius vmbra nominis gloriantur. Quid hoc est miraculi, fratres, quid nisi impleri cernimus his diebus, quod longè antè Prophetatum audiuimus? *Innoua signa, & immuta mirabilia. Glorifica manum, & brachium dextrum. Extolle aduersarium, & affige inimicum.* Ecce, sicut diximus, signa vetera videmus innouata, antiqua mirabilia immutata, manum dextram & brachium Domini glorificata. Ad sinistram enim videbantur spectare sanitates, quæ ad præsentis vitæ subsidium conferebantur. Nam in dextera eius longiturnitas vitæ, in sinistra illius diuitiæ & gloria. Dexterę igitur excelsi est hæc gloriosa mutatio, qua de flagitiosissimis castos, de ferocissimis mansuetos, de superbissimis humiles, de tenacissimis liberales, de Regibus & Principibus mundi contemptores, martyres effectos cernimus de Tyrannis. Nunquid enim non veri sunt martyres, qui se ac sua suosque minimè attendentes, desolationem exilij diutinam non verentur; non aëris inclementiam, non procellosi maris instabilitatem, non confusionem sonitus eius ac fluctuũ, non innumera viæ ac solitudinis pericula, nec famis ac sitis inediam, non ipsam denique mortem; sepultura etiam carere non formidant. Hoc solum est, quo maximè molestantur, quòd in hostes Christi ruere, quòd aduersum se prouocare aduersarios protrahuntur; non minùs ad coronam iustitiæ si occubuerint, quàm ad palmam victoriæ, si superauerint, aspirantes. Nunquid non sola dextera Domini facit tantam virtutem, qua spretis temporalibus tanto desiderio sola quærantur & amentur æterna? Ecce dextera Domini gaudent amplexari, qui de sola læua temporalium bonorum quam habebant sub capite, gloriari solebant. Læua hæc extulit aduersarium, sed ecce dextera affligit inimicum. Elatus siquidem est & eleuatus pro transitoria & momentanea prosperitate animus Salahadini, qui Christianis præ omnibus Gentilibus studuit aduersari. Sed vnde hic aduersarius est elatus, inde operante gratia antiquus & iniquus humani generis affligitur inimicus. Salahadinus siquidem Christianis aduersatur, vt iura eorum possideat: sed diabolus iniquo eos odio per Salahadinum & alia membra sua persequens, nomen Christi penitus delere festinat. Tantò igitur acriùs affligitur, quantò ei nunc dominandi Christianis potestas aufertur, & innumera ei captiuitatis vasa eripiuntur. Renuntiatur atrocissimo prædoni à populis diuersarum linguarũ & nationum; & vix iam inter Christianos reperitur, qui non tyrannicis legibus reluctetur. Fremit igitur expoliati hostis impius furor, & nouum quærit lucrum, quia perdidisse se ius sentit antiquum. Pœnitet eum iam, ni fallor, huius suæ adinuentionis, deprehensum in laqueo quem tetendit. Credebat sic acephalos posse fieri Christianos, si sepulchro & cruce Domini prophanatis, & in manus hostium datis, iam ad illud commune omnium peccato-

*Signa noua quæ.*

*Eccli. 36.*

*Saladinus Christianorum hostis maximus.*

rum asylum confugere, ad illud vltimum sceleratissimorum remedium transire nonvaleret. Sed ecce hac spe sua frustratus, & in contrarium cessisse deplangens, nunquid non cum suis satellitibus stupendo tibi dicere videtur? O crux fallens gaudia nostræ, & parturiens damna nostra, cur te exhibuimus Pilato, cur tradidimus Salahadino? Quoties tuam ignominiam, tuam procurauimus perditionem, toties tuam gloriam, nostram autem sensimus læsionem. Quot ei suscitauimus impugnatores, tot semper inuenit robustissimos defensores. Iudæus etiam nobis suadentibus sepeliuit, sed effodiente Helena Constantinus eam mirabiliter exaltauit. Cosdroë nostro eam auxilio captiuauit; sed Heraclius ampliori eam gloria sublimauit. Gentilis noster populus totam terram illam nobis semper exosam aliquando nobis cooperantibus occupauit: sed Carolus ab Occidente veniens in manu forti & brachio extento eam ab hostibus liberauit: sed expulsis iterum Christianis, denuo per quosdam Occidentales multò nostris pauciores, multoque inferiores, nostri victi sunt & expulsi. Quid igitur nunc nobis sperandum est, quid agendum? Similia planè expectanda nunc essent, nisi quòd iam aduenisse hora nostra videtur. Hora inquam illa, de qua crucifixus prædixit, tantam futuram esse tribulationem, quanta non fuit, ex quo Gentes esse cœperunt. Vbi etiam prophetiam Danielis inducens, *Cùm videritis*, inquit, *abominationem desolationis stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.* Nos igitur hoc intelligentes, desolationem istam, quam in loco sancto esse fecimus, stare ibidem diutius faciamus; & si fortè conuenerint Christiani, vt suorum subueniant desolationi, paremus eis offendicula, struamus impedimenta, laqueos eis tendamus. Inter eos lites & iurgia seminemus. Viderentur ad præsens nostra vincula, nostrum dominium euasisse, sed ad consueta facilè relabentur; nec repulsam apud eos diutius patiemur: cùm hinc eis carnales delicias, affectus amicorum, natalis soli dulcedinem, bonorum affluentiã, vitæ suauitatem proponemus: inde viarum periculis, transitus difficultate, penuria victualium, caloris & hiemis acerbitate, & innumerûm hostium deterrebimus atrocitate. Eia ergo commilitones mei, quid agimus, quid moramur? Circumeamus terram & perambulemus eam, diuidamus nobis regiones & regna: vbique spargamus scandala, dissensiones concitemus & bella. Illi circa Germaniam versentur, illi circa Galliam, illi circa Angliam, quique ad illos pertinent; quos meliùs nouerunt, quibus sæpius illuserunt, circa quos corrumpendos ampliùs profecerunt. Heu heu talia ab inimicis crucis dicta, imò etiam facta, ipsis iam rerum experimentis edocemur. Iam enim seruos crucis, qui se cruci dedicauerant, qui se non nisi Christo militaturos deuouerant, ad vomitũ redijsse videmus, & contra tam recens votum arma corripuisse dolemus. Iam crux aduersus crucem dimicat, crucifixus crucifixum impugnat. Qui sola iam cœlestia sapere videbantur, ecce insatiabiliter terrenis inhiare probantur. Turbauerant & mouerant eos sicut ebrios iniuriæ Christo illatæ ab Ethnicis; sed ecce grauiores inferuntur à filijs: ab inimicis Christi crux est tamquam ab incredulis captiuata: sed ab amicis & credulis crux est impijssimè abnegata. Nunquid non denuo tibi Christus dicere videtur? *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem, vtique. Nunc verò homo pacis meæ in quo sperabam, qui edebat panes meos, ampliauit aduersum me supplantationem.* Nunquid non ampliasse videntur amici, nunquid non ampliùs nocuisse, quam ipsi inimici? Nunquid non super dolorem vulnerũ Christi addentes, apposuisse etiam iniquitatem super iniquitatem conuincuntur? Proh dolor, plãgebamus Christum nuper in Oriente passum in membris suis; sed nunc in Occidente detestabiliùs patitur à membris suis. Contra naturæ ordinem armantur membra aduersus membra; impugnant se inuicem, se collidunt. Heu heu, heu, Domine Deus, quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Videbatur tua virtute, tua potestate, in aurum commutatus, in aurum obrizum, splendidum, & igni tum. O quantùm rutilabat hoc aurum, quantis mundum irradiabat fulgoribus, ita vt aurea redijsse sæcula viderentur, cùm quocumque te verteres, vexilliferos crucis conspiceres, Christi martyres inuenires, quibus nec deesset aliquid ad virtutis perfectionem, nec aliud iam optarent, quàm palmam victoriæ, vel de gloriosa morte immarcessibilis coronæ splendorem. Heu, heu, aureus iste color conuersus est in pallorem, & cæleste aurum versũ est in aurichalcum. Vtinam non in scoriam conuertatur, vt ad nihil iam inueniatur vtile, nisi vt proijciatur foras, & ab hominibus conculcetur. O strenuissimi Christi milites, bene currebatis, quis vos fascinauit? Nunquid parum est vobis, molestos esse hominibus, nisi molesti sitis & Deo vestro? Ecce Deo, Angelis, & hominibus spectaculum facti estis: ab omnibus iudicandi, ab omnibus irridendi, & ostentui habendi, nisi quæ tam fortiter cœpistis, fortiùs consummetis. Alioqui arguit vos Dominus per Ieremiam Prophetam dicens. *Vocaui amicos meos, & ipsi deceperunt me.* Vos quippe vt speciales amicos vocauerat Dominus ad cœnam agni, & inuitati ab amico amicabiliter annuistis. Quid amicum, imò quid vos ipsos decipitis? Vocauit vos hora cœnæ dicens, *Ecce parata sunt omnia*, & excusationes friuolas quæritis? Si non negare vos dicitis, sed differre: nescitis, quia hora cœnæ transacta, oneri amico futuri estis, potiùs quàm honori? Cur dicitis amico vestro, *Vade & reuertere, & cras dabo tibi*, cùm statim dare possitis? Nolite quæso osculo Dominum vestrum prodere, nolite locum sortiri cum Iuda proditore. Plus enim peccauit Iudas Dominum suũ tradendo, quàm Pilatus occidendo. Ita & incomparabiliter nunc Salahadino eritis deteriores; si eius, quem Salahadinus vt hostem persequitur, vos qui pro amico spopondistis, non solùm mendaces inuenti fueritis, sed etiã proditores. Nec blandimini vobis dicentes. Tutius est proprium tueri patrimonium, quàm quærere alienum. Iudæ potiùs expectetis finẽ, si Iudæ eligitis sortem. Iudas siquidem, quia noluit benedictionem, talem meruit maledictionem: *Fiant dies ejus pauci, & Episcopatum ejus accipiat alter. Fiant filij ejus orphani, & vxor ejus vidua. Nutantes transferantur filij ejus*

*Inducitur loquens dæmonum princeps.*

*Inuentio Crucis antè defossæ à Iudæis.*

*Matth. 24.*

*Christiani lites & bella inter se gerentes.*

*Psalm. 54.*

*Objurgantur, qui votum belli sacri violarunt.*

*Thren. 1.*

*Luc. 14.*

*Prou. 3.*

*Psal. 108.*

*& mendicent; & eyciantur de tabernaculis suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, & diripiant alieni labores ejus. Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus. Fiant nati ejus in interitum, in generatione vna deleatur nomen ejus.* Iustum est, vt in generatione vna nomen eorũm deleatur, per quos nomen Dei vbique blasphematur. Iustum est, vt fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet; qui quem percussum à Deo & humiliatum viderunt, super dolorem vulnerum suorum addentes, etiam de cordium suorum domicilijs expulerunt. Dignum planè est, vt qui vxorum & natorum affectum amori Christi prætulerunt, sine filijs & vxoribus facti à filio hominis coram suo Patre negentur. Dignum prorsus, vt fiant dies eorum pauci, & officia seu dignitates eorum alij accipiant, qui gloria dignitatum illecti paucitatem dierum æternitati temporum prætulerunt. Talia cum Iuda Iudæ imitatores expectent; & si Iudæ nomen abhorrent, abhorreant potiùs opera, & tam horrendam Iudæ maledictionem declinent. Reddant sine mora Domino suo, quæ tam spontaneè, tam deuotè vouerunt, nec Apostasiæ suæ vllam quæritent palliationem, scientes, quoniam Deus non irridetur; nec est sapientia, nec consilium, nec fortitudo contra Dominum. Eo igitur operante & sermonem hunc confirmante, quisquis ab hoc voto suo apostatauerit, datus in opprobrium sempiternum, sit anathema, maran atta.

*Tractatus* 14. *De significatione Septuagesimæ, & deijs quæ in ea leguntur.*

VIdetur Ordo Ecclesiasticorum officiorũ ordini humanæ conditionis congruere; & eorũ quæ in Ecclesia geruntur, in ipsis protoplastis & eorum successoribus figuram præcessisse. Quòd enim initio anni septuagesimã, dehinc sexagesimã, quinquagesimã quoque & quadragesimam consueuit Ecclesia solemniter celebrare, quatuor primis ætatibus conuenire videtur. In quibus autem conueniant, vel quid ex istis aut illis significationis elici possit, subtili indagatione inquirendum est: & primo de septuagesima videamus. Hæc siquidem cũ prima ætate conuenit, quia quando Adam de paradiso ad huius exilij mutabilitatem eiectus est, de soliditate octonarij ad septenarij mutabilitatem videtur descendisse. Sicut enim per octonarium, qui quadratus & solidus est numerus, soliditas stabilitatis ostenditur, ita per septenarium, quo præsens tempus voluitur, instabilitas vitæ præsentis designatur. Meritò ergo septuagesima præponitur, & ea quæ de protoplastorum exclusione à paradiso scripta sunt, legendo in Ecclesia replicantur: vt dum ex his homo cognoscit, vnde quò deuenerit, quò etiam ei redeundum sit, per hoc admoneatur. Legitur enim in initio Septuagesimæ liber Genesis; in quo & paradisi felicitas, & præsentis vitæ mutabilitas seu mortalitas manifestè exprimitur. Non solùm legitur, sed & vt cordibus humanis vtiliùs imprimatur, etiam cantando tragædia eadem deploratur. Et hæc quidem in nocte; vt ea quæ prolixiorem habent noctis obscuritatem noctis lucubratiuncula elucescant, & humanæ ignorantiæ nox illustretur, & cæcitas pulsetur. Die verò iam facta, verba noui testamenti proponũtur, & ea quæ prædictis veteris testamenti verbis conueniant: vt per diem tempus gratiæ, per noctem tempus culpæ transgressionis & pœnæ intelligamus; & quanta inter ipsa sit distantia seu conuenientia, ex vtriusque testamenti verbis addiscamus; vt in ore duorum vel trium firmum sit omne verbum. Ex ipso veteri testamento Missa initiatur, de hinc Apostolus introducitur, tertiò Euangelium cum qua decet reuerentia pronuntiatur. Et quia magnum est ad quod probandum testes introducuntur, magnos etiam esse conuenit, qui ad tantum testimonium admittantur. Primò igitur ille in testimonium producitur, cui à Deo testimonium perhibetur, quòd inuenerit hominem secundum cor suum. Cui tam potestas regia, quàm Prophetica dignitas suffragatur: & ne qui primus producitur, & in tanto totius conuentu Ecclesiæ loquendi exordium facit, in aliquo aures audientium offendat, venit in psalterio decacordo psallens, & dulcisona miscens carmina, vniuersa assistentium corda dulci ad se pertrahit melodia. Regia igitur authoritate fultus, & Prophetici sermonis firmitate subnixus, velut lucerna ardens in caliginoso loco, & totius dubietatis propulsans caliginẽ, testimonium perhibet veritati dicens. *Circumdederunt me gemitus mortis*, &c. Videor mihi in his verbis Dauid velut Ianum alterum intueri, & quasi vno versiculo præcedentia & subsequentia Prophetica circumspectione cõplecti. Vox enim ista & Adæ de paradiso exeũti, & Cain super terram vaganti, & Lamech bigamiam introducenti, & Nembrod robusto venatori, sed & Noë inter vndas fluctuanti, Abrahæ quoque in Ægypto peregrinanti, Moysi nihilominus in deserto æstuanti inter populares murmurationes: cuilibet quoque in qualibet præcedentium ætatum de Adæ progenie venienti, videtur signanter cõgruere. Quàm propriè autem Christo & Christiano cuilibet conueniat, superfluum est edocere. Meritò igitur Dauid in Ecclesia fidelium primus introducitur; vsque ad quem vox præcedentium ætatum protrahitur, & cui clariùs lux subsequentis gratiæ aperitur. Ei autem & templum construendum ostenditur, & regnum in Salomone firmandum promittitur: sed & regnum Christi & Ecclesiæ ex eo propagandum, & in æternum præparandum iuratur. Sequitur Paulus Apostolus, cuius laus non ab homine, nec per hominem, sed à Deo depromitur, vbi dicitur, *Vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram Regibus & Gentibus.* Meritò ergo ipse pro sui reuerentia exauditur, cui ab ipso Deo suo nomini testificandi, & suũ testimoniũ portandi officium specialiter committitur. Tandem Euangelium subiungitur, quòd testimonium ab homine non accipit; cui si testimonium perhibeat etiam ille qui dedit, testimonium eius verum est; quia non solus perhibet, sed & Pater, qui misit illum. Ecce qui & quales testes introducantur audiuimus: nunc in quo conueniant, inquiramus. Et primò in quo noui seu noua cum veteribus, deinde in quo ipsa sibi noua conueniant, attendamus. In quo Euangelium septuagesimæ cum prima ætate, seu cum ipsius nocturna Genesis

*Quæ in Septuagesima legantur potissimùm.*

*Dauid.*

*Psalm. 17.*

*Actor. 9.*

*In quo conueniant Dauid, Paulus, & Euangeliũ.*

lectione congruat, beatus Gregorius ostendit dicens. *Quis Patrisfamilias similitudinem rectiùs tenet, quàm conditor noster, qui regit quos condidit, & electos suos sic in hoc mundo possidet, quasi subiectos Dominus in domo? Qui habet vineam, vniuersam scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel iusto vsque ad vltimum electum qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Hic itaque Paterfamilias ad excolendam vineam suam, mane, hora tertia, sexta, nona, & vndecima, operarios conducit; quia à mundi initio vsque in finem ad erudiendam plebem fidelium prædicatores congregare non desistit.* Nos quoque ipsius vestigijs humiliter inhærentes, subiungimus, eundem patremfamilias ad eiusdem culturam vineæ sicut diuersis temporibus, sic ob diuersas causas exijsse. Primò enim exijt ad plantandum, secundò ad putandum, tertiò ad fodiendum, quartò ad stercorandum, quintò ad propagandum, sextò ad sepiendum, septimò quando torcular extruxit in ea, exijt ad vindemiandũ; & vt Ruth Moabitidi spicæ aliquæ colligendæ remaneant, hęc studioso lectori cuique ætati assignanda relinquimus. Nos verò vnde aut quò exijsse Deus, qui vbique est, aut quomodo exijsse, qui sẽper idem est, dicendus sit, inquiramus. Ante mundi quippe constitutionem in seipso Deus occultus manebat, cùm nec esset, cui innotesceret, nec vnde innotesceret, appareret. Quod videtur Ioannes Euangelista intelligẽdo quoquomodo comprehendisse, vbi ait. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Ac si diceret. Verbum erat in Patre, velut ab eo genitum; & erat apud Patrem, velut in eo occultum. Volens etiam ostendere, vnde, aut quò exierit, subiungit. *Omnia per ipsum facta sunt.* Creans ergo inuisibilia, fecit quibus appareret; creans autem visibilia, fecit vnde apparet. *Inuisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Manens ergo in se veritas incommutabilis, in sui nuditate & puritate prout est, videri non potuit: vnde quodammodo à suæ fulgore claritatis & lucis inaccessibilitate exiens, & quasi quadam creaturarum veste se induens, primã hanc sibi vestem, vt videri posset, assumpsit. Hoc quidem primo mane factum esse dicitur, quando solem iustitiæ necdum illuxisse, nec luciferum ortum fuisse in cordibus humanis, manifestum est. Homines namque magis tenebras quàm lucem diligentes, relicto creatore ad solam creaturarum pulchritudinem velut ad solum diuini habitus fulgorem oculos aperuerunt; & relicto conditore rerũ conditarum amori infeliciter inhæserunt. Quod intuens conditor, & rebus conditis consulere misericorditer volens, secundam etiam sibi texuit vestem, sacræ videlicet Scripturæ mirabilem connexionem; per quam se veritas non solùm oculis videntium, sed & auribus ingereret auditorũ; & hanc sibi vestem varijs temporibus diuersarum obsequio personarũ contexuit, multipharie multisque modis loquens Patribus in Prophetis: nec solùm Prophetas, sed & sapientes & scribas ad hoc ipse se misisse testatur. Sed & hæc sicut & alia homines sibi diuiserunt vestimenta sua; ipsius Scripturæ sensum in diuersa trahentes, & vniformem ipsius connexionem in partes varias scindentes; nec ex ea Dei notitiam requirentes, sed de ipsius scientia gloriari volentes. Sicque dicentes se sapientes, stulti facti sunt; & euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratũ est insipiens cor eorum. Vnde nec sic profecisse sufficienter se videns, tertiam etiam sibi vestem aptauit, carnem videlicet immaculatam, quam ex intemerata Virgine assumpsit ineffabiliter, miro & incomprehensibili circa humanæ infirmitatis medicinam vsus consilio, vt talis ei habitu appareret, in quo non aliud quàm ipse vel videri vel amari valeret, & ab ea nec diuidi, nec separari posset. Tanta enim in hac assumptione humanæ & diuinæ naturæ facta est vnio, vt ex quo semel vnitæ sunt, neutra ab altera potuerit separari. In hac naturæ meæ veste eum securus intueor, nullam iam oculorum vel petulantiam vel reuerberationem formidans. Creaturarum siquidem pulchritudo intuentis oculos alliciens, à creatoris cognitione potiùs retardabat, quàm ad ipsius dilectionem pertraheret. Scripturarum quoque obscuritas potiùs legentium oculos reuerberare, quàm Dei cognitione illuminare consueuerat. Iam verò Deum hominem factum quis non libenter, quis non patienter aspiciat, cùm se diuinitas corporaliter humanis obtutibus ingerat, & se quodammodo tam miraculis quàm exemplis, tam verbis quam factis palpabilem præbeat? O mira diuini consilij & incomprehensibilis altitudo! homo factus est Deus, vt dum eum visibiliter cognoscimus, per hunc inuisibilium amore rapiamur. Et in hoc quidem habitu circa vndecimam ad conducendos operarios in vineam exijt. Videns enim tempus vindemiæ aduenisse, vestem sibi huic operi congruam adaptauit, quam & secundum Prophetam totam ex ipsa vindemia inquinauit. Sed quantò sordidior ex hac veste apparuit, tantò formosior in stola sua postmodum & clarior effulsit. Comparetur, si placet, primæ diei horæ hæc septuagesima, primæ mundi ætati hoc tempus gratiæ, operationi naturæ.... & in quo conueniant, aut à se differant, videamus. Qui in vndecima veniunt, cùm non nisi vna hora laborent, primi tamen mercedem recipiunt: nec solùm primi, sed & tantam, quantam & illi qui prima hora venerunt, & portauerunt pondus diei & æstus: non hoc ex merito laborantis, sed ex gratia & beneplacito conducentis. Item qui mane venerunt, cùm non solùm diutius, sed etiam fortiùs laborasse dicantur: minus tamen mercedis recepisse videntur; cùm qui vndecima veniunt, vindemiando degustant, quod illi tantum ordinauerant, & quodammodo in labores eorum, ipsis illorum fruentes laboribus introeunt. Multi enim Reges voluerunt videre quæ nos videmus, & non viderunt: & audire, quæ audimus, & non audierunt. Gratias tibi, Domine Iesu, qui huic nos vindemiæ, & hanc nobis vindemiam reseruasti, omnia poma noua nobis proponens & vetera: faciens nobis conniuium pinguium medullatorum, vindemiæ pinguium conuiuium vindemiæ defæcatæ. Cùm ergo tot sint nobis in hoc tempore gratiæ beneficia cumulata, quid sibi vult, quod Ecclesia more solito. *Gloria in excelsis Deo*, hoc tempore non decãtat, cùm hæc vltima ætas præ cęteris omnibus maiores Deo laudes offerre, & abundantiùs

*Gregori. Homel. 10. in Euangel.*

*Vnde, aut quò exierit Deus: & vbi fuerit ante mundũ*

*Ioann. 1.*

*Rom. 1.*

*Prima quasi vestis Dei creatura fuit, per quam poterat agnosci.*

*Vestem sibi texuit Deus sacræ Scripturæ connexionem.*

*Matth. 23.*

*Rom. 1.*

*Tertia vestis Dei corpus Christi.*

*Isai. 63.*

gloriam ipsius attollere teneatur? Sed attendendum, quòd sicut dies qua Paterfamilias in vineam exisse dicitur, diuersis horis & diuersis ætatibus corpus nostræ mortalitatis distinguitur; sic & Septuagesimæ, sexagesimæ, quinquagesimæ, & quadragesimæ distinctionibus variatur: & cùm tempus quadragesimæ intra parasceuen finiatur, septuagesima vsque ad Sabbatum in Albis protenditur, vbi geminum *Alleluia*, decantatur; nihilque iam finita septuagesima nisi Paschæ restat octaua, quæ clausum Pascha nominatur: vt sicut exigente culpa octonarius in septenarium descendisse dicitur, sic operante gratia septenarius in octonarium redire videatur. Meritò igitur quadragesimæ fini, *Gloria in excelsis*, & *Alleluia* reseruantur, quando primum Pascha sabbato sancto inchoatur, secundum cum lætitia expectatur, & etiam in præsenti aliquando prægustatur. Quod ergo tertia, sexta, nonaque inter primam & vndecimam horam signant, hoc inter initium & finem septuagesimæ sexagesima, quinquagesima, & quadragesima designant: & quantum vndecima clarior est & calidior quàm prima, tantum finis septuagesimæ festiuior & vberior, quàm ipsius initium esse dignoscitur. Quod intuens Salomon in Spiritu, & hunc Ecclesiæ ordinatum progressum admirans, aiebat. *Quæ est ista quæ progreditur, sicut aurora consurgens: pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Progreditur de septuagesima ad sexagesimam, vnde quasi aurora consurgit ad quinquagesimã. Ibi vt luna decorata eligitur, vt in quadragesima soli assimiletur: tandemque sole clarior & candidior facta terribilis hostibus appareat, & vt castrorum acies contra eos ab Angelis ordinetur. Et vt hæc ad morum ædificationem, saluo altiori mysterio, applicemus; illum septuagesimam initiare dicamus, qui vitæ præsentis mutabilitate, & humani status instabilitate admonitus, ad se tandem de regione dissimilitudinis rediens, peccatorum sordibus firmiter renuntiare proponit. Sed quia quicunque piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur; & qui ad seruitutem Dei accedit, ad tentationem animam suam præparare monetur, transeundum est ei ad sexagesimam laboris, ne diuturna quies vitijs alimenta ministret: & semen boni propositi simul exortę spinæ voluptatũ & deliciarum suffocent. Sic filij Israël primò in Ægypto luto & latere fatigati, tandem ad se redeuntes ex Ægypto exire disposuerunt. Exeuntes autem insequentes Ægyptios protinus persenserunt, qui & eos inter Magdali & maris angustias concluserunt. Verùm illi diuisọ mari sicco illud vestigio trãsierunt: videntes submersos Ægyptios quinquagesimam in littore festiuis gaudijs celebrarunt. Ægyptij sunt consueta & quasi in habitum versa peccata carnalia, quæ volentes à se recedere importunè insequi & retinere contendunt, & inter multas & magnas contradictionum angustias concludunt: quibus, si ex toto corde ad Deum clamauerint, mare eis rubrũ diuidendo transmeabile facit. Mare enim rubrum amaritudo est pœnitentiæ, & rubor confusionis, qui ex peccatorum confessione, & insueta ciborum & vestium asperitate procedens, nouiter conuersis importabilis & intransmeabilis primò videri solet. Sed cognoscit Dominus qui sunt eius, & paruulos lactẽtes suos vltra quàm ferre possint tentari non sinens, facit cum tentatione prouentum; vt ea quæ impedimento esse videbantur, pro muro incipiant esse à dextris & à sinistris. A dextris enim muniunt, cùm in die bonorum non immemor est quis malorum quæ sustinuit. A sinistris, cùm in die malorum non immemor est bonorum quæ gustauit. Sic sic mittens Deus misericordiam suam & veritatem suam, fluctuantem animam de medio catulorum leonũ eripuit, deducens eam in nube diei, & in luce stellarum noctę: & eam per noctem in columna ignis, & per diem in columna nubis præcedens. Hunc maris rubri transitum, & talium persecutorum defectum desiderare videbatur Propheta, cùm diceret. *Vide humilitatem meã, & laborẽ meum: & dimitte vniuersa delicta mea.* Humilitatem, quam ex peccatorum recordatione, & laborem, quem ex satisfactionis dolore sustineo; delicta, quæ fugientem de Ægypto ad te, insequi non desistunt. Meritò igitur sic liberata anima à seruitute peccatorũ, quasi ab Ægyptiorum iugo iam mari transmisso & inimicis capitalibus submersis, iam etiam ad carnales motus edomandos accingitur, & rebelles artus in seruitutem redigere festinans, quinquagesimam celebrando consummat. Sic igitur in Ægypto post multas Pharaonis contradictiones formato proposito à malo declinandi, & multiplicibus Ægypti plagis septuagesimæ mutabilitate probata, sexagesimæque laborioso certamine peccatis actualibus finitis, sed & peccatorum motibus sensuum maceratione repressis, imò ipsis iam sensibus quinquagesimæ studijs edomitis, quid iam superest, nisi vt elongans homo effugiat & maneat in solitudine; vbi quadragesimam cum filijs Israël faciens in planitie, cibo cum eisdem cœlesti reficiatur; siue cum Moyse in monte ab omni prorsus humana sustentatione abstinens, tabulas diuino inscriptas digito accipere mereatur? Hæc ad præsens, ni fallor, sufficere possunt, ad cognoscendum, in quo cum veteribus noua conueniant. Nunc verò in quibus ipsa inter se noua concinant, attendamus. Sic enim in testium productione, non solùm qui sint testes, sed & in quo conueniant testimonia ipsa, naturalis ratio edocet inquirendum. Ait igitur Apostolorum eximius beatus Paulus. *Nescitis, quòd hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium?* Sicut Dominus in Euangelio operarios vineæ ad denarium, sic Apostolus currentes in stadio ad brauium, contendentes in agone ad coronam inuitat. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus. Primum est currere, secundum pugnare, tertium est vineam excolere. Priùs exercendus est homo in stadio bonæ actionis, secundò probandus in camino tribulationis, tandem componitur animus in renouatione interioris hominis; qui tantò ampliùs innouatur, quantò exterior de die in diem per prædicta exercitia corrumpitur. Primò igitur curritur per obedientiam, secundò pugnatur per patientiam, tandem introducitur homo in cellam vinariã. Currentes autem tria solent impedire, pondus, casus, stadij longitudo, siue incertitudo. Si ergo iuxta Apostolum sic currere quis cu-

*Cantic. 6.*

*Quid Ægyptij Hebræos persequentes designãt.*

*Psalm. 24.*

pit, vt comprehẽdat, exoneretur primò ab omni solicitudine & amore inferiorum, vt sic exoneratus ad brauium possit festinare. Festinans autem toto studio præcipitium caueat, vt absque interpolatione cursum valeat continuare. Continuationis quoque vsus instantiâ, aliquem sibi certum præfigat terminum, ne si in incertum currit, longitudine tandem lassatus careat perseuerantia. Hæc sunt, quæ in obedientiæ stadio cursitantibus maximè sunt necessaria; festinantia, instantia, perseuerantia. Festinantia, ne sint pigri; instantia, ne molles & dissoluti; perseuerantia, ne irremunerati. Perseuerantibus enim, non incipientibus præmium repromittitur, & omnis laus in fine claudi perhibetur. Pugnantibus simili modo tria necessaria esse solent: ars qua se & ab hoste tueri, & hostem deludere sciant: virtus, per quam ictus aduersarij fortiter sustinere, & ipsum fortiùs possint debilitare; sobrietas, ne grauati crapula aut ebrietate, cùm ventum fuerit ad pugnam, risum potiùs moueant inimicis, quàm triumphum de hoste reportent. Hæc tria videtur Apostolus expressisse, vbi ait. *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quẽ deuoret, cui resistite fortes in fide.* Sciens aduersarium nostrũ fortem esse, leonem nominauit. Leo enim fortissimus bestiarum, ad nullius pouebit occursum. Sciens etiam esse callidum, asseruit circuire. Sciens tandem malitiosum, ait, velle nos deuorare. Contra talem igitur armare nos & animare volens, fortes esse in fide docuit: vt fortis fortem valeat alligare. Vigilare etiam admonuit; vt callidi hostis versutias vigili solertia deprehendat, vt sic ars artem deludat. Tandem sobrios esse præcipit; vt dum nos malitia eius ieiunos & inedia affectos inuenit, non sit vnde suam ingluuiem de nobis satiare possit. Attendendum est autem, & diligenter aduertendum, quòd cùm hæc, quę prędiximus, currentibus & pugnãtibus constet esse necessaria, duo tantum nominauit Apostolus dicens. *Sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum,* &c. quoniam etsi cætera desint, hæc duo aliquando sufficere cognoscuntur. Videmus etiam pigros & minùs instantes, sola perseuerantia obtinere, minùs etiam fortes & astutos sola abstinentia aduersarium superare. Vnde ait. *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Quod autem subiungit, Patres nostros omnes sub nube fuisse, & cætera quæ sequuntur, mittit nos ad vetera; vt probet per ea præfigurata noua, & noua rem esse veterum, sicut & vetera vmbram fuisse nouorum. Quòd enim illis nubes fecit contra æstum, hoc nobis facit exercitium bonorum operum contra carnaliũ ardorem desideriorum: & quod illis diuisio maris, hoc nobis moderata probatio tribulationis: & sicut per illa duo sub Moyse illi baptizati perhibentur, ita per hæc nos sub spiritu timoris abluimur & emundamur: sicque corde mundo ad spiritualem escam comedendam, & spiritualem potum bibendum transimus, ministrante nobis petra Christo, secundum illud Prophetæ. *Cibauit eos ex adipe frumenti; & de petra melle saturauit eos.* Christus enim Dei virtus & Dei sapientia capacioribus cibus est, quem qui edunt, adhuc esurient; minus capacibus potus, quem qui bibunt, adhuc sitient. Hæc de Apostoli verbis sufficere posse videntur, nisi quia adhuc de brauio & corona aliquid restat dicendum. Currentibus siquidẽ in stadio obedientiæ per bonorum studium operum, pro brauio solet dari quædam securitatis audacia, & bonæ conscientiæ iucunda confidentia; quæ non est aliud, nisi vnde gloriatur Apostus dicens. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Pugnantibus quoque in agone reposita est corona iustitiæ, quæ est diuinæ lætitia consolationis; quam, qui lugent, ad beatitudinẽm solent accipere, iuxta illud Prophetæ, *Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam:* Et illud Apostoli, *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per illum abundat consolatio nostra;* & multa alia in hunc modum. His de Apostoli lectione breuiter prę libatis, iam ad vineam Euangelicam accedamus: & iuxta Apostoli consilium, instar boni agricolæ de vineæ nostræ fructu primi percipiamus. Pater siquidem familias quilibet iustus est ad perfectionem tendens. Cuius familia sunt exterioris hominis sensus, & interioris affectus. Istis præsidere sic debet homo, sicut Paterfamilias in domo, vt cùm dixerit vni, vade, vadat; & cùm alij veni, veniat. Huius vinea est propria conscientia, quæ tamdiu inculta & sine fructu manet, quamdiu neglecta & incomposita iacet. Huius vineę vitis virtus est; cuius sunt palmites vniuersæ cuiusque virtutis executiones. Tales palmites velut quosdam botros sensus pariunt spirituales. Ipsi sunt, qui si subtilis inuestigationis & studiosæ retractationis torculari, mediante coclea districtæ examinationis, fortiter fuerint expressi, elicitur vinum suauissimæ affectionis, vinum quod lætificet cor hominis, quod vtres veteres disrumpat, & nouos custodiat imbuendo. Tales fructus in libro Sapientiæ exprimuntur, vbi dicitur. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honestatis.* Cùm fructificasse se dicit odorem, qui non nisi ex flore procedit, & flores fructus esse asserit, innuit nequaquam sine fructu esse, cuius iam vinea floruit; quantumque delectent fructus, si tantum flores solo odore reficiunt, ostendere intendit. Attendendum sanè, quanta sit vini suauitas in gustando; si tanta est floris virtus in odorando, vt ad solam fragrantiam eius quæque venenata diffugiant. Non viles, non contemptibiles, non quales quales fructus ex tali vite colliguntur, qui honoris esse & honestatis asseruntur. Honoris, quia ex talibus ille honorificatur, cui soli honor & gloria; à quo exeunt, omnia gratiarum actionum & laudum præconia reuerti debẽt, vt iterum fluant. Meritò inquam dator talium fructuum ex eis honoratur, per quem etiam qui recipit, honestatur. Non vera honestas est, quæ Dei gratiæ non imputatur; nec Dei digna laus est, quam honestas non comitatur. Illa enim transitoria est, ista adulatoria iudicatur. In operibus autem sapientiæ honestas esse legitur sine defectione. Vnde & labores illius complesse dicitur, quem in laboribus legitur honestasse. Honestas igitur ad gratiam, honor refertur ad gloriam. Tales sunt fructuũ huius vitis effectus. Qui sint etiam ipsi fructus,

*Sex sunt necessaria currentibus: tria pugnãtibus.*

1. Petri 5.

Prou. 30.

1. Cor. 9.

Psalm 80.

2. Cor. 1.

Psam. 93.

2. Cor. 1.

*Quis sit Pater familias, quæ vinea,* &c.

Eccli. 24.

*Fructus honoris hone. sunt actus virtutis.*

Sap. 10

Eccli. 24.

subiungitur, vbi ait. *Ego mater pulchræ dilectionis & timoris & agnitionis, & sanctæ spei.* Dilectio & agnitio fructus sunt, timor & spes horum fructuum flores. Sicut enim dilectio custodia legum est, & finis præcepti charitas esse dicitur; sic initium sapientiæ timor Domini perhibetur: & sicut fructus florem explodere, sic perfecta charitas timorem foras mittere consueuit: sic & agnitio spem. *Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.* Per patientiam igitur quod non videmus sperando expectare, est per florem spei ad visionis fructum tendere. Vide, si non meritò hi flores fructus dicuntur, cùm sic floruisse iam quodammodo fructificasse videatur. Attende etiam, quàm rectè fructus honoris & honestatis esse referuntur. Pulchra siquidem dilectio est, cùm id solum amatur, quòd amandum est, & taliter diligitur, qualiter diligendum est. Amon namque etsi Thamar sororem suam dilexit, quam debuit; non tamen dilexit, vt debuit. Vides ergo, ni fallor, quantam pulchra dilectio homini conferat honestatem; quantum Deo attribuat honorem, per quam & Deus super omnia diligitur, cætera propter Deum, aut in Deo tantummodo diliguntur. Tantum fateor delectabiles visi sunt vitis huius fructus, quòd à proposito longè digressi sumus. Nunc igitur ad seriem lectionis Euangelicæ reuertamur. Dicitur Paterfam. primo mane exijsse, cùm scilicet ab actiua vita, quasi de domo propria, & quasi de terra & de cognatione sua exiens quis ad contemplatiuam transferre se satagit: cui tunc primum mane illucescit, quando in principio vigiliarum suarum primò ei veritas clariùs elucescit. Tunc quasi quidam operarij in vineam conducti mittuntur dolor & confessio. Hi primi in vinea conscientiæ operantur; dolor euellendo & dissipando noxia, dicens: quē fructū habui in quibus nunc erubesco? Ædificando etiam & plantando vtilia, dicens: vsquequo piger dormio? Confessio autem fodiendo & operando occulta; quoniam iustus in principio sermonis accusator est sui. Dehinc circa horam tertiam, cùm iam veritas pleniùs innotuerit, mittuntur zelus & circumspectio. Hi putare & stercorare nouerunt, zelus superflua amputando; circumspectio tam naturæ quàm culpæ vilitatem, velut quasdam sordes coram oculis statuendo. Circa sextam autem & nonam horam, cùm iam sol in summo est, mittuntur ad propagandum & sepiendum meditatio & oratio. Illa enim mentem virtutes propagando dilatat: ista vt propagata proficiant, ei qui solus incremētum dat supplicando commendat. Circa vndecimam tandem, cùm iam carnalis concupiscentiæ ardor tepescere cœperit, increpandi sunt & inuitandi affectus & intellectus ad vindemiandum. Isti siquidem in labores aliorū introeunt, & quòd alij laborando odorant, degustando percipiūt; affectus fructum pulchræ dilectionis; intellectus autem fructum agnitionis. Alij siquidem arant, in spe & timore suam salutem operantur, & tantum flores decerpere, & ex eis suauitatem odoris haurire videntur. Isti iam in re constituti, sapientię vino meracissimo debriantur. Vnde & meritò vna hora fecisse dicuntur; quia in huius centesimi fructus sapore suaui, vix quasi dimidia hora morari licet. Vnde & à quodam eleganter dicitur, *tarda hora, & parua mora.* Alij autem pondus diei sustinuisse dicuntur: quia ibi labor & afflictio spiritus, hic verò consummatio & finis laboris. Ad eundem tamen gustum & ipsi licet serò perueniunt, cùm pro tanta dulcedine omnia interiora hominis Dominum benedicunt. Bene autem in vespera reddi dicitur, quod serò percipitur. De qua vespera legitur in Iob. *Si dormiero* somno contemplationis, *dicam, quando consurgam* ad exercitium actionis: *& rursus expectabo vesperam* quietæ contemplationis. Hic est fructus centesimus, ad quem post tricesimū & sexagesimum tandem serò pertingitur, qui meritò denario comparatur. In denario enim imago Regis exprimitur: ad quem per gratiam contemplationis reditur, cùm imago & illa similitudo ad quam homo conditus est, per dilectionem & cognitionem in eo reparantur. Imago enim in agnitione veritatis; similitudo in amore virtutis consistit. Procurator qui hunc denarium distribuit, spiritus discretionis est: qui quid cuique conueniat, & à quo quod meretur accipiat, subtiliter attendit. Hic cū multi sint vocati, paucos esse electos deprehendit: quia cùm multa sint in præsenti necessaria, in futuro vnum sufficere recognoscit. Hoc vnum in vesperam diei differtur, & velut denarius in vinea laborantibus, seu brauium in stadio currentibus, vel corona in agone certantibus, vsque ad finem septuagesimæ reseruatur.

Rom. 8.

Pulchra dilectio quæ. 2. Reg. 13.

Quid sit Patrēfam. exire mane, & hora tertia, &c.

Iob. 7.

*Tractatus 15. De significatione Sexagesimæ, & de ijs quæ in ea leguntur.*

EXplicito itaque officio intrantis septuagesimæ, iam ad subsequentis sexagesimæ officium accedamus. Quam, quia laborem doloremque tribulationum & tentationum significare diximus, meritò in initio ipsius Psalmus proponitur, in quo quasi à somno Dominus excitatur; qui inter tot & tanta suorum flagella obdormisse videtur. Quæ flagella multipliciter exprimuntur, cùm eodem Psalmo sic dicitur. *Dedisti nos tanquam oues escarum, & in Gentibus dispersisti nos. Vendidisti populum tuum sine pretio, posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his qui in circuitu nostro sunt. Posuisti nos in similitudinem Gentibus, commotionem capitis in populis.* Vbi dicitur, *dedisti nos tamquam oues escarum,* exprimitur carnis afflictio; oues enim escarum non nisi ad mortem reseruantur. Vbi ait, *Vendidisti populum tuum sine pretio,* ipsius conditionis offuscationem ostendit: quia cùm liber homo venditur, seruituti addicitur. In eo autem quod subiungitur, *posuisti nos opprobrium vicinis nostris,* &c. ostendit se non solùm damna personę, sed & famæ detrimenta grauia pertulisse: & non solùm tormentis, sed & contumelijs interrogatum esse. Meritò tentatis psalmus iste proponitur: vt tot & tantarum tribulationum comparatione in suis tribulationibus tentatus se quisque consoletur: & ne quis apud se tacitus respondeat, meritò illos talia pertulisse, qui semper rebelles & increduli perstiterunt; statim beatus Paulus Apostolus inducitur, qui non solùm illis, sed etiam omnibus plus laborasse,

sentat, iuxta illud Euangelicum. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Alibi quoque in Euangelio quæ sit ista pax edocetur, cùm dicitur. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Ecce hanc requiem parit humilitas; imò non aliud est hæc pax, quàm ipsa humilitas. Quid enim nocere potest bono æmulatori: quid perturbare hominem vilia de se sentientem, vilitate gaudentem, de illatis injurijs & contumelijs gloriantem? Sic quippe humilitatis magister contumelijs & tormentis interrogatus, nec contumelijs turbari, nec tormento potuit superari. Bonus denarius humilitatis: qui dum totum quod est summo attribuit largitori, non solum decimam, sed & primitias bonorum suorum summo exhibet Sacerdoti, coronæ denarij principium vniens fini: vt in vnum coëant Alpha & O. Coronæ cùm principium obtineat castitas, quæ per incorruptionem proximum Deo facit hominem, & similem; & finem concludet humilitas, quæ est castitas animæ; per quam cùm solus Deus glorificandus cognoscitur, bona voluntas hominis ad pacem componitur: & non solùm imago Dei, sed & similitudo in homine reparatur. Hæc corona gratia Dei operante, & gratiæ Dei homine cooperante, in præsenti vita perficitur; & secundum Prophetam corona gloriæ nominatur. Quæ verò sequuntur, gaudium scilicet & charitas, velut duo hemisphæria sphæræ prædicti circuli superaddita, diadema regni perficiunt: ipsa tamen in præsenti vita non solùm non perfici, sed & dimidiari vix possunt. Vnde & factum esse dicitur silentium in cœlo, quasi media hora. Propheta dies illos vocat dimidios, in quibus dum adhuc orditur, succiditur. Hæc igitur in summitate sibi cohærentia, vt circulo coëant, deorsum à se inuicem disparantur, tenentque singula quæque locum sortita decenter. Gaudium siquidem à læua protensum in dexteram, suo hemisphærio cognitionem prætendit veritatis; charitas suo hemisphærio à tergo tendens in faciem, cæteris omnibus supereminet: & præcellens cætera quasi spiritus principalis confirmat & consolidat in amore virtutis. Huic in summitate cohæret gaudium, quod parit notitia veritatis, quoniam sursum, & ibi anima adhærens Christo vnus spiritus est: amor ipse notitia est: & vna & summa ibi virtus est, amare quod videas, & videre quod ames. Sic quippe per charitatem anima vnitur verbo, sicut corona vnitur illi, de quo tota pẽdere cernitur, lapidi: vt meritò dicatur corona de lapide pretioso; non quòd sit tota de substantia lapidis; sed quod de plenitudine pretiosissimi lapidis Christi, quidquid pretiositatis aut pulchritudinis habet, credenda sit accepisse. A Christo siquidem emanat ad animam, quidquid percipit gaudij de notitia veritatis, quidquid meriti de amore virtutis. Ab ipso siquidem est gaudium, quod infunditur homini de contemplatione inuisibilis & creatæ essentiæ: quod cœnum temporalium bonorum pertransiens, parit contemptum mundi. Ab ipso etiam velut ineffabile gaudium emanat, quod infunditur homini de contemplatione inuisibilis & increatæ essentiæ: quod dexteram amplexans parit in homine contemptum sui. Hoc ipsum in eo notatur, quod arca propitiatorio, propitiatoriũ alis Cherubim tegebatur. Et sicut ex contemplatione inuisibilium creaturarum visibilium amor obducitur; sic ex contemplatione creatricis essentiæ amor sui spiritus & creatorum omnium temperatur. Felix anima, cui temporalia bona velut læuam dilecti pro puluinari habenti sub capite, lætitia spiritualis de veritatis contemplatione concepta, contemptum omnium temporalium parit; & per contemptum omnium otium parat, quærendi studiũ reparat; & ad vacandum & videndum quàm suauis est Dominus, incessanter inuitat. Hæc tam feriata, tamque occupata inquisitio, hemisphærium gaudij spiritualis à suis terris initiat, secundum illud Prophetæ, *Lætetur cor quærentium Dominum.* Hinc anima perfecta lectuli otio, & nocturni silentij oportunitate captata, quærendo & circumeundo ad superiora conscendit, donec seipsam pertransiens transeat in dilectum: & fruendo eo inuenisse se quod quæsierat, glorietur: & tenere fortiùs statuat, ne auolans elabatur. Si autem vocem dilecti audierit dicentis sibi, *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me faciunt auolare,* paret humiliter, licet inuita; dexteram tamen gestiens retinere, tota interim in gratiarum actione versatur: gustatæ abundantiæ memoriam suauiter eructans, secundum, illud, *Cogitatio hominis confitebitur tibi; & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Cogitatio siquidem in summo sola soli Domino confitetur: deorsum recordatio diem festum agere dicitur, cùm multis gratias agendo delectatur. Non est hoc gaudium de vanitate, non de concupiscentia oculorum, nec de vitæ superbia; quo gaudio dictus est gaudere mundus à Domino, vbi ait. *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini:* sed illud, de quo subjungitur, *tristitia vestra vertetur in gaudium.* Et illud, de quo ait Propheta. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Et alibi. *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione; portantes manipulos suos.* Tales manipulos exultationis, quales prædiximus, de agro piæ actionis profert laboriosum exercitium studij spiritualis. Vnde Apostolus. *Disciplina quæ ad præsens est, non videtur gaudij, sed mæroris: postea verò exercitatis per eam pacatissimum fructum afferet.* Audiuimus fructus gaudij; quæramus fructus charitatis. Charitatis hemisphærium à dorso dictum est protendi in faciem. Dorso siquidem onera imponi, atteri etiam flagellis dorsum solet. Vnde Propheta. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* Vsque ad tales fabricatores extendit se charitas per compassionem, multò ampliùs compatiens persecutoribus, quàm patiens à persecutoribus: quod manifestissimè apparet in S. Stephano, vt omittamus illam incomparabilem Christi charitatem, qua pro suis persecutoribus exorauit dicens. *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Non contentus orare, addidit & excusare. Stephanus suis lapidatoribus orando compatiens, aspera inuectione eos redarguendo, zelum suæ compassionis manifestat dicens. *Incircumcisi cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Siue ergo arguat, siue obsecret charitas, officium compassionis exequi comproba-

*Mat. 5. & 11*

*Humilitatis commẽdatio.*

*Isai. 61.*

*Apocal. 8.*

*Psal. 104.*

*Cant. 6.*

*Psalm. 75.*

*Ioan. 16.*

*Psalm. 4. & 125.*

*Hebr. 12.*

*Psal. 128.*

*Charitas plus compatitur, quàm patitur.*

*Luc. 23.*

*Actor. 7.*

tur. Quantò autem per compassionem ampliùs in imis velut à posterioribus affligitur, tantò defæcatior & purior ad summa dilatatur, & summo angulari lapidi Christo, qui verè factus est in caput anguli, viciniùs coaptatur. Vbi quia terrena inhabitatio sensum multa cogitantem moram facere diutinam non permittit, descendendo in faciem carnis se extendit: dum per congratulationem illis qui se ad anteriora extendere contendunt humiliter congratulando consentit, à dorso flens cum flentibus, à facie cum gaudentibus gaudens. In hunc igitur modum virtutum omniũ regina charitas, & soror ejus lętitia spiritualis, in summo residentes mutuis complexibus vniuntur, ineffabilia & dulciora super mel & fauum oscula permiscentes; ita quod non iam duo dicendæ sint, sed vna perfruitio summi boni: quæ verè finis præcepti, finis legis, finis totius consummationis, finis laboris, & portus quietis. Quòd si moraliter hanc coronam libet interpretari: meliùs hoc in locum illum seruamus, vbi portæ istius faciem coronis aureis curabimus adornare. In his omnibus varietatibus ab illa Trinitatis simplicitate, quæ in fundamento ostensa est, nequaquam receditur: cùm vbique vna Trinitas, & trina vnitas expressa reperitur. Ecce enim, vt cætera prosequamur, habemus in virgula fumi myrrham castitatis, cuius actus est mortificatio; thus humilitatis, cuius actus oratio; habemus ignem charitatis: quo succensæ prædictæ species subtilissimum, suauissimum, ac purissimum emittunt fumum, quo & sordes purificentur, & olfacientes delectentur, & intuentes illuminentur. In rubi quoque virgula habemus per ruborem pudorẽ castitatis, per aculeos humilitatem continuæ pœnalitatis, per ignem non consumentem suauissimum ardorem charitatis. Hoc igne succensa B. Virgo Maria ciuitatem nostram velut porta lucis purificare, iucũdare, illuminare, † fumo excellentissimę suę opinionis non cessat: meritis purificans, beneficijs iucundans, exemplis eam illuminans & inflammans. Et hæc dicta sint pro virga mensuræ & solis statione, quę Moyses & Iosue ad portæ nostræ gloriam & decorem dicti sunt obtulisse. Quæ duo in Cantico suo notasse videtur Abacuc, vbi ait. *Stetit & mensus est terram.* Vbi enim Christus sol noster moriendo dimensus est metas humanæ mortalitatis, ibi verè stetisse, & maxillas Leuiathan hamo diuinitatis sub esca carnis abscondito perforando, diabolum ejecisse, & leonem rugientem leo de tribu Iuda probatur superasse. Stat etiam nobis idem sol in hac porta; quia qui in contemplatione diuinitatis suę diu stare non possumus, opponente se mole corporis quod corrumpitur, & animam aggrauat, in suæ humanitatis humilitate suauiter requiescimus; & in ipsius factis & verbis velut in solis radijs lucis candorem & deuotionis calorem reperimus, spectantes illud Salomonis. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Et in hac solis visione subtiliùs nos ipsos metimur, cùm ex operum eius comparatione, seu verborum indagatione, quantũ ad eum profecerimus, siue quàm longè adhuc ab eo distemus agnoscim⁹. Coarctat nos angustia iamiã finiendi sermonis, & cętera quę sequuntur breuiter transeũda indicit. Quid igitur vellus Gedeonis aliud intelligimus, quàm beatam Mariam, quæ humanæ naturæ velut oui centesimæ, quę errando perierat, tandem ad tegumentum & ornatum data esse cognoscitur? In hanc ros diuinæ gratiæ cum tanta plenitudine placido se infudit illapsu, vt meritò gratia plena dicta sit ab Angelo, & de eius plenitudine tota humanæ naturæ area, quæ vsque ad illud tempus sicca & abque humore charitatis arida perstiterat, inuẽitur perfusa. Quidquid enim spiritualis gratiæ Ecclesia in toto orbe diffusa in mẽbris suis majoribus siue minorib⁹ percipit, totum sibi de huius velleris fœcunditate prouenire, & suę capacitatis conchã expresso vellere rore cõpleri, humiliter recognoscit. Et sic quidem velut hereditati suæ pluuiam hanc voluntariam segregauit ille, qui sicut pluuia in vellus descendit, & suo descensu vellus ab omni humore carnalis concupiscentiæ lauit, purgauit, & desiccauit; vt aream tali humore madidam siccitate velleris detergeret & mundaret, portans in se iniquitates omnium nostrum, & afflictus propter scelera nostra. Quòd si propositæ Trinitatis libet in his inuestigare vestigium, habemus in vellere, quod cùm de carne trahat originem, nullam tamen carnis habet sensibilitatem, humanæ castimoniæ venustatem. In area, in qua omni asperitate in planitiem versa quęlibet altitudo detumuit, humanæ humilitatis æqualitatem. In pluuia diuinæ charitatis dulcissimam suauitatem; quæ humanæ castitati & humilitati confert initium, profectum, & consummationem. Non autem venit hæc pluuia super montes Gelboë, super quos pluit potiùs Dominus laqueos, ignem, sulphur, & spiritum procellarum. Eadem in auro & argento & lapidibus præparatis à Dauid, facile diligens lector inueniet. Quibus si æs, ferrum, & ligna cedrina iungantur; non erit absonum in ære, quod cæteris metallis est durabilius, eam intelligere, quę non excidit, charitatem: in ferro quod durius, eam quæ nulla liquatur mollitie castitatem, in ligno cedrino patientissimam humilitatis & insuperabilem lenitatem. Nam quod dicit Isaïas, *pro ære afferam aurum, pro ferro argentum, pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum,* congruè intelligi possunt in ære, ferro, & lignis, prędictæ virtutes, cùm sint in solo actu: pro quibus dantur à Deo illæ quæ sunt in affectu. Nec illud Salomonis incongruè huic sensui aptari potest, quod de beata Virgine in persona dicitur Angelorum. *Quid faciemus sorori nostræ, in die qua alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Murus siquidem fuit, quandiu per humilitatem suæ celauit excellentiam sanctitatis. Sed quia vera humilitas nunquam nouit esse otiosa, habuit etiam hic murus propugnacula argentea, cùm seipsam per charitatẽ exercuit in operibus pietatis, & claritate enituit perpetuę castitatis. Facta est etiam ostium, quę priùs murus fuerat: cùm superueniente in eam Spiritu sancto, & virtute altissimi ei obumbrãte, quæ priùs absconderat per humilitatem conseruans & conferens in corde suo, ijs qui scire ea digni inuenti sunt, reuelauit per charitatem. Compactum quoque fuit hoc ostium tabulis cedrinis: quia & tabularum planitiem in humilitatis habuit æqualitate, & cedri na-

Marginalia: *Charitatis soror lætitia spiritualis.* — † forte flãma — *Exod. 4.* — *Iosue 10.* — *Abacuc. 3.* — *Cantic. 5.* — *Iudic. 6.* — *B. Virgo est vellus Gedeonis.* — *Vellus pluuia imbutũ tres virtutes designat.* — *2. Reg. 2.* — *Isai. 60.* — *Cantic. 8.*

turam incorruptibilem retinuit in virginitatis integritate. Bene autem dictum est, *Compingamus*, quia virtutes istę ex quo versæ in habitum transierint in affectũ cordis, tanta inuicem inueniuntur vnitate compactæ, vt non iam aliud sit humilitas vel castitas, quàm charitas, & in vno charitatis præcepto præcepta omnia cætera consummentur. Non autem sic est de illis quæ sunt in actu, cùm modo vnam, modo aliam oporteat exerceri: & pro loco, pro persona, pro tempore, opus ipsum oporteat variari. Intermittendus etiam aliquando est earum actus, vt latiùs se extendat, secundũ illud. *Qui minoratur actu, percipiet sapientiam.* Hac quoque nos ratione inducti, paululum quiescendum ducimus à labore scriptitandi, vt quiete modica recreati, quæ supersunt faciliùs explicemus. Inuitat nos etiam ad pausandum thronus ille eburneus, qui primò describendus occurrit; de quo legitur; quia non est factum tale opus in vniuersis regnis. Petimus autem veniam à lectore, quòd iuxta promissum, non omnia prędicta sub vno sermone cõclusimus: quoniam spiritum ducem sequimur, & quocumque ducit ille, illuc & sequi necesse est rotam nostræ inuestigationis. Vt enim verum fatear, stante illo, stat ista; eunte illo, & ista: & cum eleuato pariter eleuatur. Ipse autem semper Alpha & O. &c.

*Eccli. 38.*

*3. Reg. 10.*

*Tractatus 13. Digressio, qua lamentatur author Ierusalem ab Infidelibus captam.*

CVM gloriosa quæ gloriosè de Ciuitate Domini à Dauid præuisa, & à multis Regibus & Prophetis prædicta & præfigurata noscuntur, tantò iam clariùs, quantò viciniùs speculamur; & duodecimę portę limina attingentes per eam intrare contendimus: subitò ejusdem portæ gloria & decore, ac splendoris insoliti fulgore nimio percussi stupemus, totque varietatum admiratione illecti libenter gressum figimus: & cum Regina Saba præ nimio stupore non habentes vltra spiritum exclamamus. *Media pars* per Prophetas *nuntiata non fuerat*: incomparabiliter majus est quod videtur, quàm rumor qui auditur, nec iam cum Propheta dicere sufficit, *Sicut audiuimus, sic vidimus*; sed longè ampliora quàm audiuimus de ciuitate Domini iam videmus. Sed heu heu, dum ordimur, succidimur; & cùm ad requiem ingredi festinamus, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, quo ciuitas nostra tota concutitur; columnæ & turres ipsę contremiscunt, fundamenta ipsa nutare videntur. Portæ gloriæ non tam clausæ, quàm obstructæ reperiuntur. Ipsa denique porta lucis, cuius gloriam paulò antè tam delectabiliter speculabamur; illa inquam orietalis porta, per quam ciuitatem suam illustrare consueuerat oriens ex alto, radios suæ lucis abscondit: & sublato de ciuitate Domini lumine gloriæ, condensatis tenebris mœroris atque tristitiæ, conquiescit gaudium tympani, dulcedo citharæ conticescit: ita vt versa videatur in luctum cithara nostra, organum nostrum in vocem flentium. Risus quo tota ciuitas iam nobis intrantibus arridebat, heu heu, ecce dolore miscetur, & gaudij nostri non solùm extrema, sed ipsa etiam primordia luctus occupat. Iam non portas ciuitatis nostræ occupat laudatio; iam non rectè dicitur ciuitas exultans, vrbs frequens, clamoris plena, nisi fortè illius clamoris, qui in Rama auditus est, ploratus & vlulatus Rachelis plorantis filios suos, siue Noëmi dicentis, *Nolite me vocare Noëmi, id est pulchram, sed vocate me Mara, id est amaram; quia amaritudine repleuit me Dominus.* Quæ hodie alia debet esse vox Ecclesiæ, nisi vt Rachelis, quæ ouis interpretatur, amissa fœcunditate, offuscata Noëmi venustate, ruinas suas deplorãs quadrupliciter eas cum Ieremia describat? Scribat autem stylo ferreo in vngue adamantino; ne facilè deleri, ne citò transire valeat, quasi momentaneus dolor eius; sed semper suam descriptionem habens præ oculis, à lachrymis eis non parcat; etiamsi præ fletu palpebræ contumescant, & ipsi oculi caligine obtegantur: donec Dominus, qui ad præsens oblitus misereri videtur, in ira sua misericordiæ recordetur. Primò igitur terrenæ Ierusalem ruinam deploret, licet eam spiritualis Ierusalem ruina præcesserit; nec terrenæ vlla nocuisset aduersitas, nisi priùs dominata fuisset iniquitas Ierusalem spirituali. Verùm, quia fides hodie mortua videtur, nec est iam qui fidei oculos apertos habens rerum sperandarũ & non apparentium argumentum requirat, magis ea quæ videntur nostri temporis homines mouẽt, quàm ea quæ non videntur; plusq; dolent, subtractis ijs quę habentur, quã ijs quę tantũ sperantur sublatis: licet ea quę videntur & habentur transitoria sint; ea quæ non vidẽtur, & sperantur, æterna. Temporalẽ igitur visibilis Ierusalem casum in persona Ecclesię deploremus, qui mẽbra Ecclesiæ digni habiti sumus; & patienti vni Ecclesiæ membro compati & condolere, imò ipsã vim doloris non minùs quàm ipsum quod patitur membrum, sentire, si vera sumus membra, debemus. Legimus in veteri testamento, templum ab Antiocho prophanatum, altare aureum, & candelabrum luminis, mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, velum & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat, & vniuersa vasa templi ab eo comminuta. Quid etiam ad hæc homines duræ ceruicis, Iudæi scilicet, egerint, vel dixerint, audiamus. *Factus est*, ait Scriptura, *planctus magnus in Israël, ingemuerunt principes & seniores, iuuenes & virgines infirmati sunt, & speciositas mulierũ immutata est. Omnis maritus sumpsit lamentum: & quæ sedebant in thoro maritali lugebant; & commota est terra super habitantes in ea, & vniuersa domus Iacob induit confusionem.* Quid etiam Mathathias, videns mala quæ fiebant ab Anthiocho in populo, quid inquam dixerit, audiamus. *Væ mihi*, ait. *Vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ, & sedere illic, cùm datur in manibus inimicorum? Sancta in manu extraneorum facta sunt, templum ejus sicut homo ignobilis. Vasa gloriæ ejus captiua abducta sunt; trucidati sunt senes ejus in plateis; & iuuenes ejus ceciderunt in gladio inimicorum. Quæ gens non hæreditauit regnum ejus, & non obtinuit spolia ejus? Omnis compositio ejus ablata est. Quæ erat libera, facta est ancilla. Et ecce sancta nostra, & pulchritudo nostra, & claritas nostra desolata est, & coinquinauerunt eã Gentes. Quo ergo nobis ad-*

*3. Reg. 10.*

*Psalm. 47.*

*Ruth. 1.*

*Plus mouẽt homines corporalia quã spiritualia.*

*Machab. 1.*

*Ibid. c. 2.*

*huc viuere? Et scidit vestimenta sua Mathathias, & filij ejus, & operuerunt se cilicijs, & planxerunt valde.* Si carnales illi homines sola carnalia sapientes, & carnales cæremonias venerantes, ad sanctorum suorum prophanationẽ adeò inconsolabiliter doluerunt; quid facturi sunt Christiani, qui non in vetustate literæ seruiunt, sed in nouitate spiritus ambulant: qui non ad seruitutem tam multarum, tamque importabilium cæremoniarum, sed ad libertatem gratiæ sunt vocati: qui non spiritum seruitutis in timore, sed spiritum adoptionis, in quo Abba pater exclament, acceperunt? Ad quos faciens Dominus verbum abbreuians & consummans super terram, pro omnibus illis veteribus & deprimentibus legis mandatis, vnum charitatis mandatum nouum instituit, quod obseruatores suos ab omni alleuiaret onere, & à carnalis concupiscentiæ vetustate suauiter innouaret; pro variorum etiam sacrificiorum nidore vnam constituit hostiam incruentã, cuius idem ipse voluit author esse & consecrator, seipsum pro suis hostiam Deo offerens in odorem suauitatis. Nec discrepare voluit hostiam à mandato, cùm charitatem illam qua nemo maiorem habet, seipsum offerendo in se nobis primus exhibuit; & eandem sibi à nobis per idem sacrificium voluit exhiberi. Quid enim aliud nobis protendit & prædicat sacrificium illud, nisi vt toto corde, tota virtute diligamus eum, qui adeò nos dilexit, vt mori voluerit pro peccatis nostris, non solum exemplum & memoriam relinquens suæ passionis, sed etiam remedium adhibens nostrę infirmitatis? Non enim sacramento illo prouocamur tantùmmodò ad imitationem, sed etiam emundamur ad sanctificationem. Hæc sunt Christianorum sancta sanctorum; hæc nulla vetustate deleri, nulla temporum varietate mutari, nulla possunt prophanatione hostium inquinari. Sed voluit diuini consilij inscrutabilis altitudo, quædam visibilia sancta Christianis conferre, quæ visibilium sectatores, qui ad inuisibilia sancta sanctorum non conscenderunt, visibiliter intuentes, scalam sibi ad inuisibilia facerent; habentes ea argumentum ad fidem, incitamentum ad dilectionem, signum ad recordationem, causam ad venerationem, remedium ad sanctificationem; securum tandem & commune omnibus auxilium contra omnem tribulationem. Sancta hæc intelligit, quisquis se intelligit crucem Domini & sepulchrum. Hæc non solum vltima hac ætate sunt Christianis exhibita, sed prę cedentibus ætatibus multipharié multisque modis à Patriarchis & Prophetis præuisa sũt & Prophetata. E quibus vnus Isaias sic ait. *Erit sepulchrum ejus gloriosum.* Et alibi. *Locum,* ait, *pedum meorum glorificabo.* De cruce quoque Domini Abacuc ait. *Cornua in manibus ejus. Ibi abscondita est fortitudo ejus: ante faciem ejus ibit mors.* Et Dauid Propheta. *Foderunt manus meas & pedes meos.* Ieremias quoque in persona Iudæorum, *Mittamus,* ait, *lignum in panem ejus.* Liquet planè, in quanta veneratione habeant Christiani, quæ tam longè antè admirando & venerando ipsi etiam præuiderunt & prædixerunt Iudæi. Hæc sancta mei temporis homines mecum nostris diebus conculcata deplorant. Si suorum Sanctorum momentaneam violationem tam irremediabilibus lachrymis deplanxerunt Iudæi: nobis quæ consolatio potest esse, qui hæc nostra sancta, non tantum violata, sed etiam captiua videmus? Ecce arca fœderis Domini, arca testamenti noui, crux scilicet Christi, gloria populi Christiani, medicina peccatorum, curatio vulnerũ, restitutio sanitatum, captiua ducta est in Damascum. Arca inquam nostra, quæ non solum virgam, tabulas testamenti, & manna vno in loco contineat, spatioque breui concludat: sed quæ quatuor brachijs quatuor terrarũ partes comprehendens, toto orbe terrarum suis cultoribus virga sit ad correctionem, liber ad eruditionem, manna ad consolationem. Per eam siquidem corriguntur peruersi, erudiuntur erronei, obedientes & docti consolantur, habẽtes vrnam auream spiritualis intelligentiæ, per quam quæ sit latitudo crucis, longitudo, sublimitas, & profundum, cum omnibus Sanctis comprehendant. Nec solùm arca secretorum, sed & communis omnium est scala peccatorũ: per quam Christus Rex Cœlorum ad se traxit omnia. Duo huius scalæ latera duo sunt crucis ligna, quæ sunt contemptus voluptatis, & contemptus vanitatis. Per hæc contumelijs & tormento interrogatus contumelias amplectens, omnes suos contemnere docuit gloriæ vanitatem; tormẽto non cedens, carnalem quamlibet abdicari voluit voluptatem. Quid hac perfectione felicius, qua fit, vt homo nec abiecta timens, nec aspera, imò pro Christo talia pati desiderans, Angelica iam fruens vbertate sperare desierit & timere? Nec enim sperat prospera, qui contumelijs gaudet: nec formidat aduersa, quem vel delectat aduersitas vel exercet. Heu, hæc omnia nobis tecum sunt, ô bona crux, sublata; imò, vt veriùs loquar, his tuis virtutibus iam dudum à nobis remotis, tuis fructibus ieiuni, tua etiam cohabitatione facti sumus indigni. Neque enim dignum fuit, vt esses nobis sicut vmbraculum in vinea, aut sicut tugurium in cucumerario: quæ cùm fieri soleant in pomorum custodiam, sublatis pomis ea pariter desolantur. Quis mihi det tecum sublatum fuisse de medio? Quis cùm illis nouis martyribus defensoribus tuis animam pro te dedisse, corpus tuis obsequijs impendisse? O terque quaterque beati, qui te sequendo, te tuendo, maluerunt succumbere, quàm sine te in bonis ducere dies suos. Nunquid non in his videtur venisse Christus iterum crucifigi? venit planè denuo crucifigendus ab Ethnicis, qui semel crucifixus fuerat à Iudæis. Et hoc fortè in prima præsignatum fuerat passione. Sibi enim hora tertia crucifixus legitur linguis Iudæorum, hora sexta manibus Ethnicorum. Videtur igitur nostræ diei sexta iam incœpta hora, in qua sit Passio Domini consummanda; & Filius iteratò clamans, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me,* pro sua reuerentia exaudiri mereatur: vt denuo aperiantur monumenta, scindantur lapides, & multi eorum qui in peccato obdormierant, suscitentur. Nunquid non sic necesse erat, fidem Christianam morte testatoris confirmatam, & iam vbique terrarum non solùm sine operibus mortuam iacentem, sed etiam mortuis operibus putridam & fœtentem, iterata eius passione à morte resuscitari? Sic planè decipiendus erat

draco

*Sacrificium Eucharistia*

*Isa. 11. & 60.*

*Abacuc. 3.*

*Psalm. 21.*

*Ierem. 11.*

*Crucis laudes.*

*Martyres sunt, qui pro Christiana religione pugnando occumbunt.*

*Psal. 21. & Matth. 27.*

rasse, asseratur. Hic qualiter sexagesimæ labores in seipso pertulerit, ostendere volens, sex nobis tribulationes in sua non solùm lectione sed & tribulatione proponit: illud forsitan, vt in Iob subtiliter attendens, *In sex tribulationibus liberabo te, & in septima non tanget te malum.* Præter senarij namque mysterium, secundùm quod labori & tribulationi aptari solet, etiam sex tribulationum sunt species, quibus sancti in præsenti quotidie atteruntur. Prima est, quæ irrogatur ab hoste, quam Apostolus exprimit, vbi ait. *In carceribus, in plagis:* vbi etiam quinquies quadragenas vna minùs se à Iudæis accepisse, ter virgis cæsum, semel lapidatum esse, testatur. Altera, quę infertur ab euentu fortunæ, vel vt magis canonicè dicamus, à vitæ huius mutabilitate; quam subiungit Apostolus, vbi ait. *Ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. Periculis fluminum, periculis latronũ, periculis ex genere,* &c. Alia, qua seipsos sponte iusti affligunt, quæ ab Apostolo designatur, vbi ait. *In laboribus & ærumnis, in jejunÿs multis.* Et quia non solùm exteriùs crucem portant, per carnis afflictionem; sed etiam interiùs per mentis compassionem, subiungit. *Præterea quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Quarta, quam ingerit infirmitas naturę: quæ signanter ostenditur in fame & siti, in frigore & nuditate, & in frequenti morte. Vnde & ait. *Quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor.* Quintam exhibet probatio castigationis diuinæ, quæ præcipuè per falsos fratres exerceri solet, siue per iniquos prælatos, quos ad corrigendũ & probandum populum suum permittit Dominus aliquando regnare. Qui per Damasci præpositum signanter exprimuntur: vbi ciuitatem, vt innocentem Paulum comprehenderet, custodisse narratur. Sexta tandem est, quã molestissimam boni sustinent ex stimulo carnalis concupiscentiæ; quæ ideo forsitan vltima ponitur, vbi ait, *Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet;* quia nouissimè cum morte destruitur; & tunc primò fit sermo, qui scriptus est. *Vbi est mors stimulus tuus?* His sex tribulationibus iusti in præsenti purgantur, probantur, & liberantur. Purgantur ad veniam, probantur ad gratiam, liberantur ad gloriam, vt gloriari meritò possint, & dicere cum Propheta. *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis,* sperans & confidens, quòd in septima non tangat me malum tremendæ damnationis. Quòd autem in principio lectionis Apostolicæ dicitur, *Sustinetis, si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit,* si diligenter aduertatur, illis quę in psalmo expressimus, consonare videtur. Iam ergo ad lectionem Euangelicam accedentes, in quo etiam prędictis concinat, videamus.

Job. 5.

Quæ sint sex tribulationes iustorum.

2. Cor. 11.

Ibidem.

Psalm. 116.

Primò igitur attendendum est, quòd quando fit vox de firmamento, stare etiam ipsa Cherubim, & alas suas submittere perhibentur. Duo Cherubim sermonem Propheticum & verbum Apostolicum, quæ præcesserunt, non immeritò intelligimus, eo quòd plenitudinem scientię continere, & omnem humanam scientiam excedere videntur. Quòd si ipsi Apostoli & Prophetæ à voce diuini tonitrui formidant, & facta voce super firmamentum, quod capitibus Cherubim supereminet, alas conatuum suorũ humiliter submittunt; quid agere debet humana infirmitas, vbi per seipsam loquitur veritas? Quid est enim aliud, Dominum Iesum Dei virtutem & Dei sapientiam, verbum suis discipulis explanare, quàm vocẽ de firmamento dare? Firmamentum siquidem diuinitas eius est; vnde vox toties datur, quoties diuina hominibus propalantur. Ad hanc vocem stant Cherubim, nec est vlterius quo procedant; quia & amicus sponsi stat, & gaudio gaudet propter vocem sponsi. Tacente autẽ sponso expandunt Cherubim alas, & inquisitionum suarum scrutinia superextendentes deficiunt, scrutantes scrutinio, exclamantes cum Propheta, *Memor fui Dei, & delectatus sum, & defecit spiritus meus.* Vnde & à firmamento oculos demittentes, mutuis vultibus in propitiatorium respicere prouocantur. Propitiatorium siquidem est assuetus humanæ locutionis modus, quo Christus in Euangelio vti voluit, quo licet humanæ infirmitati se contemperare & condescendere videatur, sub ipso tamen in Euangelij arca secreta cœlestia recondere, & recondita seruare comprobatur. Ibi enim sunt tabulæ præceptorum, ibi virga comminationum, ibi in diuinæ sapientiæ vrna quasi quoddam manna est dulcedo promissionum. Quæ tria Apostolus ad Hebræos scribens eis noluit reuelare, ne daret sanctum canibus, dicens, *De quibus non est modo dicendum per singula.* Alio tamen tempore Romanis scribens, ea differendo aperuit, vbi ait. *Non enim erubesco Euangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem. Reuelatur etiam ira Dei in eo super omnem impietatem & injustitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent. Ira enim & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum.* Virtus ad præcepta refertur, in eo quod non modica virtus sit in eis exerceri: nec nisi diuina virtute valeant adimpleri. Vnde Propheta. *In voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Iustitia ad promissa secundum illud Apostoli. *Cursum consummaui, fidem seruaui: de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ,* &c. Reuelatur etiam ira Dei de cœlo, vbi non iam pœna temporalis, sed æterna damnatio intentatur: non iam dentem pro dente, oculum pro oculo, mortem corporis pro morte corporali: sed corpus & animam mittere in gehennam, Euangelium suis transgressoribus comminatur. Quod autem ait, iustitiam reuelari ex fide in fidem, ideo dictum videtur; quia sicut fides pręcedentium ex subsequentium exhibitione comprobatur: ita etiam ex perceptione præsentium munerum firma est expectatio futurorum. Vel ex fide promittentis, in fidem credentis. Non enim est diffidentiæ locus, vbi non tam verax quam veritas; nec tam potens quam omnipotens est, qui repromittit Deus. Quòd autem hæc quæ prædiximus, in doctrina Euangelica velut in quadam testimonij arca concludantur, ostendit Dominus Apostolis, requirẽtibus quæ esset hæc parabola, dicens. *Vobis datum est nosse my-*

Ezech. 1.

Psal. 76.

Psal. 30.

2. Timot. 4.

Ira Dei reuelatur, vbi pœna æterna intentatur.

Luc. 8.

*sterium regni Dei: cæteris autem in parabolis.* Ac si diceret. Vobis datum est propiùs ad arcam accedere, & Euangelij arcana cognoscere, & velut in sancta sanctorum ingressum habere: cæteris à longè velamento interposito manentibus, & faciem vestri Moysi cornutam stupentibus; & prę fulgore nimio non valentibus sustinere. Studeamus igitur & nos propiùs accedere, & quæ dicuntur vtilius intelligere, & intellecta in arca memoriæ firmiter retinere.

*Ibidem.* Ait ergo. *Semen est verbum Dei.* Quid enim aliud verbum Dei, siue comminando terreat, siue promittendo demulceat, intendit; nisi vt præcepta Dei, velut quoddam semen, homo per consensum recipiat, per diligentis studij attentionem retineat, per bonorum operum executionem foueat, per contemptum mundi

*Matth. 5.* & compunctionem vigere contendat? *Esto* ait *consentiens aduersario tuo, dum es cum illo in via.*

*Aduersarius noster est verbum seu lex Dei.* Aduersatur nobis verbum Dei, quamdiu à nobis illud repellimus. Cùm verò ei consentimus, velut terra semen recipimus. Sed cauendum est, ne idem semen iuxta viam cadat: via enim est cor, per quod indifferenter boni & mali transeunt cogitatus, quod nulla lege disciplinæ constringitur, nulla timoris sepe clauditur, sed mala quadam libertate vtens, vaga curiositate vbique circumfertur. Quod quæso semen cor tale retinere potest, quod quasi quędam strata à demonibus conculcatum, eorum suggestionibus resistere non potest? Sed & si vaga curiositas studio lectionis & sui circũspectione fuerint superata, & semen verbi Dei firmiter retentũ fuerit, nondum tamen securum oportet esse agricolam; cùm extirpandæ restent spinæ deliciarum, & diuitiarum solicitudines; quæ si subortæ liberè excreuerint, semen retentum penitus suffocatur. Opponatur igitur carnis concupiscentiæ, vigiliarum & ieiuniorum maceratio: & velut quidam Prophetæ sarculus vniuersas carnis tentationes extirpet. Sed nec sic quidem adhuc quiescat agricola, cùm adhuc supersit ei vitæ superbia debellanda. Hæc nisi contemptu mundi & compunctionis fuerit humiliatione depressa, terrã cordis petrosam reddit, & aridam: vt licet iam semen radicatum videatur, veniente tamen æstu tentationis sine mora siccetur. Hæc sunt

*Iob 1.* tres turmę, quas Chaldei accedẽtibus ad Deum opponunt: & nisi & ipsi cum Iacob tres quas

*Genes. 32.* prædiximus turmas eis opposuerint, facile ab eis deuincuntur. Qui autem inter tot tentationes diuino fultus auxilio fortiter dimicauerit, fructum tandem centesimum de suo semine percipiet. Sed hæc fortè quinquagesimæ seu quadragesimę, quæ sequuntur, melius reseruantur. Sexagesimæ interim sexagesimę fructus sufficiat; & dum sibi turmæ prædictæ inuicem aduersantur, & modo istæ, modo illæ ab alijs separantur, tribulatio patientiam in homine operetur: per quam dum homo sibi dominari discit, id ipsum quod est, possidere incipit. Verùm quia de arca testimonij aliqua breuiter tetigimus, & ei Euangelicam doctrinam comparandam diximus: ad releuandum præsentis sexagesimæ tædium, quæ de eadem supersunt materia, suppleamus. Lecto igitur Euangelio velut arcã sanctificationis in medio constitutã, quid restat, nisi ut sacerdos iam propiùs accedens desuper propitiatorio & medio duorum Cherubim, ipsum sibi loquentem Dominum audiat: & accedens ad cor altum, etiam supra Cherubim exaltatum Deum videat, sicque ipsis iam spirituum cœlestium cętibus admixtus, gratias Deo semper & vbique agere desiderans, vnanimi cum eisdem voce concinat dicens, *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth?* &c. Non solum enim vsque ad Cherubim, sed omnem prorsus creaturam transcendere oportet, eum qui ad Deum accedere festinat: vt & ipsum etiam Christum iam non secundum carnem agnoscens, Deo adhęrendo non solum duo sint in carne vna, sed vnus cum eo spiritus efficiatur: non inquã duo dicendi sunt, sed vna caro, vbi corpus Ecclesiæ suo capiti counitur: vbi ima summis sociantur, terrena cœlestibus iunguntur. Quid hoc spectaculo iucundius, quid hoc pane suauius: quid tali refectione melius quæritur; quid fructuosius inuenitur? Bonum est hanc arcam, hoc altare, frequenti inuestigatione circuire; & hostiam vociferationis in eo immolando, cũ psalmista vociferando proclamare.

*Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tua.* Dicitur enim hæc arca, arca *Psal. 131.* sanctificationis, arca testimonij, arca testamenti, arca fœderis. Fœderis, propter reconciliationem: testimonij, propter fidei incorruptionem; sanctificationis, propter munditiæ puritatem. Dicitur autem hæc arca ex omni *Hebr. 9.* parte auro circumtecta fuisse: quia doctrina Euangelica vndique veritatis fulgore resplendet. Et licet quatuor angulis distincta inueniatur: tanta tamen concordiæ vnitas, & veritatis soliditas inuenitur, vt non tam duo parietes in vnum conuenire, quam vtraque vnum fieri videantur. Quod si hos angulos libet diligentiùs explorare; possumus per duos parietes intelligere Euangelicæ censuræ rigorem, & lenitatem dispensationis. Quæ quomodo in vnum angulum coëant, inspecto subtiliùs Euangelio manifestè liquebit. Ait enim ex seueritatis rigore. *Facilius est camelum per fora-* *Matt. 19.* *men acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Alibi ex misericordiæ dispensatione, *Date eleemosynam, & ecce omnia mun-* *Luc. 11. 16. & 6.* *da sunt vobis.* Et, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Sed & ex misericordiæ lenitate, *Dimittite, & dimittemini.* Et hi quidem parietes à parte orientali & meridiana arcam muniunt. Cùm enim oriri nobis sol iustitiæ incipit, tunc omni sunt districtionis rigore præcepta Euangelica obseruanda. Cùm autem nos ad summam perfectionem prouexerit, moderanda est actio, vt contemplatio dilatetur: & arcu iam contrito, & scuto armisque cæteris confractis, vacandum est iam & videndum, quoniam suauis est Dominus. Nam *qui minoratur actu, percipiet sapientiam.* Vides, ni fallor, *Eccli. 38.* quomodo rigor & dispensatio in vnius concordię angulum indiscretè conueniant. Cùm igitur orientalem & meridianam plagam teneant decreta mandatorum, occidentalem & aquilonarem obtinent sancita sacramentorũ. Quorum cùm quædam sint necessitatis, quædã dignitatis, siue vtilitatis: quędam imponãtur, quædam suadeantur; quæ necessitatis sunt, occidenti peccatorum obuiant; quę autem vtilitatis, diabolicis aquilonis flatibus opponuntur. Inde est, quòd versus aquilonem Euan-

*cur Euangelium versus aquiloně legatur.*

gelium legitur, vt in de voce diuini tonitrui veritatis inimici formidantes diffugiant. Sed & isti duo parietes vnam compagem efficiunt, cùm ad salutem humanam efficaciter sibi cooperentur, & vnam Dei & hominum reconciliationem operentur. Quòd autem quatuor angulos, & in quatuor angulis quatuor anulos arca habuisse describitur, compendij gratia, & ad vitandum fastidium lectoris studio distinguendum relinquo. Illud tamen prætereundum non est, quòd sicut in angulis concors designatur vnio, ita in anulis consummata perfectio. Sicut enim anulus rotundus est, & vnum medium punctum æqualiter circumfertur; sic Euangelicę doctrinæ perfectio nusquã ab vnius & simplicis veritatis definitione longiùs euagatur. Habet igitur in ijs quæ variè dicere videtur, summam concordiam: habet in ijs quæ pręcipit, perfectionis summam. Non sic lex Moysi, quæ neminem ad perfectum adduxit; & cuius munera & hostiæ non potuerunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem. Euangelica verò sacramenta perfectè sanant, & præcepta perfectè iustificant. Vt enim cætera omittam, dicitur de sacramento baptismatis. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Dicitur etiam de præceptis. *Vos amici mei estis; si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Et fortè anuli ideo quatuor esse dicuntur; quia vtrique homini, exteriori scilicet & interiori, sacramenta perfectam salutem, & præcepta perfectam afferunt iustificationem. Sunt autem in anulis duo vectes, quibus vel ad ima deponitur, vel ad summa leuatur. Hi sunt deuotio & discretio; quorum specialiter deuotio ad sacramenta, discretio respicit ad præcepta. Hos vectes infra hos anulos concludi volebat Apostolus, cùm diceret. *Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras.* Quasi diceret; pax reconciliationis Dei & hominum quam sacramenta & pręcepta Euangelica operantur; quæ sua perfectione exuperat omnem Angelicum & humanum sensum, ita vt huius quasi anuli finis creaturæ sensu comprehendi non possit, concludat tamen & custodiat corda & intelligentiam vestram: vt corda ad deuotionem, intelligentiam referas ad discretionem. Hi vectes se inuicem iuuant, quia & ex discretionis intelligentia crescit deuotio, & ex deuotionis dilatatione proficit intelligẽtia. His etiam seu deponitur, seu eleuatur arca; quia cùm ista inferioribus implicantur, quodammodo animalia stare & rotæ pariter super terram videntur. Cùm autem ad superiora desideranda per deuotionem, seu inuestiganda per discretionem animalia eleuantur, eleuantur pariter & rotæ Euangelicæ sapientiæ: quæ pro rotunditate suæ perfectionis, siue pro agilitate suæ subtilitatis rotæ non immeritò comparatur. Vides, quomodo vetera veteribus concinunt, & noua nihilominus prænuntiare probantur; vt meritò noua & vetera dilecto reseruata dicantur. Quod autem anuli in Moyse, hoc rotæ in Ezechiele; quod in hoc animalia, in illo vectes præfigurant. Quod verò & hæc & illa, hoc nobis Euangelij gratia repræsentat. Quod in arca quatuor anguli, hoc in rota quatuor facies, hoc in Euangelio quatuor, quas prædiximus, signant distinctiones.

*Noua legis Sacramẽta iustificant.*
*Marc. 16.*
*Ioann. 15.*
*Philip. 4.*
*Exod. 25.*
*Ezech. 1.*

Circa hanc arcam quatuor turmæ castra metabantur: & prima turma ad orientem, secunda ad meridiem, tertia ad occidentem, quarta ad aquilonem erat. Nec eleuabatur arca, donec turma orientalis & meridiana proficisceretur. Tunc eleuata & procedente arca, proficiscebantur & aliæ. Quid sibi volunt ista, nisi quod etiam videmus hodie in Ecclesia actitari? Primò accedens sacerdos ad altare, vertit se ad orientem; quasi inuitaturus illam, quę in oriẽte est; vt quæ retro sunt oblita, in anteriora se extendat. Dehinc vertit se ad meridiem, vt & turmam meridianam prouocet ad surgendum. Tunc eleuata iam arca conuertit se ad occidẽtem, & occidentalem turmam officiosè salutãs admonet, vt sequatur, dicens, *Oremus.* Et ne pigri fortè, vt assolet, inueniantur; iterum lecto Euangelio velut arca iam longiùs procedente, eadem repetit iterando. Dehinc ad aquilonem se vertens, aquilonarem turmam magis silentio suo, quàm clangoribus inuitat ad sequendum. Quæ omnia diligentiùs inuestigata, non modicum præstant suauitatis saporem. Oritur siquidem nobis sol, quoties veritatis fulgor cordis nostri oculis cœperit irradiare. In tali oriente commoratur turma spiritualium desideriorum. Meridies est, vbi prædictus sol ad altiora conscendens vehementer incaluerit. Et ibi turma est spiritualium gaudiorum. His duabus turmis præcedentibus, & affectionibus spei & gaudij iam in anteriora extentis, nihil ampliùs restat, nisi vt exurgat iam Deus in requiem suam, cum arca sanctificationis suæ. Tunc enim exurgit, cùm ad superiora nos eleuat, & arcana Euangelicæ sapientiæ nobis reuelat, introducens nos in cubiculum suum, non iam in specie peregrini per viam nobis Scripturas interpretans, sed reuelatis oculis infra domum conscientiæ per fractionem panis se nobis manifestans. Sic eleuata arca, doloris affectiones velut quædam occidentalis turma subsequantur; & easdem affectiones timoris velut aquilonaris turma comitentur: vt iam de præteritis nil libeat, nisi vt antè commissa defleantur, & ex præteritorum recordatione etiam futura timeantur. Hic autem timor potiùs tacita inspectionę, quàm clamosis vocibus in anima excitatur. Vel si magis placet, in oriente dicantur esse constantes in virtute, in meridie perfecti in charitate: ad quos se Sacerdos primò conuertere debet; vt tam eorum exemplis prouocetur, quàm orationibus fulciatur. Post istos arca eleuatur, cùm spiritualibus spiritualia comparantur. Sed etsi in consideratione istorum mente excedat Deo, necesse est tamen vt & minoribus sobrius fiat: vt postquam dies diei verbum eructauit, etiam ad illos qui in occidente sunt se conuertens, velut nox nocti indicet scientiã. In occidente autem sunt, qui volentes alicui seruiunt peccato: in aquilone, qui licet nolentes, adhuc tamen vincuntur à peccato. Hi à longè sequantur arcam, nec præcedentibus se immiscere præsumant: donec ipsius sacerdotis precibus & sacramenti virtute liberati à peccato, serui autem facti Deo, Christo incorporari mereantur: habentes fructum suum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Et pro talibus tacitè cum quadam timoris reuerentia & verecundiæ rubore à suo mediatore

*Num. 2*
*Quid sit Oriens, Meridies, &c. spiritualiter.*
*Luc. 24.*
*Aliter, esse in Oriente &c. quid sit.*

Deus exorandus est; qui per Prophetam loquens, siluisse, & patientem fuisse, & tales sustinendo laborasse se, asserit. His omnibus velut quibusdam præparatorijs consummatis, Sacerdos iam bonis actionibus velut quibusdam iustitiæ indumentis, & rationabilibus speculationibus velut quibusdam auri & gemmarum splendoribus adornatus, cum Petro & Iacobo & Ioanne in montem excelsum, & seorsum à turbis inferiorum cogitationum constitutum Christũ ducem sequatur; vt quem cum Moyse & Elia loquentem audiuit, transfiguratum iam videat, & præ faciei eius fulgore & vestium candore stupefactus, ab omni humanæ elatione corruat: sicque in nubem inductus, & Patris vocem audiens, tacitè potiùs & reuerenter ineffabilia verba apud se conseruare, & in corde suo conferre, quàm alijs referre studeat. Attende Scripturarum pulcherrimam connexionem, & totius suauitatis mirabilem earumdem concentum. Quod enim per arcam inter duo Cherubim, in veteri testamento significari diximus, hoc per Euangelium inter Psalmistã & Apostolum: hoc etiam per Christum inter Moysen & Eliam, in nouo testamento monstratur. Et quod in tabernaculo veteri nubes arcam operiens, hoc in Ecclesia fumus incensi altare circumuoluens, hoc & in anima perfecta nubes lucida obumbrando designant. Si tamen iuxta religionis & sanctitatis incrementa velis inter has nubes distinguere; aduerte, primam fuisse caliginosam, secundam odoriferam, tertiam lucidam esse. In veteri igitur testamento nubes ignorantiæ populo illi cœco occultabat veritatem. Vnde etiam nisi quando recedebat nubes, non procedebat arca: quia tantùm cæremoniarum crescebat religio, quãtum Moysi à Deo, & per Moysen populo ministrabatur. In Ecclesia autem vapor nebulæ de thure consurgere consueuit, qui præsentes suo assolet odore refouere. Quem fumum præuidens Propheta ait. *Et domus repleta est fumo.* Quid aliud hunc fumum dixerimus, nisi cuiusdam bonæ spei vaporem; per quam velut in odore vnguentorum homines ad Ecclesiam pertrahuntur? Quidam enim spe veniæ impetrandæ ad Ecclesiam accedunt, & hi bona spe refouentur: quidam spe obtinendæ gratiæ, & hi sanctæ spei participes fiunt: quidam ad promerendam æternam gloriam, & hi beatæ spei expectatione lætãtur. Et ideo forsitan in missa tribus vicibus incẽsum exhibetur: quia & spem bonam afferunt incipientes, sanctam proficientes, perfecti beatam. Et quantumcunque varia sunt sperantium vota, tamen omnia Sacerdos, quasi intra vnum vasculum in memoriam humanitatis Christi colligit: facta eius & dicta velut quosdam carbones in ipso vasculo recondens, & in ipsis suam suorumque totam spem constituens, dicit cum Propheta Domino. *Introibo in potentias Domini, Domine memorabor iustitia tua solius.* Quid est intrantem solius iustitiæ Dei memorari: nisi in ipso suo introitu ad altare memoriam Christi operum, velut quoddam thuribulum aureum in manu discretionis apprehendere, & per ipsum se & suos Deo Patri commendare? Tandem nubes spei transit in nubem rei: nubes fumosa in nubem lucidam, quæ non tam obnubilat quàm obumbrat: obnubilat tamen in humana, illuminat ad diuina, obumbrat contra aduersa. Quæ est hæc nubes, nisi diuina speculatio: & quædam diuinæ præsentiæ non iam in spe, sed in re ipsa fruitio? Quæ tamdiu rectè nubes vocatur, quãdiu non sicut est, sed per speculum & ænigma sentitur. Licet enim Christus intra domum in fractione panis agnoscatur à discipulis, & in mõte coram eis transfiguretur; quamuis etiam facies eius sicut sol appareat, tamen non sicut est cernitur, qui incomparabiliter solis candorẽ excedit: velut qui candor est lucis æternæ, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera, & ideo nihil inquinatum incurrit in illam. His breuiter occasione Sexagesimæ perstrictis, iam ad Quinquagesimæ cantica accedamus, quæ sic incipiunt.

*Matth. 17.* *Isai. 6.* *Psalm. 70.*

*Tractatus 16. De Quinquagesima, & de ijs quæ in ea leguntur in Ecclesia.*

ESTO *mihi in Deum protectorem, & in locum refugij, vt saluum me facias: quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu; & propter nomen tuũ dux mihi eris, & enutries me.* Meritò Quinquagesimam celebraturi ducem & enutritorem nostrum requirimus; velut qui desertum intrantes nec viam scimus, nec alimenta habemus. Desertum enim terra est inuia & inaquosa. In tanta ergo solitudinis vastitate quis locus canticis, quæ causa lætitiæ esse potest? Illa vtique, quæ filijs Israël videntibus Ægyptios mortuos super littus maris: & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos. Tunc enim *cecinit Moyses & filij Israël carmen hoc Domino, & dixerunt. Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est,* &c. quæ sequuntur, vsque, *Extendisti manum tuã, & deuorauit eos terra. Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti.* Maria quoque Prophetes soror Aaron, & omnes mulieres post eam, cum tympanis & choris eadem præcinebant. Ecce quem illi ducem se habuisse gloriabantur, nos non solùm ducem, sed & nutritorẽ habituros in quinquagesima nostra confidimus. Quinquagesima siquidem, sicut dictum est, quinquepertitam sensuum continentiam designat, per quam decalogus legis adimpletur, & sic quinquagesima à nobis consummatur. Ad hanc post exitũ de Ægypto & maris rubri transitum, & mortaliũ peccatorũ defectũ, nos conuertimus; ne tamen recidiuum patiamur, etiã à licitis abstinere, & sensus subijcere seruituti non negligamus. Quod multis cõtigisse cognouimus: qui vsque ad quinquagesimam venientes, quia vltra progredi noluerunt, ad Ægyptias tenebras infeliciter redierunt. Nos igitur, qui huc vsque venimus, cum quinque prudentibus virginibus procedentes, sponso occurrere studeamus: vt ei omnium sensuum cohortatione, velut quadam virginitatis incorruptione placeamus. Bene autem virginitas deserto comparatur: quia sicut eremus terra est deserta inaquosa, sic corpus humanum à ciborum delicijs alienum, imò etiam ab ipsis necessarijs ieiunum, vita quoque humana liti & contentioni & omni auaritiæ & iniquitati inuia, potus etiam ac luxus lauacri & vnguenti, & totius superfluæ humectationis renuntiatione inaquosa, desertum procul-

*Psalm. 30.* *Exod. 15.* *Quinquagesimæ significatio.* *Virginitas deserto cõparatur.*

dubio esse videtur. Quis autem huius deserti asperitatem sustinere, quis tantæ vastitatis deuia perlustrare possit: nisi Deum ducem & nutritorem habuerit? Ideo forsitan fatuæ virgines à sponso non admittuntur: quia de sua virginitate & operum integritate confisæ, sibi potiùs quàm sponso innituntur. Felices verò, quæ in hac parte prudentes inuentæ sunt, vt cùm magnificis operibus lampades earum resplendeant: nunquam tamen de illo splendore confisæ, oleo semper muniri, & vasa sua implere studuerunt. Ad quod dicendum beatus
1. Cor. 13. Paulus mox introducitur, dicens. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam*, &c. In quinquagesima quinquepertitæ sensuum continentiæ, velut in quadam vasta & aspera corporeæ macerationis solitudine, volens viam Apostolus ostendere, & errantibus per eam doctrinæ suæ velut cuiusdam nubis ducatum præbere; quod Dominus in Euangelio virginibus oleum prodesse, hoc itinerantibus in solitudine charitatem, ostendit. Nec immeritò charitatem oleo comparauit; quoniam sicut vnguentum sanare, decorare, & mulcere consueuit, sic in donis spiritus quædam expediunt, quædam exornant, quædam delectant. Hæc igitur volens Apostolus distinguere, & distinctè exprimere,
1. Cor. 13. ait. *Si linguis hominum loquar & Angelorum.* Lingua Angelorum est sermo sapientię; lingua hominum sermo scientiæ. In illa sonus, in ista tinnitus; illa æri, ista cymbalo comparatur. Et hæc quidem dona spiritus illum cui dantur exornant; & sunt forsitan illæ diuisiones ministrationum, quas in eadem epistola prædixit
1. Cor. 12. Apostolus. Ministrationes, quia ministrantur pro manifestatione spiritus ad vtilitatem: diuisiones, quia diuisim sunt ministrandæ, vt sapientiam loquentes inter perfectos, spiritualibus spiritualia apparemus, & quasi dies diei verbum eructuemus: paruulis verò lac potum propinantes, doceamus hominem scientiam; & velut nox nocti scientiam indicemus. Deinde subiecit. *Si habuero Prophetiam, & nouerim mysteria omnia & omnem scientiam: & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* Quantum hæc suum possessorem delectent, nulli ignotum est; nisi qui deliciarum spiritus penitus expers est. Et hæc forsitan gratiarum diuisiones nominat Apostolus: vel quia gratis dantur, vel quia gratiæ suauitatis infusione demulcent. Sequitur. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam.* Ista quantum expediant, quantum sanatiua sint, norunt, qui misericordijs pauperum peccata sua redimentes, misericordiam consecuti sunt; & qui exterioris hominis maceratione interioris hominis innouationem sunt adepti. Et hæc forsitan dicuntur diuisiones operationum: quia cum cętera in anima sola esse possint, hæc in sola operatione consistunt. Sed quisquis hæc absque charitate habet, nec verum ei esse conferunt, nec ad verum ei esse prosunt. Sicut enim corpus vitam ab anima, sic ista à charitate suum esse sortiuntur; vt nec esse quidem sine charitate dicenda sint. Sequitur. *Charitas patiens est, Benigna est.* Commendauit Apostolus charitatem, ex ijs quæ habet communia bonis & malis: hic autem commendare incipit ex ijs, quæ propria habet in solis bonis. Volens autē ipsius bona diffusiùs enumerare; primo omnia sub quadam binarij summa colligit: postea ipsum binarium subdiuidendo distinguit. Ait ergo. *Charitas patiens est, benigna est.* Patiens ad tolerandum mala aliena: benigna ad retribuendum bona. Et quia etiam aliquo modo hæc mali habere se simulant exteriùs in actu: ostendit hæc potius habenda interiùs in affectu, dicens, *Non æmulatur*, non dolet de alterius fœlicitate; & si doleat, quod non habet; non dolet, quod alter habet: sed quodammodo in eo habere se gaudet. Vnde nec perperam agit; quod proculdubio faceret, si verbo, vel facto, vel aliquomodo studeret illum habitis carere; vel saltem ne videretur aut crederetur habere. Ita enim quidam inuidi, sibi credentes imminui, quod de alijs laudabiliter cognouerunt prædicari, etiamsi habitis eos carere non velint; habere tamen aut credere nolunt, aut credi ab alijs non volunt. Vnde & omnia peruersè interpretari volunt, & perperam interpretando peruertunt. Charitas autem non solum bonis non inuidet alienis, sed nec extollitur suis. Vnde *non inflatur*, ait. Non enim sibi ascribit, quod habet; sed eum potiùs laudat, à quo habet, dicens. *Quid habes, quod non* 1. Cor. 4.
*accepisti? Et si accepisti; quare gloriaris, quasi non acceperis?* Non solum sibi non imputat, quæ habet; sed nec ab alijs sibi imputari sustinet: quia *non est ambitiosa.* Sicut enim non vult inaniter intra se gloriari, ita nec ambitiosè aut iactanter extra se. Non enim quærit, quę sua sunt; nec quęrit exteriùs mendicando, quæ meliùs intus possidet, veritati inhærendo. Quidam enim à veritate recedentes, quia intus ea veraciter non retinent, vbi sunt: exteriùs ea inaniter quętere incipiunt, vbi non sunt. Charitas autem semper veritati inhærens, sicut nec quærit, quæ sua non sunt; ita nec illis vnquam carere potest, quæ sua sunt. Est enim fons proprius, cui non communicat alienus. Fons est iugiter fluens per beneuolentiam, non tamen perfluens per iactantiam; & sicut crater tornatilis communem se omnibus exhibet & æqualem; numquam tamen indiget poculis; nec inuidet alijs quæ non habet, aut quærit ab alijs, quæ pleniùs in se habet. Audiuimus quomodo scaturiat vera benignitas: audiuimus & quò saliat patientiæ vena. *Non irritatur*, ait; quò altiùs potest patientiæ vena prosilire; sed quid diuinius potest esse in homine, quàm quòd iniurijs prouocatus non irritetur; contumelijs & tormento interrogatus non solum æquanimiter sustineat, sed & calcando aut gloriando despiciat? Sic quippe Apostolus, *Non solum autem: sed & gloriamur*, ait *in tribulationibus.* Sed & Apostoli *ibant gaudentes à conspectu consilij; quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Sed vnde hoc illis? Quia *charitas non cogitat malum*, non cogitat eos qui inferunt, malo animo inferre: sed vel nescire quid faciant, vel præceptum eis esse à Domino, vt maledicant Dauid. Inde est, quod *nec gaudet* charitas *super iniquitate*: non gaudet, quòd qui iniquè mala innocenti infert, damnetur: sed congaudet veritati, à qua, vt talia fiant, iuste disponitur: & ideo *omnia suffert*, quia *omnia credit* à Deo disponi; *omnia sperat* remunerari. Vnde & ea longanimiter expe-

ctando sustinet. Ecce commendata est charitas ex superexcellenti potentiæ suę virtute. Commendatur etiam ex sua perpetuitate. Vnde ait. *Charitas nunquam excidit.* Cum enim aliæ virtutes quæ modo in fide & spe consistunt, succedente re spei aut fidei, euacuabuntur; tunc pleniùs charitas consummabitur. Manentibus igitur interim fide & spe, velut quibusdam mācipijs charitatis, quæ vbi sunt sine charitate non prosunt; vbi autem charitati seruiunt, velut rami ex radice proficiunt, patet radicem incomparabiliter ramis esse maiorem, à qua rami & habent quòd sunt; & præcisi ab ea nec quidem sunt. Radix vero absque ramis in integritate sua permanet: nec portatur à ramis, sed portat; nec confertur ei aliquid ab eis, sed ab ea est, quicquid in illis profertur. Ecce ne erremus in solitudine in inaquoso, & viam ciuitatis habitaculi non inuenientes, esuriamus & sitiamus, & sic Deum protectorem & domū refugij non habentes, anima nostra in nobis deficiat; excellentiorem charitatis viam, quam teneamus, nobis Apostolus demonstrauit. Et forsitan secus hanc viam mendicat cœcus ille, quem Dominus in Euangelio illuminat. Quid est enim cœcum Iesum videre, sequi, & magnificare: nisi viam priùs incognitam inuenire? O bone Iesu, quanta lux, quantum gaudium, quanta securitas oritur nouiter conuersis, cùm eis primò incipis apparere, cùm eis lætitia salutaris infunditur, cùm dulcescere eis cœperit nomen Iesus: & ad huius nominis dulcedinem malè dulces affectiones cœperint amaricari, & amaræ in dulcedinem conuertentur; vt iam cum magna iucunditate libeat decantare. *Populus gentium qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* Proculdubio hæc lux, hæc dulcedo de Christi humanitate concepta, lignum illud est, quod aquas in eremo commutauit in dulces, & potabiles fecit. Tres illæ dietæ triplicem proficientium statum demonstrant. Solent enim post conuersionem, cùm proficere cœperint incipientes, ex rerum nouitate in quendam mentis stuporem venire: & sicut norunt qui experti sunt, cùm assueta coguntur relinquere, & insuetis insistere, turbantur & mouentur sicut ebrius, & omnis eorum sapientia deuoratur. Vnde & ex tali turbationis stupore, anima nimio tremore concutitur, & quasi iamiamque casura, sola formidine vndique circumuallatur: tandemque hoc terrore purgata, cognoscere & dolere incipit defectum, quem patitur. Hæc tria manifestè expressisse videtur Propheta, vbi ait. *Ipsi videntes sic admirati sunt, turbati sunt, & commoti sunt, tremor apprehendit eos. Ibi dolores vt parturientis.* Ecce primam ponit dietam admirationis, secundam tremoris, tertiam doloris. Hi sunt illi tres dies, quibus beatus Paulus prostratus à Domino in via, & cœcatus, perseuerauit non videns, & nihil comedens aut bibens. Post istos tres dies, iam fere deficiente homine mittitur Ananias, qui interpretatur ouis, qui non est alius, quàm magni consilij Angelus: qui quasi ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus corā tondente se obmutuit. Hæc ouis post illos tres dies, lac suæ humanitatis paruulis suis propinauit, & amaritudinem contritionis velut mara, in lactis commutat dulcedinem. Quod ergo hic per ouem, hoc ibi per lignum intelligitur: & quod hic ouis, ibi lignum operatur. Non est hoc lignum scientiæ boni & mali, sed scientiæ solius boni: lignum vitæ, lignum quod plantatum est secus decursus aquarum; quod ad humorem humanæ deuotionis mittet ramos suos, & non timebit cū venerit ęstus. O lignum dulce, dulces clauos, dulce pondus sustinens, nunquam tui memoria recedat de ore meo: semper deuotionis tuę dulcedo vigeat in affectu meo; & sic dulces factæ sunt mihi aquæ mara, & sapientiæ lachrimę contritionis, quantumcumque prius amarę extiterint. Ideo hæc hodie duodecim discipulis proponuntur; & quia nihil horum intelligentes, adhuc extra viam sunt, cœcus filium Dauid inuocans illuminatur; & iam viā cum eo carpens, sequens eum, & gaudens comitatur. Per hanc viam venitur in Helim, vbi non iam secretò duodecim discipulis Passio Domini reuelatur: sed patentes, & limpidissimi fontes duodecim cum septuaginta palmis inueniuntur. Hoc fit, cùm Christus suos iam in via comitatur, & miro modo eos delectans, quæ in lege & Prophetis & Psalmis scripta sunt, interpretatur: & licet oculi eorum quandiu extra domum & in via sunt, teneantur: ardore tamen & sapore talis colloquij velut quibusdam fluentis delectabilibus debriantur. Meritò autem palmæ cum fontibus fuisse leguntur, quia tunc primò victor animus triumphi gloria coronatur; & de testimonio conscientiæ fructus suauissimi, velut quidam dactyli degustantur; cùm vnctione spiritus reuelante ad intelligentiam scripturarum animus dilatatur. Et hoc totum meritò in Helim fieri dicitur, qui aries interpretatur: quia hæc omnia præbet aries ille, qui cornibus suæ crucis licet peccatorum vepribus ad horam hęsisse visus fuerit, tamen peccatorum vincula disrupisse & consumpsisse cognoscitur: & sanguinis sui victoriosa effusione, suauissimum nobis cibum & potū parasse, à nullo iam fideli ignoratur. Et rectè fontes duodecim, palmę septuaginta fuisse dicuntur; quia duodecim fuerunt Apostoli, qui doctrinam fidei, & fidem Trinitatis, per quatuor mundi partes disseminauerunt. Septem quoque sunt, quę septem Ecclesijs in Apocalypsi pro decalogi impletione, quę est peccati victoria, promittuntur. Bene ergo duodenarius doctrinæ, septenarius victoriæ assignatur, quia talia in Helim ab ariete percipiunt. Meritò ad peregrini verba per viam inardescunt: sed meminisse debent, non esse remanendum in via, sed priusquam nox & innumera noctis pericula superueniant, ad hospitij domum properandum. Ad hanc domum proculdubio peruenitur, cùm de quinquagesima ad quadragesimā proficiendo transitur.

*Alia virtutes sunt solū hujus vitæ, charitas autem in patria perfectior erit.*

*Luc. 18.*

*Isai. 9.*

*Psalm. 47.*

*Actor. 9.*

*Tres dietæ cōuersionis.*

*Crux lignū vitæ, lignū scientiæ boni tantùm, non mali.*

*Helim quid sit spiritualiter.*

### *Tractatus 17. De Quadragesima, & de ijs quæ in ea leguntur in Ecclesia.*

QVadragesimam siquidem celebrare, est præuaricatores ad cor redire, & subtili examinatione intima cordis secreta discutere; & inordinatas ac peruersas affectiones moderando & ordinando, praua & indirecta & aspera in vias planas facere: quod est decalogum legis quatuor faciebus, seu quatuor pennis spi-

*Quid sit Quadragesimam celebrare.*

ritualium animaliũ adimplere. Quatuor enim animalium facies quatuor sunt inordinatæ, & ordinatæ sanctorum affectiones, quibus ad Deum tendunt, & ab eo discernuntur. Quatuor pennę, quatuor principales virtutes, quibus ad Deum volant, & ab eo dirigũtur. Quid est autem taliter de quinquagesima in quadragesimam transire: nisi de Helim ad desertum Sin, quod amphora interpretatur, venire? Amphoram quippe inuenimus, sed vacuam: domum intramus, sed solitariam; cùm ad interiora nostra rimanda & subtiliùs cognoscẽda intenti, reperimus prima facie cor prauum & inperscrutabile, velut quandam terram inhabitabilem & inuiam, terram sitis, & imaginem mortis: terram in qua non ambulauit vir nec habitauit homo. Meritò igitur desertum tale lustraturi, talem amphoram exploraturi, & domum huiusmodi intraturi, Dominum ad intrandum nobiscum cogimus, dicentes & sæpius inculcantes. *Mane nobiscum, Domine, quoniam aduesperascit.* O quàm multos quinquagesimam deuotè celebrare, membra sua frequenter mortificare, corpus castigare, & in seruitutem redigere, sensus circumcidere, & vniuersos exterioris hominis motus componere nouimus; qui vsque hodie interioris hominis sui faciem negligentes, sunt quasi myricæ in deserto; & si quando fortè cor suum intrauerint, non nisi siccitatem & terram salsuginis inuenientes, statim ad consueta relabuntur. Hi quia Dominum inuocando intrare secum & manere non cogunt, non tam vesperã quàm noctem patientes, dierum videre longitudinem non merentur. Qui verò quinquagesimam celebrando cor suum omni custodia seruare, & fructus vitæ qui ex tali vite procedunt degustare intendunt, de Domini auxilio, & gratia confidentes, & quasi iam certi de ipsius promissione, gloriando decantant. *Inuocauit me, & exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione*, &c. Inuocare enim intùs vocare est, & illi soli verè Deum inuocant, qui interioris hominis oculos mundantes, Deum videre, & eum qui spiritus est, in spiritu & veritate adorare desiderant. Talibus, id est mundis oculis, in bonæ conscientiæ hospitio reuelata se facie Deus in fractione panis ostendit. Quod similiter per manna filijs Israël in deserto Sin primò missum, credo præfiguratum. Quid est enim manna, nisi suauitas diuinæ cognitionis, quæ similæ habet cum melle dulcedinem deuotionis? & cum semine coriandi candorem intelligentiæ spiritualis? Quæ bene manna dicitur; quia non tam potest exprimi, quàm mirari, quid sit. Et hoc siquidem in deserto Sin primò colligitur, non quòd & ab illis qui domandis & subiugandis exterioribus sensibus intendunt, diuinæ cogitationis dulcedo non gustetur; sed non ad satietatẽ, nec ad diuturnitatem. Eis enim tarda est hora illa, & breuis mora. Mundis autem cordibus, & ad satietatem datur: quod sperabat Propheta, cùm diceret; *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; & ad diuturnitatem; quod expertus fuerat idem cum diceret, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Neque enim debent vel possunt diuinis carere consolationibus, qui omnes à se humanas prorsus abdicauerunt. Ideo & in quadragesima præter cursum & morem aliorum temporum, noua quotidie officia decantantur; vt de quotidiano Introitu, de quotidiana veteris testamẽti, & Euangelij lectione, velut quoddã manna insolitæ dulcedinis colligatur. Neque enim debet vnius diei manna in alterum reseruari, vt vel de Domini gratia quis dubitando diffidat, vel de propria industria hoc manna se inuenturum confidat. Alioquin computrescere illud potiùs, & vermibus fœtidis scaturire incipiet. Putrescit enim, & vermibus scaturire videtur, quod dulce & viuidũ priùs sentiebatur; cùm sermo Domini viuus & efficax, qui penetrabilior omni gladio ancipiti per gratiæ infusionem sentitur, humana calliditate præsumptus fastidiri incipit, & velut vermibus quibusdam quæstionibus scaturire. Quot enim quæstiones moueri, tot quasi vermes videntur oriri. Quòd autem sabbato non colligebatur, minimè intelligendum est, quòd sabbatum otij spiritualis careat mannâ diuinæ consolationis, in quo maxime illud manna abundare solet; sed quòd in colligendo iam labor non est, vbi quod desideratur in promptu est: nec laboratur in figura, vbi præsens est veritas: aut anxiè vmbra requiritur, vbi res cum delectatione tenetur. Quod fortè etiam in eo signatur, quòd quintæ feriæ quadragesimæ nullum proprium officium assignatur. Ea enim die non solum forma sacramentorũ, sed ipsũ Christi corpus primò est discipulis traditum: nec indiget ea dies alijs adminiculis, quę ipsius irradiata est fulgore veritatis; ne superfluis videretur Ecclesia laborare impendijs, si solem facibus iuuare conaretur. Hoc manna videtur Dominus quadragesimam intrantem per Prophetam promittere, vt in prædicto versiculo subiungitur. *Glorificabo eum: longitudine dierum adimplebo eum; & ostendam illi salutare meum.* Glorificat enim, quem facit de testimonio conscientiæ gloriari; & ne huius testimonij gaudium momentaneum videretur, longitudinem etiam dierum repromittit; quod non solùm in æternitate, sed & in præsenti consueuit exhibere, cùm inclinatis vmbris, & expirante nocte ignorantiæ, aspirare incipit dies gratiæ, non iam hyemalis, pluuialis, & breuis; sed dies æstiua, lucida, & prolixa. Vnde ne dies longiores, sed minùs salubres, & intolerabiles viderentur, subiungitur. *Ostendam illi salutare meum.* Talis visionis manna desiderabat Propheta, cùm diceret. *Redde mihi lætitiam salutaris tui.* Ecce quàm magna sunt, & quàm iucunda, quæ promittuntur. Sed diligenter tamen pensanda sunt quæ promittũtur, *Cum ipso sum in tribulatione, & eripiam eum.* Per multas enim tribulationes oportet introire in regnum; nec coronabitur quis nisi legitime certauerit; & disciplina, secundum Apostolum, non videtur in principio esse gaudij, sed mœroris: postea autem exercitatis per eam fructus pacatissimos affert. His concinens Apostolica lectio subinfertur, dicens. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Gratia illa est, de qua in Epistola ad Hæbreos ait idem Apostolus. *Tamquam filijs offert se vobis Deus.* Vbi quam paternam gratiam Deum filijs offerre intelligi voluerit, ex præmissis ostendit, dicens. *Recogitate eum, qui talem sustinuit, &c. flagellat omnem filium quem recipit.*

*Luc. 24.* *Psalm. 16.* *Psalm. 93.* *Manna vermibus scatere spiritualiter quid sit.* *Psal. 90.* *Actor. 14.* *2. Timot. 2.* *Hebr. 12.* *2. Cor. 6.*

Hæc est gratia patris ad filium, vt quem diligit flagellet, & in filio flagellato & castigato siue probato, quasi pater sibi complaceat. Hāc disciplinam patris quidam non gratiam, sed iram existimant, & quibus possunt modis declinant: vel si declinare non possunt, murmurando recalcitrant; facti filij alieni, qui confitentur Domino cùm benefecerit eis: sed mendaces tempore tentationis comprobantur, qui in prosperis credere videbantur. Quidam eam patienter recipiūt, & forti deuotione percurrunt, sed quia exterioribus dediti, intimæ consolationis gratiam non requirunt, quasi in incertum, & velut in vacuum currunt. Tanquam enim vas vacuum, sed signatum inuenitur, quisquis velut virgo fatua exteriùs affligitur, interiùs oleum in vase non reponens, lampadis suæ defectum expetitur. Ille autem non in vacuum hanc gratiam recipit, qui de tribulatione proficiens, ex sententia cum Propheta dicere meretur. *In tribulatione dilatasti mihi.* Et *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tua lætificauerunt animam meam.* Et cum Apostolo, *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Et illud *Benedictus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Hanc etiam Dominus consolationem in Euangelio lugentibus repromittit: ad hanc requirendam Apostolus nos hortatur, ac si diceret. Ad eā hortari vos possum, dare eam non possum; sed mitto vos ad illum qui ait. *Clamauit ad me, & exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Ipse enim qui ait hoc per Psalmistam, ipse per alium Prophetam dixit. *Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adjuui te.* Exaudiui deficientem à te, clamantem ad me, adiuui laborantem te, leuantem oculos non in montes, sed ad me, adiutorē in oportunitatibus in tribulatione. Vtcumque conanti & proficienti necessarium est, vt exaudiatur ad impetrandam veniam, vt adiuuetur ad inueniendam gratiā. Ad hoc dicitur quadragesimale tempus esse acceptabile, & dies esse salutis: acceptabile peccatoribus, ad obtinendam veniam peccatorum, ad destruendum regnum vitiorum: dies salutis, ad promerendam gratiam meritorum, ad percipiendam gloriam præmiorum: quoniam gratiam & gloriam dabit Dominus. Qui ergo talia quęrunt, nemini vllam offensionem præbeant, nemini fiant lapis offensionis, aut petra scandali; non fiant offendiculum infirmis exemplo suo, non fortioribus scandalum, altiora se quærendo, vel fortiora præsumendo. Caueant scandalizare pusillos, caueant impedire robustos: vt secundum beatum Benedictum fortes habeant quod cupiunt; & infirmi non refugiant, ne vituperetur ministerium nostrū. Et quia non sufficit declinare à malo, vituperationem à proximo declinare, famam ad proximum custodire: conscientiam puram Deo nos exhibere admonet Apostolus dicens. *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros.* Si non possumus alijs temporalia ministrare, possumus nosmetipsos sacrificium Deo offerre, secundum illud. *In me sunt Deus vota tua.* Et *Apud me oratio Deo vita mea.* Et illud. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Vota Domino meo reddam.*

*Psalm. 4. & 93.*
*2. Cor. 1.*
*Psalm. 90.*
*Esai. 49.*
*Quadragesima tempus acceptabile.*
*2. Cor. 6.*
*Psalm. 55. 41. & 115.*

Bibimus autem hunc calicem, vel cùm ipsi nobis membra mortificando dura imponimus, vel cùm ab alijs irrogatas iniurias æquanimiter sustinemus. Hæc volens Apostolus distinguere, primò ponit, quæ inferuntur ab alijs, quæ sunt necessitatis victus & vestitus, angustiæ timoris & solitudinis, plagæ, carceres, seditiones contra nos motæ. Bene horum patientia dicitur multa, quia multæ tribulationes iustorum. Vnde. *Ostendisti mihi tribulationes multas & malas.* Dehinc quæ ipsi nobis imponimus, voluntariè Domino sacrificantes: quæ sunt labores manuum, ieiunia, vigilię. Et quia corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, ne in ea spei nostræ anchoram collocemus, ad interioris hominis renouationem per exterius exercitium faciendam, post prædictos labores mittit nos Apostolus dicens. *In castitate*, quæ est cordis, sicut continentia carnis, *in scientia, in longanimitate in suauitate, in spiritu sancto, in verbo veritatis, in virtute Dei.* Hi sunt fructus spiritus, qui de vinea bonæ conscientiæ colliguntur; hoc manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Qui autem accipit, non in vano animam suam accepit, non in vacuum cucurrit, nec in vacuum gratiam Dei recepit. Attendenda est etiam in his verbis Apostoli quædam interioris hominis virtutum distinctio. Aliter enim habentur virtutes in via, aliter habebuntur in patria. In via cum labore & interpolatione, in patria sine difficultate & mutabilitate. Has idem Apostolus virtutes futuri sæculi nominat; & eas etiam in præsenti haberi potiùs quàm gustari asserit. Primò igitur virtutes viæ ponit dicens. *In castitate, in scientia, in longanimitate.* Vera castitas animę est super omnem creaturam Verbo adhęrere, secundum illud, *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Fornicatur quippe à Deo, qui amori alicuius rei adhęret propter se ipsam; non propter, sed præter Deum. Sed ad huius felicis castitatis custodiam necessaria est scientia, vt qui huiusmodi est, sciat reprobare malum & eligere bonum. Si existimando dicat bonum malùm, & malum bonum; proculdubio nesciens inter ea eligere, à prędicta excidet castitate, approbando potius quàm reprobando verum malum, & verum bonum fastidiendo potiùs, quàm eligendo: sicque à summo bono ad minus bonū decidendo; & quia scienti bonum & non facienti, peccatum est illi, necessaria est etiam longanimitas, nequando pusillanimitate superatus iudicet se homo, in eo quod discernendo probat. Ad hæc obtinenda, quęrendum est animę spirituali Ver bum Deus, cui consentiēdo ad correctionem castificetur, quo illuminata ad cogitationem scientia impleatur, cui innitens, ad virtutem longanimis efficiatur. Volens autem Apostolus etiam futuri sæculi virtutes distinguendo subiungere, præmittit dicens. *In suauitate, in Spiritu sancto.* Est enim suauitas vitæ præsentis, de qua legitur, quòd *non inuenitur* sapientia *in terra suauiter viuentium.* Talis enim suauitas muscarum morientium, solet potiùs exterminare suauitatem vnguenti spiritualis. Suauitas autem quæ est in Spiritu sancto, velut vnctio docens de omnibus, sanat omnem languorem, omne tædium & amaritudinem omnem explodit. In quibus

*Psal. 70.*
*Psal. 72.*
*2. Cor. 9.*
*Iob. 28.*

autem, vel potiùs in quo consistat ista suauitas exprimendo subdiuidit dicens. *In charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei.* Charitas non ficta nec facta, ipse Spiritus sanctus est. Ipse nostræ in nobis charitatis est author, ipse factor, vel potiùs fictor, qui solus nouit figmentum nostrum. Vel ideo meritò ficta dicitur charitas nostra, quę habetur in via; quia videmus nunc per speculum in enigmate, & potiùs vmbra est illius charitatis, quæ erit in patria, quàm veritas. Quæ igitur erit in patria, desiderari potest & prægustari in via, nullatenus possideri. Sic & verbum veritatis, imò Verbum veritas in via sub peregrini specie videtur & auditur, in patria cognoscetur sicuti est; ibi etiam virtute Dei, imò virtute Deo fruentes beati sunt; non iam de virtute in virtutem ascendentes, sed vni summæ & incommutabili virtuti inhærentes; eius participatione incorruptibiles facti & impassibiles. Vna igitur & summa ibi virtus Deus est: ipse virtus, ipse veritas, ipse via, ipse omnia, & in omnibus Deus. Ipse virtus ad potentiam, ipse veritas ad notitiam, ipse vita ad lætitiam; & cùm illic in beata vita, omnes beati Spiritus apparente gloria Domini satientur, hic interim cum difficultate & raptim eadem tantummodo prægustantur. Hic enim virtus in infirmitate perficitur. Hic de virtute in virtutem ascenditur, donec Deus Deorum in Sion videatur. Hic Iacob luctatur cum Angelo, & post longam luctam vix tandem benedictionem meretur. Ex quo contra Deum & hominem fortis effectus, & etiam Israëlis nomine insignitus, tunc à se ipso deficere, & in se cœpit & didicit infirmari. Quantò enim quis ampliùs dilecto suo inniti cœperit, tantò humanę virtutis pede destitutus, & velut claudicare se sentit. Sed quantò exterior homo corrumpitur, tantò interior de die in diem renouatur, & magis ac magis virtute ex alto induitur. In hunc modum secundùm Apostolum ministrum Dei homo se exhibet: primò in tribulationibus per multam patientiam: de hinc in suauitate spirituali per exuberantem feruoris & deuotionis fragrantiam. Sed plerumque contingit, vt quos aduersitas non dejicit, nec prosperitas eleuat, frequens tamen rerum alternatio, & alterna vicissitudo perturbet. Vnde & in Ezechiele Rex Babilonis sedens in biuio sagittas commiscere legitur; vt quos nec timore nocturno, nec sagitta volante in die nocere potest, saltem tentationũ perplexione concutiat: quia & perplexi nerui Leuiathan perhibentur. Hoc cognoscens Apostolus, cui Sathanæ astutiæ ignotæ non erant, etiam contra hoc præmunire & præmonere nos volens, subiungit dicens. *Per arma justitiæ à dextris & à sinistris.* Hæc vicissitudinum alternatio ipsi Domino nostro non defuit, vbi nunc à pueris & populo Hæbreorum, *Osanna, Benedictus qui venit in nomine Domini*, nunc *crucifige, crucifige; & sanguis ejus super nos & super filios nostros*, ab eisdem audiuit. Ipse etiam Paulus nunc ad tertium cœlum raptus, nunc carnis stimulo colaphizatus tertio Dominum rogat, vt ab eo discedat, & minimè exauditur. Alibi quoque nũc mente excedit Deo, nunc sobrius factus hominibus, gaudet cum gaudentibus, & flet cum flentibus, infirmatur cum infirmantibus, & vritur pro scandalizatis; vinculis etiam coercetur, sed verbum Domini in eo minime alligatur; quin potiùs sapientiam loquitur inter perfectos. Aliquando quæ retro sunt oblitus, & in sola anteriora se extendens, dicit, *Viuo autem, jam non ego, viuit vero in me Christus.* Sed nec sic quidem securus est, nec acquiescit altum sapere, sed timet; sciens quòd Rex Babylonis, licet secundum Ezechielem Sabbatorum otium non imitetur, & quasi frustra consuluisse oraculum exta perscrutando se ostendit, ipse tamen recordabitur iniquitates ad capiendum. Sed in his omnibus Christi milites superant, propter & per eum qui eos dilexit, & muniuit armis iustitiæ à dextris & à sinistris. Quæ autem sint hæc arma iustitiæ, siue quæ dextera, siue quæ sinistra, psalmus prædictus siue inductus Apostolo per omnia concinens innuit dicens. *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus; non timebis à timore nocturno: à sagitta volante in die. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Vbi enim ait Apostolus, *In suauitate, in Spiritu sancto*, ibi Propheta dicit, *Scapulis suis obumbrabit tibi.* Quid est enim scapulis Deum obumbrare homini, nisi suauitate Spiritus & infusione gratiæ iustũ quemlibet à tentationum æstũ protegere, quasi in abscondito faciei suæ à conturbatione hominum abscondere? Vnde & in alio Psalmo idem Propheta gloriatur dicens. *Obumbrasti super caput meum in die belli.* Et quia in scapulis onera portari solent, rectè in scapulis Dei patientię eius & longanimitatis benignitas designatur, qua paruulos suos expectans fouet & sustinet secundum illud. *Expandit alas suas, & assumpsit eos, atque portauit in humeris suis:* & illud Isayæ. *Pueri eorum in humeris portabuntur*, donec excrescentes in virum perfectũ iam non solum portari non indigeant, sed & alios portare sufficiant. Pennę quoque talibus scapulis subnectuntur, quia quos longanimiter portat, etiam plumis spiritualium consolationum calefacit & informat velut Gallina refouens pullos suos sub alas, & velut aquila prouocans ad volandum pullos suos; & super eos volitans. Sed ne sub his pennis sperando, & latitando, homo securitate torperet, & semper crederet quiescendũ; vbi Apostolus mittit nos ad arma iustitiæ, Propheta concinendo, & de pugna nos admonet dicens. *Scuto circumdabit te veritas ejus.* Homo quippe post intimam diuinæ gratiæ consolationem, ad suam rediens infirmitatem, quàm longè à veritate existat, & quantum bona transitoria à veris distent bonis ipsa rerum experientia verius edocetur: & hac veritatis cognitione velut quodam scuto insuperioribus lato, in inferioribus angusto circumdatus, communitur ad transitoria despicienda, velut ea quæ non verè sunt, & angusta sunt: & desideranda æterna, quæ verè sunt. Sic Petrus post Angelicam visionẽ, & eductionem de carcere, & portæ ferreæ vltroneã apertionem, ad se tandẽ reuersus dicit. *Nunc scio verè.* Alibi quoque post visionem lintei, in quo erant vniuersa quadrupedia & serpentia, idem Petrus ad se reuersus ait. *In veritate comperi.* Ecce ibi se vere scire, hic inveritate cõperisse se testatur, quæ priùs ignorasse non creditur: sed diuina reuelatione certifi-

Galat. 2.
Ezech. 21.
Psal. 90.
Psal. 139.
Deuter. 32.
Isai. 66.
Deuter. 32.
Psal. 70.
Ezech. 21.
Matth. 21. & 27.
2. Cor. 12.
Actor. 12.
Ibid. c. 10.

catus, diuinæ veritatis scuto circumdatus esse ostenditur. Volens etiam Propheta ostendere aduersus quæ scutum istud muniat, vniuersa tentamenta quadruplici distinctione comprehendit dicens. *Non timebis à timore nocturno.* In quo rectè concupiscentia carnis intelligitur quia secundum Apostolum, qui in delicijs est, viuens mortuus est. Sicut enim mors sensus carnis à præsentibus alienat, sic sopor carnalis voluptatis sensus animæ ab æternorum cognitione infatuat. Vnde qui dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij sunt nocte ebrij sunt; & ipsi fortissimi Israël accincti sunt gladio super femur suum, propter timores nocturnos. Sequitur, *A sagitta volante in die*, & per hanc non immeritò superbiam vitæ accipimus, quæ maximè in die mundanæ prosperitatis solet obrepere. Quem diem Propheta non desiderasse fatetur, in *negotio* verò *per ambulante in tenebris*, quod tertiò loco ponitur, manifestè auaritiæ negotiatio, seu oculorum petulantia exprimitur, quæ nulla acquisitorum abundantia satiatur: quia secundùm Salomonem, *non satiatur oculus visu*, & hæc quidem à sinistris nos impugnant. Sed si scuto veritatis circumdamur, cadunt à latere nostro mille; & ne à dextris inermes esse videremur, subiunxit. *Et decem millia à dextris tuis.* Et fortè non immeritò per decem millia quæ prædixerat, ab incursu & dæmonio meridiano intelligi voluit. Dęmonium namque meridianum non incongruè à Patribus interpretatum est, cùm Angelus Sathanæ transfigurat se in Angelum lucis. Cùm enim ad peruersa & manifestè mala hominem inclinare non potest, ad callida se vertit argumenta; & velut recta suadens, ad altiora se quærenda, fortiora se scrutanda, siue etiã quædam occulta ei reuelando, plus sapere quã oporteat sapere, persuadet. Et hæc tentatio rectè meridiana dicitur, quando homo lucis nimietate offenditur: tantoque pernitiosiùs nocet, tardiusque cauetur, quantò difficiliùs deprehenditur, & discernitur rariùs. Et licet tantùm inter hanc & alias distet tentationes, quantum inter mille & decem millia, quantumque inter læuam & dexteram; tamen sicut scuto veritatis muniti mille superamus ad sinistram; sic gladium spiritus, quod est verbum Dei dextera tenentes, etiam decem millia fugamus à dextra. Viuus est enim Dei sermo & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, & quantumcumque spirituales & subtilissimas dæmonum tentationes diuidens & discernens. Et fortè hæc tentatio meridiani incursus in sequentibus eiusdem psalmi per aspidem designatur. Sicut enim aspis obturans aures suas ne vocem incantantium audiat; sic qui ista lucis transfiguratione ac boni simulatione decepti sunt, contra omnia saniora consilia & monita obsurdescunt. Nam reliquæ fortè tentationes in cæteris animalibus exprimuntur; vt in leone superbia vitæ, in dracone concupiscentia carnis, in basilisco qui visu nocet, oculorum concupiscentia intelligitur: quę si rectè ita possunt intelligi, curioso lectori relinquimus. Satis iam, nisi fallor, dictum est, in quibus Propheta & Apostolus conueniant: quomodo duo hæc Cherubim vultus mutuos ad se ipsa habeant. Nunc iam dicendum videtur, quomodo versis vultibus in propitiatorium Euangelicæ lectionis respiciant. Sed ne repetendo ea quæ vel in psalmo vel in Apostolo dicta sunt, lectorem oneremus aut paginam, ea breuiter colligendo inuenire in Euangelio studeamus. Volens siquidem Dominus Iesus incipere priùs facere quàm docere, secundum quod in Propheta & Apostolo suprà dictum est, primò à patientia cœpit; & primitus in patientia illarum tribulationum, quas sancti sibi imponunt, exerceri voluit: vt suo nos exemplo doceret, non facilè posse per patientiam superare alios, qui sibi ipsi non didicerit imperare, secundùm illud. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium.* Hoc siquidem postea verbo docturus erat, & Euangelizando dicturus, *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; quia secundum beatum Gregorium, quando nobis ipsis dominari discimus, incipimus possidere quod sumus. Hęc complere voleus Dominus primo sibi solitudinis ac penuriæ necessitatem, vastitatis eremi horrorem ieiunij ac famis cruciatũ imposuit. Hæc enim volentibus ad Deum redire, maximè in principio necessaria esse sciebat; primò vt fugiens homo, & declinans omnem commoditatem peccati, & temporalium affluentiam, elongans maneat in solitudine; ne fortè ipsa commoditate faciliùs recidiuum incurrat: dehinc, vt non solùm non habeat quod delectet, sed etiam sit aliquid in promptu quod horreat; vt terrenis affectibus ipso horrore mitigatis, siue etiam effugatis, libentiùs ac faciliùs cœlestia requirat. Sic Psalmista cùm elongasse fugiendo se dixisset, statim subiũxit, *Expectabam*; quasi diceret, ipsius solitudinis squalore, & vastitatis horrore prouocatus, ad expectandam & expetendam consolationem diuinam protinus me conuerti. Tandem etiã ieiunio corporali affligendus est hostis, & corpus in seruitutem spiritus redigendum: vt quantò exterior homo corrumpitur, tantò interior renouetur. Et hæc dicta sint, pro eo quod dictus est Dominus Iesus ductus esse in desertum à suo spiritu, & cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esurijsse. Sequitur, *Et accedens tentator*; ac si diceretur. Prædicta à suo sibi spiritu imposuit; quæ sequũtur, ab alieno sustinuit. Notissimæ sunt, & à Patribus subtilissimè disputatæ, tres illæ tentationes, quæ à tentatore Domino factæ exprimuntur. Sed quomodo prædictis conueniant, ostendendum esse videtur. Vbi ergo dicenti sibi tentatori, *Dic, vt lapides isti panes fiant*, Verbum sacre scripturæ velut scutum veritatis opposuisse legitur, draconẽ conculcasse videtur. Antiqua siquidem fraude serpens antiquus, qua circa protoplastos vsus est in paradiso, Dominum aggressus est in deserto. Videns enim carnem homini proximam, imò indiuiduam esse, primò quę carni placerent, & carnem oblectarent, proposuit; & carnis eos concupiscentiâ decipiendo prostrauit. Ita & nunc Dominum esurire conspiciens; ipsam eius famem volens sibi assumere adiutricem, ab appetitu carnis, ne dicam concupiscentia, eum tentare cœpit, dicens. *Dic, vt isti lapides panes fiant.* Ecce quàm sit aptus pœnitentiæ locus desertum, manifestè apparet. Quia enim in deserto nec pomum inuenit, quod placeret,

1. Timot. 5. — Eccles. 1. — Hebr. 4. — Prou. 16. — Luc. 21. — Greg. hom. — Psal. 54. — Matth. 4. — *Dæmon à concupiscẽtia carnis inchoat tẽtationem.*

nec aliud comestibile, quod famem propulsaret; ad lapides, qui deesse non poterant, se conuertit: non sicut priùs dicens in paradiso, *eritis sicut dij*, callidiore vsus astutia, facito inquiens sicut Deus. Ac si diceret, si verè Deus es, potes; & si potes, debes vitam corporis, etsi non oblectare, saltem cibo necessario sustentare. Sed deprehensa est ab esuriente hæc tanta fraus in deserto: quam aduertere non potuerunt felices, & absque vlla necessitate, protoplasti etiam in paradiso. Gratias tibi Domine Iesu, quia sicut per te ipsum semel draconem superasti: sic quotidie per tuos superare non cessas. Iam enim velut tanti capitis membrum quilibet paruulorum tuorum oculos habens in capite, tuo exemplo prouocatus, tuo magisterio eruditus, tuo adiutorio confortatus, eiusdem draconis nequitiam, & astutiam cognoscit, conatum paruipendit. Sic sic obstetricante manu tua, de cauerna fraudis, in qua vsque ad te latuerat, eductus est coluber tortuosus. Videns ergo se nihil proficere sub specie draconis, ad pellem se conuertit leonis dicens. *Hæc omnia*, scilicet regna mundi, & gloriam eorum, *tibi dabo, si cadens adoraueris me*. Ecce sicut leo regem bestiarum se reputat, sic iste regnorum terræ se Dominum superbè credit: quæ tam facilè se daturum, si adoratus fuerit, repromittit. Sed solo vno verbo facilè reprobatus conculcatur & leo. Et leonem gentium vicit leo de tribu Iuda, agnus draconem, columba basiliscum. Nam in hac secunda tentatione, non solùm leonis arrogantiam, sed etiam in oculis basilisci insatiabilis auiditatis auaritiam intueor: vt in ostensione regnorum oculorum concupiscentia, in gloria eorum vitæ superbia exprimatur. Nam illud quod sequitur, statuisse illum supra pinaculum templi, & dixisse. *Si filius Dei es, mitte te deorsum: quia scriptum est Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te*, &c. fortè non incōgruè ad aspidem & ad incursum & dæmonium meridianum referri potest. Vbi quasi in Angelum lucis se transfigurans, etiam testimonio scripturæ sacræ, quæ sibi à Domino opposita fuerat, quod suaserat persuadere intendit. Verùm Dominus à scriptura sacra recedendum non esse nos docet: & prauum Sathanæ de scriptura sensum alterius scripturæ oppositione refellit, dicens. *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Ac si diceret. Deum tentare velle conuincerer, si de eius gratia & promissione confisus, supra hominem absque vlla necessitate vel vtilitate præsumerem. Sequitur. *Tunc reliquit eum diabolus*. Quem enim aliquo istorum quatuor modorum non seducit; procul dubio illæsum confusus derelinquit. *Et ecce accesserunt Angeli; & ministrauerunt ei*. Vbi in Apostolo post enumeratas varias tribulationum molestias, subinfertur. *In suauitate in Spiritu sancto*, & multiplex deinceps distinguitur varietas gratiarum: hic in Euangelio legitur, *Et accesserunt Angeli, & ministrauerunt ei*. Angelico namque ministerio manna diuinę consolationis in præsentis exilij deserto lugentibus & peregrinis, ac corde contritis, velut illis qui hereditatem capiunt salutis, ministratur. Sed istud diuinę suauitatis manna aliquando tentationem præcedit, aliquando comitatur, aliquando sequitur. Pręcessit enim in Elia, cui dictum est. *Comede, grandis enim tibi restat via*, & cum comedisset, in fortitudine ipsius cibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus, absque omni cibo ambulando laborauit. Danieli in ipsa tribulatione oblatū est prandium, cùm esset in lacu in medio leonū Angelico ministerio per Habacuc Prophetam allatum. Dominus verò noster, qui pro nobis tentandus aduenerat, illud quod grauius est elegit, vt peracto ieiunio, & deuictis varijs tribulationum tentamentis, tandem Angelico ministerio frueretur: vt meritò de eo dici posset. *Patientiam Iob audistis, & finem Domini vidistis*. Patientia siquidem Iob multis præuenta est beneficijs, sed multiplicioribus remunerata. Vnde ad solam patientiam eius considerandam, non ad ipsius patientiæ finem mittimur. Domini verò finem intueri monemur, *qui proposito sibi gaudio* regnorum mundi, & glorię eorum, *sustinuit crucem confusione contempta*. Hic quoque spreto corporali cibo, Angelicas delicias vsque in finem equanimiter expectauit. His dictis de officio Dominicæ, quæ prima quadragesimæ dicitur, vt quousque ab initio septuagesimæ processum sit, pleniùs cognoscatur, breuiter quædam supradicta epilogari oportet: vt quæ de septuagesimæ fine dicenda sunt, eis quæ de eius principio iam dicta sunt, conuenientiùs coaptentur.

Genes. 3. — Matth. 4. — Scripturā peruersè vti tur dæmon. — Ibid. — 3. Reg. 19. — Daniel. 14. — Iac. 5. — Hebr. 12.

## *Tractatus* 18. *Recapitulatio praedictorum; De Septuagesima*, &c.

DVas quippe Septuagesimas historialiter Scripturę sacræ commemorant: primam videlicet temporum vel ætatum, quę ab Adam vsque ad finem mundi protenditur: secundam annorum, quam filij Israël septuaginta annis in Babylonica captiuitate peregerunt. In harum repræsentationem, & spiritualium cuiuslibet animæ sanctæ profectuum significationem, Ecclesia duas celebrare septuagesimas consueuit: vnam hebdomadarum, quæ septem disterminatur dominicis; quarum vltima seu septima, & quasi terminus, est dominica qua cantatur, *Lætare Ierusalem*; alteram dierum, quæ finem habet & terminum in Sabbato, cùm geminum *Alleluia* decantatur. Harum prima vitę actiuæ profectum designat; quæ in hac vita habet suam perfectionem, & ad consummationis finem proficiendo perducitur; vt completa hebdomada copulæ Liæ, tandem ad optatas Rachelis nuptias pertingatur. Secunda contemplatiuæ vitæ quietem significat; quæ non tam septimanis quam diebus numeratur: imò nec diebus nec horis integris, quia potiùs horis dimidijs percipitur. Hæc non nisi finito primo Pascha & initiato secundo connumeratur. Sed quia mixtim istæ sibi duæ vitę, atque vicissim subseruiunt, & alternatim sibi inuicem succedunt, vt nunc Lia Racheli, nunc Rachel Liæ suum Iacob inuideat, & nunc altera alteri nimia præripiat auiditate; bene etiam istæ duæ Septuagesimæ sic in Ecclesia celebrantur, ita sibi inuicem connectuntur, vt non tam duæ, quàm vna videatur, & duas esse à paucissimis cognoscatnr. Sed hoc sacramentum Ecclesiam Romanam latere non potuit; quæ in vniuersali Ecclesia frequentan-

Duæ Septuagesimæ vitas duas significant.

dum instituit. Et septimam primæ septuagesimæ Dominicam, per quam actiuæ vitæ consummationem significari diximus, rosæ aureæ gestatione insigniuit. Sed ipsius rosæ mysterium minimè paruipendendum, meliùs illi diei reseruatur enucleandum, cui specialiter cognoscitur adaptatum. Interim de alijs Dominicis, quæ illam præcedunt, quod Dominus ministrauerit disseramus: ne quæ retro sunt obliti, in anteriora nos extendentes, ordinem præposteremus. Primò igitur mundo renunciantes, & de Ægypto vitæ instabilis & tenebrosæ exeuntes, fructus carnis velut septem illas Ægypti spicas tenues & vredine percussas abdicauimus: & fructus spiritus velut septem alias plenas atque formosas, in vno charitatis culmo amplectentes, sicque decalogũ spiritualiter intelligere & adimplere proponentes, septuagesimam initiauimus. Secundò peccatis mortalibus plenè renuntiare volentes, & in hoc angustias non modicas, & amaritudines ex ipsorum peccatorum consuetudine, & velut quorumdam Ægyptiorum persecutione sustinentes, miraculoso tandem Dei auxilio ipsius amaritudinis ruborem & dolorem, velut quoddam mare rubrum, non sine multo labore transiuimus; & sic senario actiuæ vitæ decalogum adimplere studentes, sexagesimam celebrare contendimus. Tertiò non solùm peccatis resistere, sed ipsis etiam corporeis sensibus imperare volentes, & sic voluntaria quinque sensuum mortificatione decalogum adimplere curantes, quinquagesimam iam mari transmisso celebrantes, exultauimus. Et licet errantes in solitudine, in inaquoso, ciuitatem habitaculi non inuenerimus; tamen per Mara transeuntes, & dulcoratæ aquæ haustu suaui delectati, tandem in Helim peruenimus; vbi palmas victoriæ iam nostrûm ipsorum facti victores inuenimus: & ipsius victoriæ fructus percepimus dulciores. Sed nec ibi diutius morari valentes, eo quòd nec fontes duodecim, nec palmæ septuaginta, ad satietatem sufficerent; pertransire volentes eos qui circumeunt ciuitatem, transiuimus in desertum Sin; vbi subtiliùs conscientiæ amphoram perscrutantes, de exterioribus ad interiora, de visibilibus ad inuisibilia, de sensu carnis ad spiritum iam spirituales facti peruenimus; & spiritu in desertum spirituale ducti, quatuor virtutũ pennis decalogum transuolantes, quadragesimam cùm Domino initiare, & manna cœleste degustare meruimus. Benè autem hęc in Sin, quod amphora dicitur, fieri incipiunt; vbi ciuitatem interioris hominis intrare volentibus occurrit homo amphoram aquæ baiulans: qui & cœnaculum grande stratum, vbi pascha paretur, ostendit. Quærentibus enim Deum primò occurrit homo Deus, vt per hominem Deum ascendant ad Verbum Deum; & per Verbum Deum homines Dij efficiantur, secundũ illud ipsius Verbi verbum. *Si illos dixit Deos ad quos Sermo Dei factus est*, &c. Homo igitur iste, cui vult & quando vult, & quomodo vult, occurrit, & succurrit, & præcurrit. Occurrit quærentibus, succurrit deficientibus, hæsitantes præcurrit, & trepidantes; priusquam inuocetur, dicens, ecce adsum. Mariæ adhuc trepidanti, & corpus mortuum quærenti, præcurrens apparuit; non tamen amphoram aquæ baiulans, sed sicut hortulanus; significans quòd plura adhuc in ea euellenda & disrumpenda restarent, quæ hortulani ope, vel opera indigerent. Euntibus in Emaus tristantibus & penè deficientibus succurrens apparuit; sed sicut peregrinus, non aquæ amphoram baiulans. Omnes hi adhuc exterioribus dediti, foris eum inueniunt, foras deosculantur, & exteriora dona ab eo percipiunt. Solis intra cubiculum intrare conantibus, & iam lectuli secretum, & sabbati otium quærentibus, quod est velle celebrare pascha, occurrit amphoram aquæ baiulans. Sed quia diuisiones aquarum apud eum sunt, & diuisiones gratiarum ex diuersis ipsius fontibus emanant; non vnam semper aquam continere credenda est amphora ipsius: sed quam cuique nouerit esse necessariam, pro sua voluntate propinat. Alij aquam refectionis, alij aquam salientem in vitam æternam: alij quam Siloë, quæ fluit cũ silentio; alij aquã egredientem de templo: alij aquam fontis patentis in ablutione domus Dauid & menstruatæ: alij aquam fontis signati: alij aquas fontis & putei, quæ fluunt impetu de Libano. Omitto aquam cisternæ, & fluenta putei viuentis, quæ foras deriuantur, & diuiduntur in plateis; sed & aquas Iordanis, quæ Naaman septies mersum in eis mundant à lepra. Aquas quoque Mara, aquas Helim, quæ sunt lachrymæ pœnitentium & baptisatorum: quæ omnes extrà sunt, & ante spiritualem quadragesimam percipi solent. Earum autem quas prędiximus, noster Moyses, qui ex aqua dicitur, quia de Spiritu sancto conceptus, quando vult, amphoram suam implet; & sicut vult singulis exhibet, diuidens singulis prout vult. Et quia longum esset de omnibus disserere: illius ipsius aquam ardenter sitiamus, quam qui biberit, non sitiet in æternum. Ipsa est aqua charitatis, de qua ait Euangelista, quam *accepturi erant credentes in eum*. Hanc nobis aquam Dominus in humana conuersatione velut in vase fictili exhibuit, & quotidie proficientibus exhibere non cessat: suam eis infundens charitatem, ad suam eos inuitans intuendam, & imitandam conuersationem, dicens. *Pone me vt signaculum super cor tuum: vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio.* Si huius aquæ effectus & proprietates libet inquirere, inuenimus eam mundatiuam, refrigeratiuam, speculatiuam. De primo legitur, *Lauabis me & super niuem dealbabor*, Et illud. *Lauamini mundi estote.* De secundo. *Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* De tertio *super aquam refectionis educauit me.* De quarto *Mouebatur aqua, & sanabatur vnus.* De quinto, *Lachrymis meis stratum meum rigabo.* Et Salomon extruxisse legitur piscinas aquarum, vt irrigaret siluam lignorum germinantium. De sexto, *Aquæ Iordanis sanctificatæ sunt.* De septimo Salomon. *Sicut in aquis resplendent vultus prospicientium, ita corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Et in Cantico Canticorum. *Oculi tui sicut columbæ super riuos aquarum; quæ lactæ sunt lota, & resident iuxta fluenta plenissima.* Columbæ enim in aquarum riuulis non solum suos vultus, sed & accipitris speculantur,

Cæremonia Ecclesiæ Romanæ.

Luc. 22. Ioan. 10. Ioan. 20. Luc. 24. 4. Reg. 5. Ioan. 7. Cant. 8. Psal. 50. Isai. 1. Luc. 16. Psal. 22. Ioan. 5. Psal. 6. Eccle. 2. Ecclesia. Prou. 27. Cant. 5.

vt à longè visum leuiùs effugiant. Omnes istos effectus & proprietates, in charitatis aqua facilè diligens lector reperiet. Ipsa siquidem est fons viuus, cui non communicat alienus. Ipsa aqua viua, quam Dominus Samaritanæ promittit. *Ioan. 4.* Imò aqua viua, de qua dicit Apostolus. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo.* *Colloss. 3.* Hæc vita mortificat & viuificat; mortificat mundo, quia valida est vt mors; viuificat Deo, quia qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Hæc quia quatuor præceptis concluditur, illis scilicet, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua; & proximum tuum tanquam te ipsum:* *Deuter. 6. Matth. 22.* & in ipsis quatuor tota lex pendet & Prophetę, meritò quadragesimali tempore figuratur; vt ille solus rectè quadragesimam dicatur celebrare, qui charitatem dictis & operibus studuerit ostendere. Sic enim infra geminam, quam prædiximus septuagesimam, quadragesima concluditur; sic actiuæ & contemplatiuę vitæ pennis charitas proficiens, & proficiendo se in anteriora extendens, in finem dilatatur. Vnde & ferculi Salomonis, ascensus purpureus, reclinatorium aureum, media charitate constrata describuntur. *Cantic. 3.* Quod ibi per ferculum, in Euangelio per cœnaculum grande stratum, reor significari. *Luc. 22.* Ferculum enim siue cœnaculum, cor est diuina contemplatione sublimatum, & illustratum; *Cor contemplatione fit ferculum diuinæ sapientiæ.* quod ascensum habet purpureum laboriosæ actionis, & grande est multiplicitate boni operis; quod ex cœlestis desiderij charitate, velut quodam excellentiori & eminentiori ornamento consternitur, vt tandem in reclinatorio aureo diuinę sapientiæ suauiter repausetur. Sic igitur Quadragesima inter duas Septuagesimas medium locum tenet: sic per charitatem inter actiuam vitã, & contemplatiuã quasi inter medios cleros dormiens, per actiuã exercetur sub se, per contẽplatiuam eleuatur supra se. Per exercitiũ boni operis eleuatur ab imis, per studium contemplationis commoratur in summis; & quantò charitas dilatatur in opere, tantò postmodum suauiùs delectatur in contẽplatione. Ex fructu enim boni operis charitas promeretur, vnde per gustum contemplationis postea remuneratur. Est igitur charitatis meritum patientia laboris, & tribulationis præmium cognitio veritatis. Siquis igitur aspirat ad prẹmium, priùs procuret meritũ. Siquem delectat complexus veritatis, priùs eum exerceat via laboris. Siquis suaues fructus desiderat percipere charitatis, non abhorreat asperitatẽ corticis, nec refugiat amaritudinem radicis; quoniam *iustus vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur.* *Psalm. 91.* Si cui igitur libet ex sentẽtia dicere, *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius,* *Cantic. 7.* sciat à radice incipiendum esse; quoniã iuxta Apostolũ, *Rom. 11.* rami & cętera quæ in arbore sunt, radicem non portant, sed portantur à radice. Quærendum igitur nobis est, quæ sit hæc radix, à qua stipes, rami, fructusque procedunt. Tria siquidem sunt præcepta charitatis, dilectio Dei, dilectio proximi, & dilectio sui. Vbi enim dicitur *Diliges proximum tuum sicut te ipsum,* ostenditur quòd primò debeat homo rectè diligere seipsum. *Matt. 22.* Non enim rectè diligit se, qui diligit iniquitatem; *Psal. 10.* sed proculdubio secundùm Prophetam, odit animam suam. Vt ergo rectè se diligat, oportet quòd perfecto odio oderit vitia sua, deponens *Omnem malitiam & omnem dolum, & simulationem, & inuidiam, & omnes detractiones:* *1. Petri 2.* & si quid est aliud, quod charitati aduersetur. Hoc primum mandatum, scilicet dilectio sui, primum non dignitate, sed ordine, non incongruè radix intelligitur charitatis; ex qua prodeunt stipes fraternæ dilectionis, qui in multiplices ramos bonorum operum dilatatur; fructus diuinæ dilectionis, qui tandẽ post multas tribulationes & ascensiones in valle lachrymarum dispositas, per cognitionẽ veritatis à mundicordibus suauissimè degustantur. Et notandum, quòd hæc ita sibi connexa sunt, vt nec fructus sit sine stipite, nec stipes viuat sine radice. Vitam autam radici vel stipiti neque qui plantat tribuit, neque qui rigat; sed solus incrementum dans Deus. Sic nec amor Dei verus in homine est, sine amore proximi; *Amor proximi non est sine amore Dei, & vicissim.* nec amor proximi purus sine amore sui; sed nec amor sui rectus, nisi aliquo Dei amore & cognitione viuificetur, & quasi animetur. Cognitio enim veritatis quasi quædam est anima charitatis, vt quantùm cognoscitur veritas, tantùm ametur: & quantùm proficit quis in amore, tantùm dilatetur in cognitione: quia amor ipse notitia est. Veritatem autem primò cognoscit homo in se ipso per humilitatem: deinde in proximo per compassionem; tandẽ in ipsius natura veritatis per reuelationem. Ecce quomodo vbiq; charitas veritatis cognitione animatur & viuificatur. Vt enim homo rectè se diligat, necesse est, vt sine fallacia se cognoscat. Vt proximum veraciter diligat, necesse est, vt cognoscendo eius infirmitatem, ei compatiendo condescendat. Vt Deum purè diligat, necesse est, vt naturæ Dei puritatem mundo corde, quantũ in hac vita fieri potest, videat & cognoscat. His finibus concluduntur, & consummantur prædictę quadragesimę & septuagesimæ cursus, vt spiritualis quadragesimę finis sit & consũmatio in Dei dilectione, finis Septuagesimæ, quàm contemplatiuam vitam diximus, sit in Dei cognitione. Nam proximi dilectio in ea fortè parte quadragesimæ commendatur, quæ dicitur, *Dominica in passione,* vt tunc meritò accingat se homo ad diligendum proximum in Christo, cùm audire & considerare cœperit, quanta fecit & passus sit Christus pro eo. Tempore autem reliquo spiritualis quadragesimę quod pręcedit, manifestè ostenditur homini, quo ordine procedere & proficere debeat in amore & cognitione sui. Primò igitur conuenit homini, scire quid sit ex culpa; deinde quid sit ex gratia; tertiò quid sit ex natura. Primum quidem initio quadragesimæ conuenire videtur, secundum tertiæ Dominicę: nam secunda Dominica, Dominica vacans appellatur, & proprio officio à prima institutione quadragesimæ vacasse inuenitur. Tertium verò quartæ Dominicę, quę media quadragesimę dicitur, manifestè congruit, in qua *Lætare Ierusalem* decantatur, & spiritalis gaudium libertatis tam verbis quam signis delectabilibus commendatur: quę omnia suis in locis prout Deus ministrauerit pleniùs exprimentur. Primùm igitur de primo prosequimur.

## MONITIO AD LECTOREM.

*HVc vsque progressus est Henricus Cardinalis Albanensis, qui manum vltimam operi huic non apposuit, vt ex vltimis verbis apertè constat. Nimirum negotijs pro Sancta Ecclesia susceptis, & Legationibus diuersis à Sede Apostolicâ sibi injunctis præpeditus, & tandem morte præuentus, quod mente conceperat, scripto mandare nequiuit. Videntur etiam quædam deesse, & forsan multa, post Tractatum 13. Cùm enim initio illius Tractatus dixisset, se jam limina ciuitatis Domini attingere, & per Duodecimam portam mox in eam ingressurum, splendore ac gloria ejusdem portæ, & fulgore nimio percussum stupere, & cum Regina Saba præ stupore exanimem esse: & incomparabiliter majus esse quod videbat, quàm quod audierat de eadem Ciuitate Domini; cùm inquam hæc & similia dixisset, atque de eadem ciuitate magna relaturum præ se ferret, ac lectoris animum in spem erigeret mira & insolita audiendi; mox digreditur ad lamentandam terrenam Ierusalem ab Infidelibus illo tempore, quo scribebat, captam; sequentem autem Tractatum ab Officio Septuagesimæ exorditur, nulla monitione præmissâ, quæ connexionem hujus & sequentium cum præcedentibus ostendat; nulla ampliùs portarum, aut gloriæ Ciuitatis Domini mentione facta. Ideoque videntur hic & sequentes Tractatus jam antè ab Authore fuisse perducti vsque ad illum locum, vbi nos cum illo hic desijmus. Sciendum quoque est, nullum in Clara-vallensi codice manuscripto esse titulum, nisi initio totius operis, quo Author se satis declarat, & suum propositum manifestat: singulis autem sermonibus nos apposuisse titulos, & Tractatus maluisse appellare, quàm Sermones; ne sermonis nomine, arbitraretur quis esse conciones in Templo habitas & pronuntiatas; cùm solùm scripserit Author, non autem pronuntiauerit ea quæ hic scripsit; ideo etiam nonnunquam suum lectorem monet, non auditorem. Singulis Tractatibus vsque ad 12. hunc finem imposuit. Ipse autem sit Alpha & O. sermonis nostri, &c. & cùm non scripserit Alpha & Omega, vt nunc passim scribitur & legitur, sic etiam edidimus: maximè cùm eruditè ostendat Estius cum alijs quos laudat, non Omega, sed solùm O legendum & scribendum, vt antiqui semper legerunt. Conciones hujus Authoris, quas Ciaconius & alij dicunt illum coram Pontificibus habuisse, reperire non potuimus, & an extent, ignoramus. Declarationem autem historicam, quam de rebus à se & socijs suis tempore legationis eorum aduersus Albigenses gestis, scripsit, quæ & Epistola appellatur, quam Baronius Anno 1178. refert, & ex eo noster Manrique, hic addendam judicauimus.*



## *DECLAMATIO HENRICI ABBATIS CLARÆ-VALLIS, scripta ad vniuersos Christi fideles.*



AVDITE, Cœli, quod plangimus: sciat terra gemitum cordis nostri: doleant vices Christi Catholici Christiani, & ad detrimenta Fidei fidelis populus ingemiscat. Quique terrigenæ, & filij hominum humanæ salutis damna deplorent, & generalis vitæ nostræ subuersio ab omnibus viuentibus generaliter lugeatur. Stat contra phalangas Israël nouus nostri temporis Philisthæus, Hæreticorū ordo, exercitus peruersorum, qui agminibus Dei viuentis irreuerenter exprobrat, & Deum Majestatis in prima præsumptione blasphemat. *Albigenses Hæreticos intelligit.* Quid dubitas, ô Dauid? quid trepidas, vir fidelis? Sume tibi fundam, & lapidem: percutiatur protinus in fronte blasphemus; & caput nequam, quod impudenter erigitur, suo tuis manibus mucrone tollatur. Si enim in hoc certamine pars Christi vincitur: si vel ad modicum, & in puncto Mater Ecclesia conculcatur; scimus, quòd non negabitur agonistæ nostro triumphus, si amore Fidei militat pugnaturus. Verùm, quia juxta veritatis verbum messis multa est, & operarij pauci: *Matth. 9.* si introierint audacter tuorum, bone Iesu, depopulatores agrorum, parati, sicut operarij subdoli, acerba magis eradicare, quàm matura demetere, quasi tuæ messionis diem suis direptionibus putant præuenire. Vbi sunt ergo agricolæ tui constituti super agrum fertilem & jucundum, tuo cruore floridum, & aspersione pij sanguinis irrigatum? Surgant, & opitulentur nobis, & in necessitate nos protegant, seque ad cruentas bestias murum nobis defensionis opponāt. Surgite, inquam, surgite, Viri Patres, Duces gentium, Principes populorum, abigite feras pessimas, quas monstramus; vel saltem vulpes paruulas effugate. Sed capere quidem est melius: sed ad hoc quis idoneus? Non habent certos aditus: semitas ambulant circulares: & in quodam fraudum suarum labyrintho monstra sæuissima reconduntur. Tanquam damula de manu diffugiunt, & instar colubri tortuosi quò eos plus astrinxeris, faciliùs elabuntur. Deo autem gratias, quòd etsi capi nequeunt, fugari possunt: vt cùm perdiderint, quod demoliebantur in nobis, confundantur, & pereāt in semetipsis. Hoc autem quòd sit facile, per ea, quæ vidimus, & tractauimus, approbauimus: vt iam amodò, si factum non fuerit, non tam illorum nequitiam, quàm defectus nostros nostrorúmque negligentiam deploremus.

Contigit enim nuper ad Imperium Domini Papæ, & hortatu pijssimorum Principum Ludouici Francorum, & Henrici Anglorum Regum, Dominum Petrum Apostolicæ Sedis Legatum, Virósque venerabiles, Pictauiensem, & Bathoniensem Episcopos, nósque in comitatu eorum, vrbem adire Tolosam: quæ, sicut erat ciuitas maximę multitudinis, ita etiam dicebatur esse mater Hæresis, & caput erroris. Perreximus ergo ad illam, vt sciremus, si iuxta clamorem, qui ascendit, esset dolor eius. Et ecce inuenta est plaga eius magna nimis, ita vt à planta pedis vsque ad verticē capitis vix esset in ea sanitas: verè enim tertia pars nobis nunciata non fuerat, de omnibus abominationibus suis malis, quas ciuitas illa nobilis incredulita-

tis suæ gremio confouebat. Locum in ea sibi abominatio desolationis inuenerat, & Propheticorum similitudo reptilium in latibulis ejus domicilium obtinebat. Ibi Hæretici principabantur in populo, dominabantur in Clero, eò quòd vt populus, sic Sacerdos, & in interitum gregis ipsa configurabatur vita Pastoris. Loquebantur Hæretici, & omnes admirabantur: loquebatur Catholicus, & dicebant: Quis est hic? in stuporem, & miraculum deducentes, si esset aliquis inter eos, qui de verbo Fidei auderet aliquid vel mutire. In tantum præualuerat pestis in terra, quòd illi sibi non solùm Sacerdotes, & Pontifices fecerant; sed etiam Euangelistas habebant, qui corrupta, & cancellata Euangelica veritate, noua illis Euangelia cuderent, & de corde suo nequam recentia dogmata seducto populo prædicarent.

Mentior, si non erat inter eos homo quidam ætate grandæuus, rebus locuples, ornatus fratribus, & amicis, & magnus omninò inter maximos ciuitatis, quem ita peccatis exigentibus, Diabolus excæcauerat, vt se ipsum Ioannem Euangelistam diceret; & Verbum, quod erat in principio apud Deum, ab alio quodam rerũ principio, tamquàm à Deo altero segregaret. Hic erat in vrbe illa pereuntiũ Caput, & Princeps Hæreticorum: qui licèt, tamquàm laïcus & idiota nil saperet; inter eos tamen velut quidam diabolicæ sapientiæ fons, perditionis & mortis felleos latices emanabat. Conueniebant ad eum noctibus noctuæ tenebrosæ: & ille indumento quodam ad instar tunicæ dalmaticæ vestitus, cùm sederet inter eos, tanquã Rex, circumstante exercitu, erat & inerat desipientium prædicator. Totam penitùs vrbem discipulis suis, & disciplina repleuerat: quippe cui aliquis de vrbe præ fortitudine sua resistere non audebat. In ipso quoque introïtu nostro tanta erat Hæreticis vbique licentia, vt nos quoque per vicos, & plateas recto itinere præcedentes subsannarent verbo, digito demonstrarent: nos apostatas, nos hypocritas, nos Hæreticos conclamantes. Verùm procedente tempore, & data nobis requie diebus paucis, injunctum est vni de nobis verbum exhortationis assumere, & de regula veræ Fidei coram infideli multitudine disputare. Habito autem sermone orthodoxæ prædicationis ad plebem, conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas; ita vt qui priùs obstruebant ora loquentium, iam apparere coram loquentibus non auderent. Audires illicò, vel videres vulpes transfiguratas in talpas, vt quæ priùs impunè in publico discurrebant, iam terrarum latebris, iam sese cellulis immergerent cauernosis, & plantaria sacra, quæ iam non audebãt in aperto commandere, intra terræ viscera corroderent, & necarent: ne autem pardus ille discolor pellis suæ varietate se proderet, sermonem sibi nequam callidis adinuentionibus firmauerunt, vt ad nostræ confirmationis similitudinem simulandã, tracti ad discussionis examen, quicquid nos credimus, se credere mentirentur.

Ex illa ergo die Dominus Legatus, & nos alij, qui cum feris bestijs in aperto congredi putabamus; ad perscrutandos eos, quos timor, & confusio, tamquàm ignobiles, in ima terræ detruserat, studium totum conuertimus, & laborem: vt vel coacti prodirent in publicum, & abijcerent in luce opera tenebrarum. Factum est exinde præcipiente Legato, vt iuraret Episcopus, & quidam de Clero, & Consules ciuitatis, alijque ciuitatis verè Fideles, quos nondum in aliquo perfidiæ fama resperserat, quòd quoscumque vel hactenus nouerant, vel nosse eos contingeret in futuro, qui essent hujus hæresis vel complices, vel authores, eorum nobis nomina scripto depromerent, nulli penitùs, vel amore, vel pretio, vel cujuspiam necessitudinis ratione parcentes. Cúmque per singulos dies innumera multitudo in catalogum illius conscriptionis incideret, nominatus est inter alios magnus ille Petrus Moranus, quem Ioannem Euangelistam, vt suprà diximus, nominabant. Super quo nos omnes, communicato consilio, decreuimus ab illo inchoare judicium, vt turba in reliquis perfida contremisceret, cùm falsi Euangelistæ versutiam veri Euangelij simplicitas condemnasset. Missis ergo apparitoribus præcepit eum Comes Sancti Ægidij, qui fideliter nobis aderat, accersiri. Sed ille in multitudine diuitiarum suarum, & parentum numerositate confidens, primæ citationis edictum fastuosæ dilationis colludio declinauit. Altera ergo die prædictus Comes blanditijs magis, quàm terroribus enitens, eundem Petrum per amicos & notos leniter aduocauit, & eum nobis tandem post difficultates plurimas veniendi, mixtis cum terrore blanditijs præsentauit. Tunc vnus, qui loquebatur à nobis, taliter eum exorsus est commonere. Eia nunc, Petre, tui te conciues accusant, quòd sanctæ Fidei regulis confutatis, in Arrianæ hæresis deueneris prauitatem; imò per multiplicium errorum deuia, & ducas ipse alios, & ab alijs deducaris. Ad hæc ille de profundo suspirans, & tactus dolore cordis intrinsecùs, se non esse hujusmodi est prima fronte mentitus; & requisitus, an hoc juramento probaret, simplici assertioni suæ tamquàm fidelis viri, & illustris, credi oportere, contendit.

Cæterùm, cùm in exigendo iuramento vniuersi pariter instaremus, promisit se continuò iuraturum, ne in hoc ipso deprehenderetur Hæreticus, si iuxta quod consuetudò illius erroris obtinuit, vitandi iuramenti existeret obstinatus. Mox igitur Sanctorum Reliquiæ honorabiliter afferuntur, cum tam solenni reuerentia & deuotione susceptæ, vt & fidelis populus compungeretur ad lacrymas, & Hæreticos, qui conuenerant, latebræ potiùs, quàm talia spectacula delectarent. Ipsum verò Petrum in cantu, quem ad inuocandum Spiritus sancti præsentiam profusis lacrymis cantabamus, tremor euidens, & pallor operuit; ita vt ab eo & color vult⁹ aufugeret, & vigor animi deperiret. Quomodo enim, adueniente Spiritu Sancto, in aduersario ejus spiritus remaneret? Cernere erat hominem, quasi morbo paralytico dissolutum, nec loquelam retinuisse, nec sensum: quamuis tantæ facundiæ fuisse diceretur ab omnibus, quòd omnes in dicendo sit solitus superare. Quid plura? Iurat infelix, astantibus vniuersis, quòd de omnibus articulis fidei, quos requireremus ab eo, suæ credulitatis exprimeret veritatem. Res mira, & in tali spectaculo pia iucunditate gratissima. Apertus est liber, in quo iurauerat, & vno de circumstantibus, Re-

ligioso quodam, ioco occurrentis litteræ prognosticum perquirente, illius scripturæ textus occurrit. *Quid tibi, & nobis, Iesu, Fili Dei? venisti ante tempus torquere nos.* Verè, Domine Iesu, nihil tibi, & illis, quos Pater tuus cœlestis à te vite vera, tamquàm infructuosos palmites, amputarat, & foras miserat, vt arescant. At nobis in tuo nomine congregatis lætitiæ multiplicatur argumentum, & in gratiarum actione, & voce laudis, virtutis tuæ gloria resonabit.

Demum Petrus in virtute Sacramenti simpliciter requisitus, vt de Sacramento Altaris suam nobis fidem sine fraude aliqua fateretur: sed quod corde non credidit ad iustitiam, nec ore confessus est ad salutem: sed contra id, quod de omnibus mentiri decreuerat, falsitatis suæ prodidit veritatem, & Panem sanctum vitæ æternæ, Sacerdotis ministerio in verbo Domini consecratum, non esse Corpus Domini, nouo dogmate contendebat asserere. Tunc surrexerunt omnes, eum quodammodo lachrymis obruentes: quas & Sacramentorum Christi contemptus elicuit, & habita erga miserum compassio Christiana produxit. Nec plura dant Comiti responsa. Reus, & Hæreticus iudicatus est: statimque sub diligenti pollicitatione parentum custodiæ publicæ mancipatur. Volat facti rumor per vicos & plateas amplissimæ ciuitatis: aperiuntur ora fidelium, & Catholicæ plebis labia in tua, Christe, præconia resolvuntur; velut tunc primùm in eadem vrbe Fidei splendor erumperet, & in spem salutis æternæ desperata dudum ciuitas respiraret. Ex tunc ergo, & deinceps verbum Dei crescebat, & multiplicabatur in dies: ita vt vniuersa vrbis facies lætior videretur, quæ in candorem lucidæ veritatis de tenebris euadebat erroris.

Intereà Petrus ad se reuersus, & Domino respiciente compunctus, cùm se dignum penitùs tam præsenti morte cerneret, quàm futura, missis mediatoribus multis satisfactionis quęrit aditum, & conuersionis pollicetur effectum: vt posset in frugem melioris vitæ ab imminentis mortis interitu liberari. Venit, recipitur, & in conspectu sistitur populi contristantis, nudo quidem corpore veteris perfidiæ exuens prauitatem. Ibi se coram omnibus Hæreticum recognouit: ibi dedit manus Fidei: ibi renunciauit errori, præstito coram omnibus manu dextera iuramento, & datis fidejussoribus, tam Comiti ipsi, quàm militibus, & præcipuis conciuibus suis, quòd ad omne mandatum Domini Legati se subderet, & iussionem eius in omnibus adimpleret. Tunc indictum est populo, vt omnes pariter ad Ecclesiam Sancti Saturnini die altera conuenirent; audituri, & visuri solemniter, quam pœnitentiæ formam Petrus ille susciperet obseruandam.

Omnes igitur sequenti die, vt fuerant prænominati, conuenerunt; tanta vtique multitudo, tam frequens, vt vix remaneret secus ipsa Altaris cornua locus vacuus, qui Domino Legato Missæ solemnia celebranti sine compressione nimia præberetur. Et ecce coram illa multitudine multa nimis Petrus ille jam noster per ipsas Ecclesiæ valuas nudus, & discalceatus adducitur, cędentibus hinc inde eum Episcopo Tolosano, & Abbate Sancti Saturnini, donec ad pedes Legati in ipsis Altaris gradibus poneretur; & ibi in facie Ecclesiæ Ecclesiasticis reconciliatus est Sacramentis, abjurata omni hæresi, & Hæreticis anathematizatis ab eo. Mox autem possessionibus eius publicatis vniuersaliter, & proscriptis, pœnitentia illi talis injungitur, vt infra quadraginta dies à patria sua exulaturus abscederet, in seruitio pauperum Ierosolymis triennio moraturus. Interim verò singulis diebus Dominicis Ecclesias Tolosanæ vrbis nudus, & discalceatus cum disciplinalibus virgis jussus est circuire: Ecclesiarum bona, quæ abstulerat, reddere; vsuras omnes, quas acceperat, restituere; damna pauperum, quos afflixerat, resarcire; & castrum quoddam suum quod Hæreticorum conuenticulis profanarat, ab ipsis fundamentis euertere. Deus bone! quot ibi lachrymas lætitia sancta profudit! quas gratiarum actiones, & laudes populus jubilans, & deuotus cœlestibus choris ingessit, cùm de cauernis perfidiæ talpa talis educitur, & in Israëliticam ouem lupus rapacissimus reformatur?

Post hæc, illo dimisso, Dominus Legatus ad alios manus misit, excommunicaturus vtique illos, quos in magno numero, vel suspicio publica, vel occasio priuata notauerat. Nos autem vix tandem cum lacrymis exorta lætitia: reuertendi, pro eo, quòd instantia Capituli nostros iam reditus exigebat, petita licentia, sub ea nobis est exceptione concessa; vt Albiensem Diœcesim intraremus, commoniturì Principē terræ, Rogerium videlicet de Beders, vt & Albiensem Episcopum, quem sub custodia Hæreticorum in vinculis tenebat, absolueret: & vniuersam terram suam iuxta præceptum Domini Legati, eliminatis Hæreticis, emendaret. Ingredientibus ergo nobis vnà cum supradicto Bathoniensi Episcoco illam perditissimam regionem, quæ, velut totius sentina malitiæ, totam in se colluuionem hæresis illuc defluentis excepit, prædictus Rogerius in vltimos, & inaccessibiles terræ suæ fines abscessit, tam mala conscientia profugus, quàm causæ suæ merito desperatus. Oderat enim lucem veritatis author malitiæ, nec sustinere poterat nostræ collocutionis accessum, qui totus recesserat in opera tenebrarū. Peruenimus tamen ad quoddam munitissimum castrum eius, quod propriè, ac singulariter Castri nomine incolæ nuncupabant. Ibi habitabat vxor illius cum militia magna, & familia multa nimis. Omnes ferè habitatores ejusdem Castri, vel Hæretici, vel Hæreticorum complices erant: licèt sola Domini virtute repressi, nihil contra Fidem, quam prædicabamus, præsumerent vel mutire. Quāuis enim essemus in manus eorum positi, & velut in quasdam potentiæ suæ compedes hæretica vndique multitudine circumuenti; verbū tamen Domini non erat alligatum, quin eos continuis inuectionibus, & increpationibus feriremus.

Cùmque videremus, quod nihil omninò prę sumerent respondere, judicauimus prædictum Rogerium proditorem, Hæreticum, & de violata Episcopi securitate perjurum, cùm tamquàm publica excommunicatione damnatum ex parte Domini Papæ, & prædictorum Regū, in præsentia conjugis, militúmque suorum in nomine Christi confidenter diffidentes. Ecce amodò satis apparet, quàm grande & euidens ostium patet Principibus Christianis, vt Chri-

sti vlciscantur injurias, ponántque desertum quasi hortum Domini, & solitudinem eius in delicias Paradisi. Ne autem vel parum, vel nihil fieri contra illos posse causentur, sciant omnes, generalem fuisse in vrbe Tolosana sententiam, quòd si ista visitatio fuisset adhuc triennio retardata, vix inueniretur in ea, qui nomen Christi ampliùs inuocaret. Super hæc autem omnia, prædictus Comes Sancti Ægidij coram populo ciuitatis præstito juramento firmauit, quòd amodò nec prece, nec pretio fauebit Hęreticis.

Hactenus *Declamatio Henrici, tunc Claræ-vallis Abbatis, historica; cui ad pleniorem historiæ notitiam, ex literis Petri Cardinalis & Legati Sanctæ Sedis, quas referunt Baronius, & alij, quæ sequuntur, addere visum fuit.*

Nos itaqve indulgentiam eis concessam, (quamvis à præfato Comite Tolosano, & alijs nobilibus viris, sicut diximus, jam exierat edictum, vt de terris eorum deberent expelli,) ratam habentes: eodem Pictauiensi Episcopo, & prædicto Comite Tolosano, & alijs Clericis, laïcis quasi trecentis, in Ecclesia Beati Stephani nobiscum pariter congregatis, illis injunximus, vt fidem suam nobis exponerent; & ad Catholicæ Fidei veritatem redeuntes, infamiã, quam & tota terra, & ipsi per damnabilem prædicationem incurrerant, per salutiferam confessionem veræ Fidei remouerent. Ipsi verò inter alia verba, quæ hinc inde processerunt, chartam quandam, in qua fidei suæ articulos conscripserant, in medium protulerunt: & eam, sicut prolixiùs scripta fuerat, perlegerunt. In qua cùm verba quædam deprehendissemus, quæ & suspecta videbantur existere, & nisi pleniùs exponerentur, hæresim, quam prędicauerant, possent velare; quæsiuimus, vt Latinis verbis respondentes, suam Fidem defenderent: tum, quia lingua eorum non erat nobis satis nota; tum quia Euangelia, & Epistolę quibus tantummodo fidem suam confirmare volebant, Latino eloquio noscũtur esse scripta. Cúmque id facere non auderent, vtque qui linguam Latinam penitùs ignorabant, sicut in verbis vnius illorum apparuit, qui cùm Latinè vellet loqui, vix duo verba jungere potuit, & omninò defecit; necesse fuit, nos illis condescendere, & de Ecclesiasticis Sacramentis propter imperitiam illorum, quamvis satis esset absurdum, vulgarem habere sermonem.

Illi ergo duo esse principia denegantes, publicè coram nobis, & prædictis viris confessi sunt, & firmiter asseruerunt, quòd vnus Deus Altissimus omnia visibilia, & inuisibilia condidisset: quod etiam Scripturis, sicut verum est, Euangelicis, atque Apostolicis comprobabant. Confessi sunt etiam, quòd Sacerdos noster, bonus siue malus, justus vel injustus, & talis etiam, quem adulterum, vel aliàs criminosum indubitanter esse scirent, Corpus & Sanguinem Christi posset conficere: & per ministerium hujusmodi Sacerdotis, & virtutem diuinorum verborum, quæ à Domino prolata sunt, panis & vinum in Corpus, & Sanguinem Christi verè transubstantiantur. Asserunt quoque, quòd parvuli vel adulti, nostro Baptismate baptizati, salvantur; & nullus sine eodem Baptismo potest salvari: omninò inficiantes, se aliud Baptisma, aut manus impositionem, sicut eis imponebatur, habere. Affirmauerunt nihilominùs, quòd & vir & mulier matrimonio copulati, si aliud peccatum non impediat, licèt carnaliter alter alteri debitum reddat, propter bonum matrimonij excusati salvantur, & propter hoc nunquam damnantur. Archiepiscopos prætereà, & Episcopos, Presbyteros, Monachos, Canonicos, & Eremitas, Templarios, & Hospitalarios affirmauerunt esse salvandos. Dignum quoque, & justum esse dicebant, vt Ecclesias in honore Dei atque Sanctorum fundatas, cum summa deuotione visitantes adirent, & Sacerdotibus, & alijs earum Ministris, honorem & reuerentiam exhibentes, primitias, & decimas eis deberent solvere, & de omnibus Parochialibus deuotè, & fideliter respondere. Eleemosynas etiam, tam Ecclesijs, quàm pauperibus, necnon & omni petenti esse tribuendas, inter cætera laudabiliter asserebãt. Hęc omnia licèt priùs dicerentur negasse, juxta nostrum sanum intellectum se intelligere, asserebant.

Postquàm autem ita à nobis examinati fuerunt, & ea, quæ diximus, spontanea voluntate confessi sunt, Ecclesiam Beati Iacobi intrauimus, vbi nobiscum innumera populi multitudo, quæ se quasi ad spectandum præparabat, conuenit: & confessionem fidei eorum, quæ in prædicta chartula conscripta fuerant, vulgari sermone audiuit. Porrò, cùm à nobis, & omni populo, qui ibidem conuenerat, in omni patientia, & sine tumultu aliquo fuissent auditi, & ipsi sponte finem dicendi fecissent; quia expositio suæ fidei satis laudabilis, & Catholica videbatur; iterum ab eis, audiente vniuerso populo, quæsiuimus, si corde crederent, quod ore fuerant confessi: & si aliquando in contrarium, sicut eis sæpiùs impositum fuerat, prædicassent. Illis verò respondentibus, se ita credere; & nihilominùs negantibus, se vnquam aliter prædicasse; nobilis vir Comes Tolosanus, & multi alij Clerici, & laïci, qui eos audierant aliter prædicantes, vehementi admiratione commoti, & Christianæ Fidei zelo succensi surrexerunt, & eos planè in caput suum mentitos fuisse, manifestiùs conuicerunt. Quidam enim constanter proposuerunt, se à quibusdam illorum audisse, quòd duo Dij existerent, alter bonus, & alter malus: bonus, qui inuisibilia tantùm, & ea, quæ mutari, aut corrumpi non possunt, fecisset; malus, qui cœlum, terram, hominem, & alia visibilia condidisset. Alij affirmauerunt, se in illorum prædicatione audisse, Corpus Christi non confici per ministerium Sacerdotis indigni, aut aliquibus criminibus irretiti. Multi similiter testati sunt, eos prorsus negantes audisse, virum cum vxore saluari, si alter alteri debitũ reddat. Alij in faciem illis firmiter opponebant, quòd ab ipsis audissent, Baptismum parvulis non prodesse: & alias quamplures contra Deum, & Sanctam Ecclesiam, & Catholicam Fidem blasphemias protulisse; quas pro abominabili earum enormitate tacere maluimus, quàm referre.

Quidquid autem illi in sua superiori confessione, quæ satis videbatur sufficere ad salutem, si ita corde crederent ad justitiam, & in

corde, & corde dixerint, sicut homines tortæ mentis, & intentionis obliquæ; tandem hæresim noluerunt relinquere, vbi crassum, & sopitum intellectum eorum alicujus authoritatis superficie videbatur juuare, occasione verbi illius, quod Dominus in Euangelio dixisse legitur: *Nolite omninò jurare: & sit sermo vester, est, est; non, non*: Dicêtes se non debere jurare; cùm ipse Dominus sæpè jurasse legatur, sicut scriptum est. *Iurauit Dominus*, &c. Et alibi: *Per memetipsum juraui, dicit Dominus*. & Apostolus: *Omnis controuersiæ finis est juramentum*. Et multa in hunc modum in diuinis Scripturis legentibus sese offerunt, & occurrunt, quibus propter illorum infirmitatem, quibus aliquid suademus, jurare permittimur. Cæterùm ipsi, tamquàm viri idiotæ, non intelligentes Scripturas, in laqueum, quem absconderant, ceciderunt. Quia cùm priùs juramentum, tamquàm rem execrabilem, & à Domino prohibitam, abhorrerent, in ipsa confessionis suæ charta jurasse conuicti sunt, cùm dixerint: In veritate, quæ Deus est, ita credimus, & dicimus, quòd hæc est fides nostra: nescientes, quòd veritatem, & verbum Dei in testimoniũ veræ assertionis adducere, proculdubio sit jurare, sicut de Apostolo legimus, cùm dixit: *Hoc enim vobis dicimus in verbo Dei*. Et alibi: *Testis est mihi Deus*: Et alia similia comprobant, quæ ab illis, qui diuinas Scripturas intelligũt, & legerunt, possunt faciliùs inueniri.


*Matth. 5. Iac. 5. Psal. 109. Genes. 22. Hebr. 6. 1. Thessa. 4. Rom. 1.*

Cùm autem à multis, & sufficientibus testibus fuissent conuicti, & adhuc multi se ad ferendum contra eos testimonium præpararent: quia Ecclesia consueuit redeuntibus misericordiæ gremium non negare, eos diligentiùs monuimus, vt omni hæretica prauitate deposita, ad Fidei vnitatem redirent: & quia à Domino Papa, & Venerabilibus Fratribus nostris Bituricensi, & Narbonensi Archiepiscopis, & à Tolosano Episcopo, & à nobis ipsis propter perversam prædicationem, & sectam excommunicati fuerant; ad nos juxta formam Ecclesiæ reconciliandi venirent. Quod cùm illi in arcum pravum conuersi, & mente perdita indurati facere recusarent; nos in conspectu totius populi, qui jugiter acclamabat, & in eos multa immanitate fremebat, eos iterum accensis candelis, vnà cum prædicto Pictaviensi Episcopo, & alijs Religiosis viris, qui nobis in omnibus astiterunt, excommunicatos annunciauimus, & ipsos cum suo authore Diabolo condemnauimus.

*De Hæresi Albigensium qui plura scire volet, legat Petri Vallium Cernaij Monachi historiam ea de re conscriptam; quam, Deo juuante, post aliquot menses edituri sumus.*



SERMONES



# SERMONES D. GARNERII CLARAEVALLIS

## QVONDAM ABBATIS POSTEA LINGONENSIS EPISCOPI.

### In Festa Domini et Sanctorvm.

*In Catalogo Abbatum Claravallensium de hoc Authore verba ista habentur. Nonus Claraeuallis Abbas Garnerius ex Abbate Albæ ripæ, abbatizauit hic nouem annis, postea factus est Episcopus Lingonensis. Quanti hunc fecerint orbis Principes, ex Epistola Richardi Angliæ Regis in Palæstina recuperanda terra sancta gratia agentis, quam Baronius, & ex eo Angelus noster anno 1191. refert, euidens erit. Hujus inscriptio est.* Richardus Dei gratia Rex Angliæ, Dux Northmanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ, viro Venerabili, & amico in Christo carissimo, Abbati de Claravalle, salutem, & continuæ felicitatis successum. *In ea Epistola hæc inter cætera honoris & reuerentiæ plena leguntur.* Vestræ sanctitatis genibus prouoluti, & profusis lachrymis preces affectuosas porrigimus; rogantes attentiùs, quatenus, sicut officio vestro congruit & honori, Principes & viros Nobiles per vniuersum Christianismum constitutos, aliumque populum Dei ad seruiendum Deo viuenti inducere, & ad hoc prouocare satagatis... Ideo sanctitati vestræ super negotio Christianitatis literas nostras tam maturè dirigimus, ne fortè torporis arguamur, & negligentiæ, si tantum & tam sanctum virum, *Garnerium, quem alloquitur, intelligit*, super instantibus Christianitatis negotijs aliquomodo prætermiserimus præmunire. Vos igitur, sicut nos, & alium populum Dei ad seruiendum Deo, ad restituendam hereditatem suam sibi, ante itineris acceptionem animastis; ita & nunc plurimus instat articulus, vt populum Dei ad hoc idem faciendum fortiùs excitetis. *Quanta reuerentia sunt verba ista*, vestræ sanctitatis genibus prouoluti? *Nonne videretur Rex Summum Pontificem alloqui, non monachum & Abbatem, nisi inscriptio epistolæ nos ab errore illo reuocaret? Certè Christianum populum & Principes ex officio commonere, Pontificis Romani est, quod tamen Garnerio nostro à Rege tribuitur. Verùm quem Claræuallis Abbatem sic venerabantur Reges & Principes, eundem postea Capitulum Ecclesiæ Lingonensis in suum Episcopum assumptum respersit infamia, & prodigentiæ macula notatum imparem ministerio proclamauit, eoque à Metropolitano deponendum. Liberalitatem ejus in pauperes inhonesto prodigalitatis nomine tegere conati sunt ejus inimici. Sed vir Sanctus suspectum fortè habens Lugdunensem Præsulem, ad quem delatus erat, Summum Pontificem Innocentium III. appellauit; qui cùm partibus diem præfixisset, non comparuit tamen Garnerius, ne aduersarios suos, vt credere par est, rubore perfunderet, suam innocentiã probando: sed in Palæstinam profectus est; vt bellum sacrum, ad quod alios hortatus fuerat, sua præsentia promoueret. Deus autem ei defensorem, licet absenti, suscitauit, Archidiaconum suæ Lingonensis Ecclesiæ, cujus operâ ille absolutus est, & suæ Diœcesi restitutus. Hujus Sermones elegantes exhibemus, quos nobis Bibliotheca Claræ-vallis & Vallis-Claræ suppeditarunt.*

---

## SERMO PRIMVS.

### *IN ADVENTV DOMINI.*

Prou. 8. DOMINVS *creauit me in initio viarum suarum.* Carissimi, filij Dei sumus; sed nondum apparuit quid erimus. Nam quando euacuabitur quod ex parte est, & aduenerit quod perfectum est, eruetur oculus scandalizans; & similes ei facti cognoscemus, sicut & cogniti sumus: quia vno eum amoris oculo intuebimur claritate solis septempliciter clariore; qui cœcutire non poterit, quia non offuscabit eum vel peccati macula, vel sordidæ voluptatis albugo. Nunc interim quamdiu nubes carnis & superuenientium fletus amaritudinum non solùm exteriores, sed interiores obnubilant oculos rationis, necesse est per speculum in ænigmate contemplari, facientes ei murenulas aureas vermiculatas argento; id est sapientiæ similitudines distinctas eloquio. Ad hoc enim Deus Pater sapientiam suam, id est vnigenitum filium suum creauit initium viarum suarum, & in opera sua à sæculo, vt errãtibus via esset, & dux euntium, festinantium cursus, ignorantium securitas, & quædam nescitarum & desideratarũ rerum magistra. Ergo in viarum initium à sæculo creata dicitur: cùm Dei filius creatus in sæculo, sed ante sæcula natus ex Deo per conspicabilem speciem subditus creaturæ habitum creationis assumpsit. Nam huius dispensationis mysterium & creationis sacramentum ab initio sæculi & viarum

Dei habitu variæ creationis apparuit, ad cognitionem scilicet Dei, & nostræ æternitatis profectum. In omnibus siquidem vel ab æternitate prolatis, vel ad æternitatem relatis, quęcumque gesta sunt, vel huius creationis dispensationem prætendunt, vel ipsa sunt ipsa creatio. Factum quippe creaturam eum, per quem facta est omnis creatura, iustum est habere testem omnem suæ creationis creaturam. Initio igitur viarum Dei, id est initio viarum, quibus ad Deum reditur, manifestauit Deus creationis, vel, vt expressiùs dicam, Incarnationis mysterium: & hoc à sæculo, id est ab initio sæculi: quia redeundi ad Deum nulla aptior via inuentu est, quàm creatoris creatio, id est Incarnatio Saluatoris. Vnde de hac creatione dicit Apostolus. *Cùm venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum in terris, factum ex muliere, factum sub lege.* Et expressiùs alibi. *Induite nouum hominem,* id est Christum, *qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* Hoc igitur pro salute massæ perditæ ab initio sæculi cœpit Deus mysteriũ aperire: sicut in voce deambulantis in paradiso, in Angelo qui locutus est ad Agar, in viro qui venit ad Abraham, in igne, qui Moysi in rubo apparuit. Non quod vox illa vel Angelus, vel homo, vel ignis Deus esset: sed ad hoc in creaturis apparebat, vt cùm eum in assumpta creatura humana apparuisse audires, non alium eum esse crederes, quàm eum, qui antè assumptum hominem, etiam in alijs creaturis hominibus apparuisset: & quantò viciniùs accedebat plenitudo temporis, tantò perfectior, & vt ita dicam, rotundior eminebat corona anni huius benignitatis. Et quoniam qui est, ipse idem idipsum est, nec demutatur per tempora, quia æternus est; nec falli potest, quia sapientia est; sed de futuris certus vt de præteritis, præteritum dixit pro futuro, quia futurum habet pro præterito. Vnde illud. *Foderunt manus meas & pedes meas.* Et alibi. Hic est *agnus, qui occisus est ab origine mundi.* Idem ergo creatus, qui occisus. Sicut ergo occisus, id est occidendus agnus prænuntiatus est ab origine mundi; sic creata, id est creanda prædicata est sapientia in initio viarum Dei. Et sicut mysterium occisionis agni præfiguratum fuit in morte Abel iusti, ita sacramentum creationis non solùm in ipso Abel, sed & in alijs Patriarchis & Prophetis, in quibus dolare bene complacuit, signatum est. Ab initio igitur viarum Dei, id est à sæculo & origine mundi curramus per tempora & quæ tunc ad nostræ salutis profectum & augmentum fidei fuerunt præsignata, tandem promissa in fine reddita mysteria requiramus. Descendit Adam de Eden in agrum Damascenum: egressus est Abel in agrum, vbi occidit eum frater suus: ingressus est Noë in arcam; descendit Abraham in Ægyptum, Isaac in agrum ad meditandum: Iacob in Mesopotamiâ ad filias Laban. Moyses ingressus est fiscellam scirpeam: Samson descendit in Thamnatha propter Dalilam: Dauid mutat faciem suam coram Achis; Elias in Sarephta descendit ad viduam: Elisæus intrat cœnaculum Sunamitis: Tobias descendit in Rages ciuitatem Mœdorum: Ezechiel in agrũ plenum ossibus mortuorum: induitur Ioseph talari tunica: Salomonem induit diademate mater sua: Ionas absconditur sub hedera: venit Amos sicomoros vellicare: missus est Ieremias ædificare & plantare: armatur miles ad singulare certamen: aperit cœlestis magister librum signatum signaculis septem: reportare, venit pastor bonus ouem perditam super humeros ad gregem: abscondere venit cœlestis agricola frumenti granum in terra: securim ad radicem arboris apponit sapiens architectus: ferrum obstinationis humanæ in camino miræ dilectionis venit emollire fabri filius: angulari lapide quem reprobauerunt ædificantes vtrumque coniunxit parietem ædificator nouus: vestem nuptialem nobis texuit textor mirabilis, quàm inter duo ligna compleuit: tunicam pelliceam cœlestis & nouus Adam nouam consuit & cœlestem: calceamentum, cuius corrigiam soluere indignus fuit Ioannes, venit calceata maiestas in Idumæam extendere. Suscipiunt ostiarij clauem, quæ aperit & nemo claudit; claudit, & nemo aperit: venit domum Dei nouus Exorcista scopis mundare, & super energumenos imperare: recipiunt lectores Eccesię librum vitæ: cereum nouum Acolithi; vas mundum, & ad nostrum sacrificium præparatum sub diaconi; tabernaculum ad portandũ, & ad prædicationis officium, verbum Dei Diaconi; Sacerdotes de manu summi Pontificis holocaustum. Gaudeant igitur homines, quia Deus homo factus est. Gaudeant virgines, quia virgo Deum peperit. Gaudeant viduæ; quia Anna vidua cognouit. Gaudeant senes: quia Simeon suscepit. Gaudeant pueri; quia puer natus est nobis, & Verbum infans factum habitauit in nobis. Gaudeant nobiles Ecclesiæ: quia nobilis in portis vir eius, sedens cum senatoribus terræ. Gaudeant serui: quia Dei filius cùm in forma Dei esset, serui formam suscipiens semetipsum exinaniuit. Gaudeant peccatores: quia ille qui peccatum non nouerat, nec inuentus est dolus in ore ejus pro peccatoribus factus est hostia pro peccato, vt omnium peccata deleret. Gaudeant iusti: quia iustus Dominus, & iustitias diligens in virtute mortis suæ iudicium bonum iudicans iustè iudicando redemit. Gaudeant viui: quia vita cœlesti viuet, & non morientur. Gaudeant mortui: quia mori pro mortuis venit vita immortalis. Gaudeat omnis creatura: quia creator omnium, vt omnia esset in omnibus, creatura factus est. Videtis, quomodo sapientia Dei ludit in rerum dignitatibus, in ætatibus, in officijs, in exercitijs, in omni conditione & professione. Sic totum mundùm sibi obligat debitorem: sic omnes prouocat ad laudem, ad gratiarum actionem, ad deuotionem. Et quamuis ad fidei robur, quæ in rationabilibus sacramenta sunt, sufficere debuissent: tamen vt fidei forma & religio, in libertatis suæ * possessione subsistat, inter irrationabilia quæramus huius pietatis arcana; incipientes à quatuor elementis, & inuestigantes creationem sapientiæ Dei, id est Incarnationem Filij ab initio viarum Dei. Primò enim fecit Deus quatuor elementa, terram, aquam, aëra, ignem; vt cùm in istis inuenerimus sacramentum, etiam circa eorum ornatum hæc eadem contemplemur. Dicit ergo Psalmista. *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Hæc est corona anni benignitatis: quòd terra nostra,

Marginalia: Galat. 4. — Coloss. 3. — Cur scriptura præteritũ ponat pro futura. — Psalm. 21. — Apocal. 13. — Figura Incarnationis Christi. — * Alias professione. — Psal 84.

nostra, id est nostri generis, & humanæ terra naturæ, dedit & protulit granum frumenti, de quo legitur in Euangelio. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Super quo Augustinus. *Se autem dicebat. Ipse erat granum.* Hoc ergo granum absconditum in terra, id est in terreno Virginis vtero, terra dedit, id est protulit ipsa Virgo. Hinc est, quòd cùm Iudæi mulierem in adulterio deprehensam adduxissent, legis ei duritiam proponentes dicebant, quòd Moyses huiusmodi lapidari præcepit. Iesus autem digito scribebat in terra. Quid est scribere, nisi verbũ intrinsecum & inuisibile visibile fieri per scripturam? Inuisibile erat verbum vitæ; sed visibile factum est per characterẽ formæ seruilis. Scripsit autem digito, id est Spiritu sancto, demonstrans, quia cooperante Spiritu sancto impletum est huiusmodi sacramentum. Spiritus enim sanctus terram, id est Virginem obumbrauit; & per assumptionem seruilis characteris verbum vitæ visibile fecit. O quàm digna peccatricis liberatio, quàm indigna inimicorum confusio! Aliter enim mulier liberari non posset. Quid tamen scripsit? *Terra, terra, terra, judica hos viros abdicatos.* In forma Dei æqualis erat Patri; sed formam serui accipiens, factus est ei obediens. Vnde exaltauit eum, id est, hominem assumptum; vt in nomine ejus omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Cœlestium, inquit, id est eorum, qui sunt in terra viuentium: terrestrium, id est eorum qui sunt in terra lugentium: infernorum, id est eorum qui sunt in terra morientium. Ergo *terra, terra, terra, judica hos viros abdicatos*: quia cùm terra viuentium, lugentium, morientium, id est, cœlestium, terrestrium & infernorum, genu flectat, & adoret scabellum pedum ejus, id est Incarnationem ejus; ipsi soli, qui magis tenebantur credere, scandalizati sunt. Huic etiam alludit sacramento, quòd Dominus luto liniuit oculos cæci nati. Nam sicut sputum & puluis vnũ lutum; sic Deus & homo vnus Christus. Ex hac igitur commixtione illuminatus cæcus natus; quia saliua capitis, id est sapientia Patris nostro mixta pulveri, id est nostræ vnita humanitati, genus humanum originali peccato cæcatum fide illuminauit, baptismo lauit, confessione mundauit. Sequitur de secundo elemento, id est de aqua. Dicit ergo Psalmista. *Descendet sicut pluuia in vellus.* Quæ sit autem hæc pluuia, aperit liber sapientiæ, vbi ait. *Aqua sapientiæ salutaris potabit eum.* Ergo aqua sapientiæ Patris est Filius; quia & ipse est sapientia Patris. Vnde orat Isaïas. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum.* Descendit ergo hæc pluuia in vellus ouis. Cujus ouis? Matris agni, & illius inquam agni, de quo ait Isaïas. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ.* Et Ioannes. *Ecce agnus Dei.* Ad hoc etiam sacramentum accedit, quòd cùm steriles essent aquæ Iericho, sal apposuit Elisæus. Sed quoniam scriptũ est, *Aqua multæ populi multi*, per aquas Iericho designatur defectus humani: sed cùm humanis defectibus sal sapientiæ salutaris miscuit Elisæus, id est Christus, ex voluntate Dei Patris Dei Filius tanquam sapientia salutaris suscepit, quos debuit, humanos defectus: sanata est aquarum sterilitas, id est inutilitas populorum.

Ioan. 12. Augustin. Tract. 51. in Ioan. Ioann. 8. Philip. 2. Ioan. 9. Psal. 71. Eccli. 14. Isai. 45. & 16. Ioan. 1. 4. Reg. 2. Apocal. 17.

Huic etiam sacramento accedit illud, quòd cùm antiqui Patres tutassent ignem in puteo, nepotes eorum eruderantes puteum, & ignem quærentes, inuenerunt aquam crassam. Qui fuerunt Patres isti? Patriarchæ & Prophetæ antiqui. Isti absconderunt ignem, id est lumen fidei, in puteo, id est in obscura Scripturarum profunditate. Quem ignem, id est, quod fidei lumen, nepotes eorum, id est Apostoli, quærentes, inuenerunt aquam crassam, id est, in puteo Scripturarum Christum in figuris absconditum inuenerunt. Qui aqua propter susceptos defectus, & crassa propter charitatis pinguedinem, qua sola defectus illos suscepit, vocatur. Ex qua aqua tantus ignis accensus est, vt illa solemnitas festum luminum vocaretur: Aduentus siquidem Christi ita totum mundũ fide illuminauit, quòd ejus festiuitas festum luminum jure debeat nuncupari. Vnde ipse ait. *Ego sum lux mundi.* Item. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Sequitur de tertio elemento, id est de aëre. Legitur ergo, quòd post peccatum Adæ deambulabat Dominus ad auram post meridiem, id est frigescente charitate & luce declinante appropinquantibus tenebris, Dei deambulantis vocem audierunt Adam & Heua; quod non nisi per creaturam factum est; quia substantia inuisibilis & vbique tota, quæ est Patris & Filij & Spiritussancti, corporalibus sensibus locali & temporali motu apparuisse credenda non est. Sed in illa quæ tunc audita est creatura, mysterium futuræ dispensationis ostendebat. Deambulabat enim non solùm præuidentia vel præscientia, sed prædestinatione & pia voluntate, cui nihil resistere potest: quia sicut ait Gregorius, aliquid velle, mente ire est. *Ad auram*, Quæ verò sit hæc aura, ad quam pia voluntate ambulabat, ostendit Elias: qui cùm de ostio tabernaculi sui vidisset spiritum subvertentem montes, & conterentem petras, & post spiritũ commotionem, & post commotionem ignem, nec in his Dominus apparuisset; tandem sibilus auræ tenuis apparuit, & ibi Dominũ agnouit. Et bene, quia nihil expressius de Deo dici potuit. Sibilus enim dicitur, vt mitis, vt suauis, & multæ misericordiæ comprobetur. Et quoniam misericordia ejus super omnia opera ejus, vt mulcebris ejus suauitas annotetur, primò ponitur sibilus, quo misericorditer inspirat ab bene agendum. Vnde in Isaïa, *Sibilabit Dominus muscæ*, quia immundo inspirat peccatori, vt veniat ad eum. Vnde & sibili diuinæ sunt admonitiones, sicut in Iudicum, *vt audiat sibilos gregum*, id est, vt mente suscipiat admonitiones justorum. Aura verò dicitur, propter naturam ejus inuisibilem, & nullo pondere corruptionis grauatam. Tenuis verò, quia subtilis & incomprehensibilis, & insensibilis est natura. Primò siquidem viderat Spiritum subvertentem montes, & conterentem petras: sed hujus spiritus duritiam & rigorem tollit sibilus. Secundò vidit commotionem; sed hanc commotionem grauem & visibilem remouet aura. Tertiò vidit ignem, sed hunc consumptivum & sensibilem ignem tollit tenuitas. Deambulabat verò Deus ad auram, id est, ad sibilum auræ tenuis, vt misericordiæ suæ voluntatem ostenderet in subjecta creatura: quia qui jam damnandum vocabat; damnatum, per

2. Mach. 1. Ioan. 8. Isai. 9. Genes. 3. 3. Reg. 19. Christus per auram & sibilum significatus est. Isai. 7. Iudic. 5.

humanam creaturam assumptam, & subjectam in initio viarum suarum, reuocari disponebat. Vel ad hoc deambulabat ad auram, vt quia serpentis sibilus cupiditatis ardore vtriusque parentis cor inflammauerat, sibilo auræ tenuis post meridiem refrigesceret; vt eadem hora restitueretur homo, qua de paradiso ejectus est, id est, post meridiem, videlicet hora nona, qua spiritum tradidit, & ait. *Consummatum est.* Et hoc est, *deambulabat ad aurā*, id est disponebat, & quasi mente tractabat, euocare, & in refrigerium educere mentes sibilo serpentis accensas. Sequitur nunc de quarto elemento, id est de igne. Legitur. *Deus noster ignis consumens est.* Siue consumens, siue consummans dicatur, vtrumque verum est. Ignis enim consumens est, & decoquens ad purum scoriam nostram, & exsiccans fæces. Ignis etiam est consummans & consolidans virtutes. Hic igitur ignis Moysi in rubo apparuit: vidit enim quòd rubus & ardebat, & non comburebatur. Quid in hoc, nisi hujus nostræ salutis sacramentū accipitur? Ignis in rubo, Deus in carne figuratur; & hoc fuit primum liberationis Israëliticæ signum; quia initium viarum Dei, vt dictum est, fuit Incarnationis mysterium. Nunc inter ornatus elementorum hujus dispensationis arcana requiramus. Ornatur igitur terra, vel eis quæ sunt & viuunt & sentiunt; sicut sunt animalia, vermes, serpentes: vel illis, quæ sunt & viuūt, & non sentiunt; vt vites, arbores, & flores: vel illis, quæquidem sunt, sed nec viuunt, nec sentiunt; vt lapides. Quid igitur in agno, nisi Christus? *Ecce*, inquit Ioannes, *Agnus Dei.* Quid in vitulo saginato, qui pro filio prodigo occisus est, nisi Christus? Quid in leone, nisi Christus accipitur? Sed alia causa agnus, alia vitulus, alia leo nominatur. Agnus natiuitate, vitulus passione, leo resurrectione prędicatur. Vnde in Apocalypsi. *Vicit Leo de tribu Iuda.* Sic etiam tenerrimus ligni vermiculus dicitur. Vnde. *Ego autem sum vermis, & non homo.* Nam sicut vermis sine semine de terra vel ligno nascitur: ita Dei filius sine semine de terra virgine nasci dignatus est. Propter hoc etiam serpenti comparatur, quia mortali carne indutus est. Vnde in Euangelio. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis.* Nam serpens in vecte, Christus in cruce. Mordebantur homines à serpentibus in deserto, intuebantur serpentem in vecte, ita morsibus sanabantur. Nunc in rebus quæ sūt, viuunt, & non sentiunt, sacramenta quęramus. Dicit ergo Psalmista. *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Quod de Christo dictum esse, ipse Christus in alio Psalmo testatur, vbi ait. *In capite libri scriptum est de me.* Lignum ergo fuit plantatum in terra, hoc est in vtero Virginis absconditum: secus decursus aquarum, id est juxta mortalitatem populorum. Qui etiam viti se comparat, vbi ait. *Ego sum vitis vera.* Sed & flori. Vnde. *Ego flos campi, & lilium convallium.* Et iterum Isaias. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet.* Virga enim, id est Virgo nata de Iesse, Christum protulit tamquam florem. Vnde & in typum hujus mysterij virga Aaron repente floruit: nam de vtroq; genere, Sacerdotali & Regali, dignatus est nasci. Propter hoc & in vtroque genere mysterium declaratur. Ipse flos est, cujus odore mortui reuiuiscunt. Vnde Apostolus. *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.* Propter quod & Nazaræus, id est floridus vocatus est. Hinc est, quòd ait sponsa. *Dilectus meus candidus & rubicundus*: quia floribus eius nec rosa passionis, nec lilium defuit virginitatis. Sequitur de ijs quæ sunt, sed nec viuunt, nec sentiunt. Dicit ergo Apostolus. *Petra autem erat Christus*: & bene ipse est petra, quæ percussa eduxit aquā. Nam percussus in latere, lauacrum regenerationis, quod fit per aquæ mysterium, nobis emisit. Lapis est Circumcisionis: quia nisi sit in Christo vitiorum circumcisio, præputium facta est. Lapis est ad percutiendum & conjungendum: ad percutiendum statuam, ad conjungendum vtrumque parietem. Lapis est præcisus de monte sine manibus: quia sine operibus hominum de altitudine vteri virginalis, & de substantia carnis suæ natus est. Hic est lapis, de quo legitur in Zacharia. *Et in lapide vno septem oculi sunt*: quia in solo Christo plenitudo fuit gratiarum, vt scriptū est: *Apprehendent septem mulieres virum vnum.* Et creuit in montem magnum, de quo Isaïas. *Venite ascendamus in montem Domini.* De quo & Psalmista. *Mons coagulatus, mons pinguis; vt quid suspicamini montes incaseatos?* Ipse enim est mōs incaseatus, id est incarnatus. Vnde in Iob. *Et sicut caseum me coagulasti.* Nunc de secundi elementi ornatu quæ consideranda sint, videamus. Legitur ergo, quòd cùm Tobias pedes suos lauaret in Tigride, piscis magnus egrediebatur, vt deuoraret eum, & timens clamauit dicens. *Domine inuadit me. Et ait Angelus. Apprehende branchiam ejus, & exentera eum: & cor ejus & fel & jecur repone tibi. Valent enim ad medicinam. Et ait Tobias. Azaria frater, quod remedium habent, quæ de pisce jussisti reseruari? Qui respondit. Particula cordis super prunas posita, fumo suo extricat omne genus dæmoniorum.* Super hunc locum dicit Beda, quòd cùm Christus in * cruce lauaret pedes suos, qui ambulabant super terram, aduenit diabolus quęrens, siquid peccati esset in eo, per piscem diabolum signans. Sed quomodo cunctis partibus hæc significata conueniant, non video. Nam si cor eius extricat omne genus dæmoniorum, cujus etiam fumus eijcit Asmodæum, videtur infirma sententia Saluatoris: si Satanas Satanā eijcit, diuisum est regnū eius. Ideo sine præjudicio sententiæ melioris, mihi aliter exponendū videtur. Tobias, qui bonus Domini interpretatur, virum bonum in Domino repręsentat. Qui lauat pedes, id est mundat affectus, quia viro bono non sufficit actus mundare, nisi etiam interiores mundet affectus. Qualiter autem mundandi sint, ostendit, cùm ait, *In Tigride*, Sicut enim aqua exteriores sordes lauat, ita confessio interiores. Ergo confessio aquæ comparatur; nec cuilibet, sed Tigridi, qui pro velocitate sua Tigris vocatur: velox enim debet esse confessio post peccatum. Tunc inuadit eum piscis magnus, vt deuoret. Piscis, qui inter procellas hujus maris magni & spatiosi natauit pacificus, vt scriptum est, *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus*: quippe qui & squamis patientiæ tumentes fluctus cōfringebat in passione, & quasi pennulis spe resurrectionis se sublevabat. Hinc est, quòd partem

*Ioan. 19.* *Deut. 4.* *Exod. 3.* *Ioan. 1.* *Christus per agnum, leonē, &c. significatus est.* *Apocal. 5.* *Psalm. 21.* *Ioann. 3.* *Psalm 1.* *Psalm. 39.* *Ioan. 15.* *Cantic. 2.* *Isai. 11.* *2. Cor. 2.* *Cant. 5.* *1. Cor. 10.* *Zachar. 3.* *Isai. 4. & 2.* *Psal. 67.* *Tob. 6.* * *fortè carne.* *Psal. 119.*

piscis assi post resurrectionem discipuli comederunt. Duæ siquidem sunt in Christo naturæ, divinitas & humanitas: vna impassibilis, altera passibilis. Natura igitur passibilis dicitur assa, quia passa: & ponitur pars pro natura, quia nullius rei debet Deus pars dici, nisi fortè causatiuè dicatur, vt ibi. *Portio mea Domine.* Et Ieremias. *Pars mea Domine, dixit anima mea.* Totus enim Deus, totus homo: sed non totũ: quia non totum Deus, nec totum homo; nec in parte Deus, vel in parte homo; quia alia natura Deus, alia homo. Hanc partem, id est carnem passam, comestibilem dedit discipulis dicens. *Accipite & manducate ex hoc omnes; hoc est corpus meum.* Sed vbi bonus, nullum ad hęc sciens idoneum, timet timore filiali, id est veretur dicens, *Domine inuadit me;* quis ego sum, vt inuadat me, id est vadat in me, & me deuoret, id est, cum auiditate me sibi incorporet? Tale quid habes in esu agni Paschalis. *Caput,* ait Scriptura, *cum intestinis vorabitis*, id est, cum auiditate vobis incorporabitis. Ostendit autem Angelus, quòd partim meritum, partim gratia facit idoneum. Meritum, cùm ait. *Apprehende branchiam ejus.* Apprehende manibus, id est operibus, branchiam eius, id est verba eius: id est operibus comple mandata. Ecce meritum. Et ne diffidas, quasi grauia sint & importabilia; scias quòd in solo charitatis affectu consistunt. Exentera piscem, & considera viscera misericordiæ, in quibus visitauit nos, & repone tibi, id est ad vtilitatem tuam repositum habe in mente tua, cor, id est affectum dilectionis, qua tradidit semetipsum pro nobis: & fel, id est amaritudinem passionis, scilicet quomodo colaphis cæsus, verbis derisus, sputis oblitus, crucifixus, lanceatus: & iecur, id est effusionem sanguinis, (nam in iecore fons sanguinis est,) id est quomodo vel in circumcisione, vel in sudore, vel in flagellatione, vel in crucifixione, vel in lanceatione, pro te sanguinem fudit: quia si hæc omnia super prunas ardentes posueris, id est super affectus cordis deuotione feruentes posueris; fumus id est fama & odor memoriæ, omne genus dæmoniorum expellit. Sequitur de ornatu tertij elementi, hoc est de aëre. Ornatus est aër auibus. Dicit autem Iob. *Semitam ignorauit auis, nec intuitus est eam oculus vulturis.* In quo verbo populum Iudaïcum redarguit, qui Dominum ad cœlos ascendisse credere noluit, nec ejus præcepta per obedientiam approbauit. Et bene Christus vulturi comparatur: quia sicut Ambrosius ait, sine maris coitu mater vulturis imprægnatur, & sine seminis infusione concipitur vultur & nascitur. O gens incredula, frons attrita; dare Deus potuit auibus, quod sibi non potuit? Nam qui naturam fecit, & ipsis vulturibus ipsam dedit, quid mirum, si sibi eam reseruauit? Nasci potest vultur de fæmina sine mare, & Christus nasci non potuit de Virgine sine Patre? Et quoniam circa naturam auium multa & euidens est comparatio sacramentorum, dare volumus occasionem sapientibus breuiter transeundo, vt in libris colligãt auium naturas, & ex naturis eliciant abscondita sacramenta. Vt ergo dictum est, Christus fuit vultur nascendo, compatiẽdo pellicanus, obedientia pophinellus, Alcio quando mirabiles elationes maris, & tumente fluctus ejus confregit; scilicet cùm imperaret ventis & mari. Pasciscendo turtur, pascendo columba, gallina paccando, dilectione pelargus, id est ciconia, ardea prædicatione, passione nycticorax; passer solitarius, cùm in passione relictus, torcular calcauit solus, resurrectione phœnix, aquila in ascensione. Sequitur de ornatu ignis. Quia natura ignis semper ad superiora tendit, necesse est ignea esse lumine vel calore, quibus ornata sunt superiora, id est, ea quæ sunt in firmamento, scilicet sol & luna, & stellę. In istis ergo Christus multipliciter figuratur. In sole, quia scriptum est. *Vobis autem timentibus Deũ orietur sol justitia.* De quo etiam dicitur ad Mariam. *Felix namque es sacra virgo Maria, & omni laude dignissima: quia ex te ortus est Sol justitiæ Christus Deus noster.* Et bene sol vocatur, qui illuminat, exsiccat, consolidat. Fide illuminat, sordes exsiccat, virtutes consolidat. Vel quoniam luxit in tenebris, sicut scriptum est. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Bene luna, id est luminum vna, id est prima, hæc Dei sapientia nominatur. Vnde scriptum est. *Quoniam peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscura luna rectos corde.* Nam quod nostra translatio habet, *in obscuro*, altera dicit, *In obscura luna.* Sagittant ergo peccatores rectos corde, causam nocendi habentes ex obscura luna, id est ex sapientia & luce diuina sub nube carnis abscondita. De pharetra quippe cordis sui hujusmòdi sagittas emittunt, vt sagittent rectos corde. Quomodo potest fieri impassibilis passibilis, immortalis mortalis, creator creatura? Hoc enim dicunt in obscura luna: ignorantes, quòd Dominus in templo Sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus: oculi ejus hoc modo in pauperem respiciunt: sed ipsi citra humanæ naturæ mensuram diuinæ potestatis infinitatem coarctantes, non intelligunt, quòd infinitæ æternitatis operatio infinitam exigat metiendi opinionem; vt cùm Deus homo, & immortalis mortuus, & æternus sepultus est, non sit intelligentiæ ratio, sed pietatis exceptio. Ita rursum è contrario, non sensus, sed virtutis sit modus, vt Deus ex homine, vt immortalis ex mortuo, vt æternus sit ex sepulto. Vel stellæ comparatur Christus, vt ait Balaam. *Orietur stella ex Iacob, & consurget homo ex Israël:* ille inquã homo, de quo alibi. *Nunquid Sion dicet, homo & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus:* Et alibi. *Homo est, & quis cognouit eum?* Hinc Dominus per Ioannem ait. *Qui vicerit, dabo ei stellam matutinam*, id est Christum. Confiteantur ergo tibi Domine omnia opera tua, qui solus hæc mirabilia fecisti in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis: ita vt inexcusabilis sit omnis infidelis, fidelis autem digna certus retributione; quando venies judicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Psalm. 118. Thren. 3. Matt. 26. Exod. 12. Tob. 6. Iob. 28. Ambros. Hexaëm. lib. 5. c. 20. Mala. 4. Isai. 9. Psalm. 10. Num. 24. Psal. 86. Apocal. 2.



SERMO II. *In Aduentu Domini.*

Ioann. 6. COlligite *quæ superauerunt fragmenta, ne pereant.* Multæ siquidem micæ cadunt de mensa dominorum nostrorum; quas nos vtinam tamquam catuli colligere mereamur. Hoc autem dixerim, fratres, quoniam si de corporali cibo collecta sunt fragmenta, multò meliùs de spirituali colligenda videntur. Meminisse quippe debet charitas vestra, qualiter in præcedenti sermone per qualescumque similitudines quantulamcumque prędicauerim notitiam Salvatoris. Sed vnde hoc mihi; vel quis ego; aut quid ego? Quomodo natura inferior causam naturæ superioris intelliget: aut subjacebit humanæ conditioni ratio cœlestis? Excedit enim humanam mentem Dei potestas; ad quã si se infirmitas protendet, magis infirma reddetur: quoniam intra conscientiam infirmitatis est, quidquid infirmi conscientiæ subdi potest. Moyses siquidem, qui merito sanctitatis loquebatur Deo, sicut solet loqui amicus ad amicum suum, videre faciem Dei non meruit: sed cùm multum rogaret, audiuit à Dominо. *Non poteris faciem mean videre, & viuere. Non enim videbit homo faciem meam, & viuet. Sed est locus penes me, & stabis supra petram, statim vt transiet mea majestas: & ponam te in specula & tegam manu mea super te, donec transeam; & tunc videbis posteriora mea, nam facies mea non apparebit tibi* Per faciem, illa Dei forma, in qua non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo Patri, quam nemo videre potest & viuere, figuratur. Per posteriora verò humanitas eius accipitur: quæ vel propter extremitatem mortalitatis postera dicta est, vel quòd eam propè in fine sæculi assumpsit. Illam ergo faciem, quæ rapit animam desiderio sui, tantò ardentiorem, quantò mundiorem; & tantò mundiorem, quantò ad spiritualia resurgentē: tantò verò ad spiritualia resurgentem, quantò à carnalibus morientem; quamdiu peregrinamur à Domino, & per fidem ambulamus, non per speciem, nemo videre potest. Sed posteriora ejus, id est Incarnationem, quoquomodo videre, id est, intelligere possunt, qui in solido fidei fundamento sunt, quod petra significat. Et quoniam nostræ fidei meritum in resurrectione corporis ejus est, sicut Apostolus ait.

Exod. 33.

*Quid sit facies Dei, quid posteriora ejus.*

Rom. 10. *Si credideris*, inquit, *quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Nam mortuam ejus carnem in cruce, ipsi etiam inimici credunt; sed eum resurrexisse non credunt. Nos firmissimè credentes, tamquam de petræ soliditate certificemur. Vnde non vult, nisi cùm transierit, videri posteriora ejus, vt in ejus resurrectione credatur. Vnde Ioannes. *Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia venit ejus hora, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem*, &c. Sed quid est, quod ait, *Est locus penes me, & stabis super petram?* Nam quis locus est penes Deum, qui attingit à fine vsque ad finem fortiter? Sed intelligitur locus penes eum ipsa Catholica Ecclesia; vbi salubriter videt Pascha Domini, id est transitum Domini; & posteriora ejus, id est corpus ejus, qui credit in resurrectione ejus. Faciem ergo Dei, id est majestatem diuinitatis, videre, id est intelligere in hac vita, vbi corpus mortuum propter peccatum corrumpitur, & aggrauat animam, nemo potest. Sed posteriora

Ioann. 13.

Exod. 33.

*Ecclesia Catholica est locus penes Deum.*

videri inter torcularia pressurarum quomodo possunt? Quia Incarnationem ejus illi maximè, qui intra Ecclesiam Dei stant, in solido fidei intelligunt. Hinc etiam est, quòd vir ille secundum cor Dei, Rex & Propheta Dauid, cùm supernę beatitudinis gaudium cogitationibus explorare vellet, nec posset, ad illud filijs Chore, id est Ecclesiæ, Psalmum *pro torcularibus* posuit, vt pressuras suas vel per patientiam tolerare, vel per fortitudinem contemnere, vel per dilectionem euitare scirent, ita dicens. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutũ: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Videtis, quàm citò explorator iste redit in Iericho: Iericho quippe quæ luna interpretatur, defectum significat. Dicit autem. *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Non potest ad thalamum, non ad palatium peruenire, qui se confitetur in atria defecisse. Et quid mirum? Quis enim, non dico diuini secreti thalamum, sed supernæ beatitudinis commune promissum apprehendere potest? *Oculus*, ait Scriptura, *Deus, non vidit absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Et iterum. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum.* Quidquid ergo jucunditatis, quidquid beatitudinis mentibus humanis potest subjacere; totum pertinet ad atria Domini: sed vltra est, quod est palatij. Incomparabiliter autem vltra, quod dicitur secretum thalami, de quo scriptum est. *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo*, id est de diuinitatis suæ secreto. Non ergo peruenit ad thalamum, qui defecit in atrium: tamen ita deficiendo profecit; quia sic deficere proficere est. Nam quantò circa cogitationes hujusmodi quisquam se proficere credit, tantò deficit: & quantò deficere, tantò proficit. Elias qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animam illius, quando vel in spiritu vehementi, vel in commotione, vel in igne Dominum intelligere posse crederet, imperfectum suum statim cognouit; dicens, quòd nec in spiritu, nec in commotione, nec in igne Dominus apparuit. Sed quando cogitatio sua quasi sibilus auræ tenuis euanuit & defecit, tunc in ea Dominũ esse recognouit. Profecit igitur, cùm deficeret; qui defectum suum intellexit, cùm proficere se crederet. Sic igitur tantos terræ promissionis exploratores Raab meretrix abscondit sub stipula lini, nec liberationis exitus patet eis, nisi per funem coccineum in fenestra. Quis ergo, cujus naues euntes in Tharsis, nihil aliud reuehunt, nisi simias & pauos? Ebur quippe rarò, rariùs argentum, aurum rarissimè. Ideo rarissimè dico, quoniam si ad considerandum, vtrum aquæ diluuij sint imminutæ, de arca cordis columbam emitto, multum est, si posteriora ejus sint in pallore auri. Et quid est Raab meretrix, nisi caro peccati; & quid est stipula lini, nisi terrenæ inhabitationis corruptio? Quid est ergo, quòd Raab meretrix abscondit exploratores sub stipula lini, nisi quod alibi scriptum est, corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem? Plerúmque enim, cùm ipsi sancti viri cœleste gaudium volunt cogitationibus explorare, propter carnalium molestias pressurarum, non possunt perficere quantum volunt: sufficit

Psalm. 83.

Isai. 64.
1. Cor. 2.

*Atria Dei, palatium, & thalamus diuersa sunt.*
Psalm. 18.

3. Reg. 19.

Iosue 2.

3. Reg. 10.

Sap. 9.

tandem in signum liberationis & libertatis coccinum in fenestra, id est intelligentia passionis in memoria. Christi enim passio nostrę libertatis & liberationis est occasio. Scriptũ est enim. *Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.* Libertatem ergo contemplari per coccinum in fenestra, id est, de Dei filio cogitare passibilia & humana, deficere est in atria. Hoc autem aurum, argentum, & ebur, quę Sanctorum naues reuehunt, euntes in Tharsis. Naues enim sunt cogitationes; quæ tunc mittuntur in Tharsis, cùm circa gaudij explorationem intendunt. Tharsis quippe exploratio gaudij interpretatur. Et cùm nihil reuehunt cogitationes, nisi cœlestem fulgorem tamquam aurum, vel quod capit sermo diuinus tamquam argentum, vel quod habet fidei robur tamquam ebur: aurum argentum, ebur, reuehunt de Tharsis naues: sed vix contingere solet, vt absque simijs & pauis ista deferantur. Nam sæpius simiæ vel paui sine illis, quàm illa sine simijs & pauis solent deferri. Quę est Tharsensis simia? Gaudium fallax & falsum, sicut eorum, de quibus scriptum est. *Qui lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Quia verò pauorum pulchritudo vel vtilitas tota est in plumis, pauõ de Tarsis non immeritò vanum gaudium figuratur; sicut eorum gaudium, de quibus scriptum est. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Ista tamen ipsi plerúmque sancti cogitant, vt fortiùs ea contemnant, vt deuotiùs præceptis diuinis inhereant; vt magis ac magis quæ cœlestia sunt appetant: quia quantò vel vanitates vel deceptiones temporalium cogitant gaudiorum, tantò & deuotiùs ea diligunt, & fortiùs ista contemnunt. Numquam enim sine auro, argento, vel ebore, simias & pauos naues Salomonis legimus detulisse. Sed væ mihi, cujus naues nihil aliud quàm pauos aut simias portare nouerunt. Nam si columbam, id est, spiritualem cogitationem de arca cordis emitto, in signum diminutionis aquarum, quæ sæpius intrant ad animam meam, multũ arbitror, si posteriora dorsi ejus sint in pallore auri. Quę sunt posteriora columbarum? Spiritualium reliquiæ cogitationum. Cùm igitur reliquiæ cogitationum diem festum agere volunt Deo, constituunt diem illi solemnem in condensis: quia posteriora dorsi columbæ sunt in pallore auri. Vix enim de Deo aliqua anagogicè cogitantur; sed penè penitus cum ænigmaticis phantasiarum condensis. Fateor, nauis mea nihil de Tharsis, præter vanas & deceptorias phantasias, quas cum multa reuehit densitate, nouit reportare. Propterea videns Rachel Liam fœcundam fuisse, & Zelpham super genua dominæ suæ peperisse, multam indignationis materiam visa est concepisse. Primò quia pro mandragoris Ruben destituta est ab amplexibus viri. Secundò, quia detecta sunt idola, quæ absconderat sub stramento cameli. Tertiò quòd saltem Balam famulam suã nondum Iacob receperat amplexu virili. Lia quippe quæ lippa erat, & laboriosa dicitur, actiuam vitam; Rachel verò, quæ venusto erat aspectu, & ouis interpretatur, contemplatiuæ vitæ simplicitatem repræsentat: quas vitas in scientiam & sapientiam diuidit Augustinus. Vnde Iob. *Ecce pietas sapientia; abstinere à malo scientia est.* In hac differentia, ait Augustinus, *intelligendum est, ad contemplationem sapientiam, ad actionem scientiam pertinere.* Est autẽ sapiẽtia duplex: quia vel ea quæ dicitur à sapore * sapientia nominatur. Primæ meditatio, secundæ parti deseruit contemplatio. Nam actiuæ vitæ, id est Liæ, solet cogitatio deseruire. Sunt igitur tria, cogitatio, meditatio, contemplatio: quæ licet indifferenter aliquando ponantur, multis tamen differre noscuntur. Est quippe cogitantis animus similis viatori, qui ad locum ire festinat destinatum, sed inter erroris deuia quærit quam ignorat rectitudinem semitarũ. Meditationis autem officium est, vt viator post multa deuia & erroris pericula, viam illam ingrediatur, quæ ducit Bethsames, quam tectam candore notabili intelligit esse galaxiam. Vnde currens in directum, non declinat ad dexteram vel sinistram, donec inueniat & veniat ad locũ destinatum. Contemplatus verò iam loco proximus, affectato stupet animo, totus extra se factus: supra se positus aures erigit, vt audiat symphoniam & chorum: oculos aperit, vt miretur locum vtilem & amœnum. Stupet ad Sapientiam Regis, ad doctrinam legis, ad habitationis situm, & habitantium ritum. Clamat ore, clamat corde. *Vsquequo Domine, obliuisceris me in finem? Trahe me post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Quia igitur cogitatio errantium more laborat, & lippa quasi per noctes quærit quem desiderat, actiuę vitæ dicitur deseruire. Sed quid dicit sponsa? *Per noctes quæsiui, quem diligit anima mea; quæsiui, & non inueni.* Et bene cogitatione non inuenitur, ad quem nec contemplatione peruenitur. Per noctes inueniri non potest, qui nulla similitudine cõprehendi potest. Guttæ quippe sunt noctium phantasiæ similitudinum. Hæ sunt mandragorę Ruben. Mandragoræ quippe similitudinem quidem habent humani corporis, sed non veritatem. Quæ bene dicuntur esse Ruben, id est, videntis in medio. Quia enim cœlum superiùs, infernus inferiùs, in medio mundus, sicut ad inferiora oculos inclinat timor seruilis, ad superiora eleuat filialis, sic erigit ad media timor initialis. Est enim initialis timor mixta cum pauore dilectio. Cùm igitur quis per quasdam mundi similitudines nititur apprehendere creatorem, Lia quidem fœcunda redditur; sed Rachel ab amplexu viri defraudatur. Hinc est, quòd cùm Philosophi inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspicerent, Liam quidem fœcundam reddebant; sed Rachelem sterilem relinquentes, euanuerũt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, mutando gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Vnde non immeritò sermo diuinus comparat eos camelis, qui quidem ruminare sciunt, sed vngulam non diuidunt: quia & ipsi cogitationibus ruminabant, sed quid, aut propter quid dici debuit, non attendebant. Propter hoc lapsi sunt in hæc figmenta, quæ stramentis comparat Scriptura. Abscondit quippe Rachel idola sub stramentum cameli, quia cœlestis sapientia mundi similitudines diuinis comparatas exemplis non attribuit veritati, sed supponit Philosophorum figmentis. Tergat igitur lippitudinem oculorum, & pituitæ suæ molestiam Lia,

Marginalia: Ioan. 8. — Prouerb. 2. — Pauus gaudium vanum designat, & simia. — Exod. 32. — Iob. 28. — Addendum videtur, * vel quæ à sopore. — Psalm. 12. — Cant. 1. — Cant. 3. — Genes. 30. — Timor seruilis, initialis & filialis quid sint.

vt fruatur Iacob concupitis suæ Rachelis amplexibus, donec pariat in sapore sapientiæ Ioseph, vel Benjamin in sapientia sapiente. Nato siquidem Benjamin imposuit ei mater nomen Benoni; sed pater mutauit nomen in Benjamin. Benoni filius doloris dicitur, Benjamin verò filius dexteræ interpretatur. Hæc est ergo sapientiæ doctrina, de qua dicit Apostolus ad Hebræos. *Disciplina quidem in præsenti non est gaudij, sed mœroris: sed postea pacatissimum exercitatis reddet justitiæ fructum.* Parit ergo sapientia doctrinam, quæ in præsenti non est gaudij, sed mœroris; id est Rachel Benoni: sed postea pacatissimum exercitatis justitiæ fructum reddit; sicut postea nomen ejus mutatum est in Benjamin. Peperit etiam Ioseph filium accrescentem & decorum aspectu: contra quem fratres sui jurgati sunt, & inuiderunt ei habentes jacula. Hæc est illa sanè doctrina, de qua Dominus ait. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Quid hoc verbo sapidius, quid dilectius? Et tamen inuiderunt ei fratres sui, & jurgati sunt: quia Iudæis quidem scandalum, & Gentibus stultitia est: nobis verò virtus & sapientia Dei est, hæc doctrina. Ad vtramque doctrinam nos mittit sermo diuinus à principio vobis propositus. *Ecce*, ait Scriptura, *Adam quasi vnus ex nobis.* Potest enim esse vox Dei Patris loquentis in Moyse; vel vox Angeli loquẽtis ad Moysen, vel etiã ipsius Moysis. Quòd si Dei Patris esse intelligatur, potest esse ironicum, vel anagogicum. Ironicum, si de primo Adam intelligatur, de quo dictũ est. *Primus Adam de terra terrenus.* Anagogicum, si de secundo, de quo subditur, *Secundus de cœlo cœlestis.* Quod si de primo Adam accipitur, illud *quasi* erit similitudinis: si de secundo, erit expressio veritatis; sicut & ibi. *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Si de primo intelligatur litera, sic distinguetur. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus sciens bonum & malum.* Et nota, quòd quando peccauit Adam, in tres personas blasphemauit. Tria enim promisit ei serpens dicens, *Nequaquam moriemini*, cui verbo consentiens blasphemauit in Spiritum sanctum. Nam cùm factus esset in animam viuentem, credidit se fieri posse in Spiritum viuificantem. Et iterum. *Eritis sicut dij.* In hujus verbi consensu blasphemauit in Patrẽ. Deus enim potentiæ nomen est. Potentia verò attribui solet Patri nomine, & non re. Item subjunxit, *Scientes bonum & malum.* In hoc blasphemauit in Filium; quia sapientia Filio solet attribui, nomine dico, non re. Ideo qui habitat in cœlis irridet eum, & subsannat dicens. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis.* Voluit esse immortalis, & mortuus est propter peccatum. Voluit esse omnipotens; & sui ipsius potentiã amisit. Voluit esse sapiens; sed apertis oculis, nihil quàm se nudum virtutibus, & gratuitis spoliatum cognouit. O verè sapientia mœroris, non gaudij; quia qua ratione filijs parcet, qui patri omnium non pepercit? Si sic propter inobedientiam de paradiso ejectus est accola paradisi, quid nobis inobedientibus erit, quorũ incolatus prolongatus est pro peccatis, nec nisi cum habitantibus Cedar habitare meremur? Pacatissimum tamen exercitatis reddet per hoc fructum: cùm hoc exemplo timidiores & cautiores redduntur, & ad obedientiam promptiores. Timeo domum proximi jãm accensam. *Nam mea res agitur, paries cùm proximus ardet.* Quòd si de secundo Adam sermo dicatur, nihil sapidius est, quàm audire, *Ecce Adam quasi vnus ex nobis.* Hoc enim est, quod Apostolus ait. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute*: id est, prædestinatum est, vt ens homo esset filius Dei in virtute. Magnum pietatis sacramentum, vt vnus atque idem esset & filius Dei, & filius hominis. Vnde Adam homo interpretatur. Vnum dico, sed non vnum: idem dico, sed non idem. Idem dico in persona, sed non idem in natura. Non enim est vna natura Dei & hominis; quia non conuertibilis ad inuicem natura in naturam: sed vna persona est Deus & homo. *Ecce*, ait, *Adam*, id est, homo, *quasi vnus ex nobis.* In assumpta natura non desijt esse vnus ex nobis: non desijt esse quod erat, sed esse incœpit quod non erat, vnus ex nobis. Quod in typo veritatis hic dicitur; hoc in veritate typi alicubi dicit Dominus. *Ego & Pater vnum sumus.* Sicut *sumus*, sic *ex nobis* solitudinem tollit: sicut *vnum* sic & *vnus* diuersitatem. Neque enim solitario conuenit & *sumus* & *ex nobis*: neque rursus à se diuerso vnũ & vnus. Per hoc ergo quod dicit *vnus*, tollit diuersitatem à natura: per hoc quod addit *ex nobis*, remouet solitudinem à personis. Simile est, quod alibi dicitur. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Per hoc, quod pluraliter ait *faciamus*, tollit solitudinẽ: per hoc quod singulariter ait, *ad imaginem*; tollit diuersitatem. In hoc igitur tota Theologicæ veritatis pendet assertio, vt in confessione vnius solius Dei solitudinem remoueat à personis; & cùm tres personas confitetur, diuersitatem remoueat à natura. Nam propter hoc desperata in se, & sæua in omnes impiæ temeritatis ingenia hæreticorum imposuerunt dictis intelligentiam, potiùs quàm expectarunt ex dictis: sensum attulerunt verbis, potiùs quàm retulerunt ex verbis. Vnde potentem Dei naturam ex naturæ suæ infirmitate coarctantes, & intra fines sensus sui indefinita concludentes, ex his duabus venenosis radicibus diuersæ virus hæreseos effuderunt. Vnde Sabellius sic solitudinem prædicare volebat, vt nullam in personis pluralitatem prædicaret. Vnde sicut illud dicebat esse Filium, quod & Patrem: ita ipsum eundem Filium, quem & Patrem. Arrius verò è conuerso sic diuersitatem prædicabat; vt sicut alium Patrem, & aliũ Filium affirmabat, sic aliud. Manichæus verò id quod in Virgine fuit, portionem diuinæ substantiæ prædicauit, & Dei filium esse voluit: quod ex Dei substantia parte aliqua deductum in carne apparuit: & sic in Filio diuinæ substantiæ portionem quasi diuisam & desectam commentatus est. Valentinus quoque ridicula quædam & fœda commentans, vt naturam Filij separaret à natura Patris, cùm præter Deum Principem familiam Deorum, & numerosas vanitatum potestates introduxisset, Verbum Dei, id est Filium Dei, non aliud esse natum, quàm prolatum diuinæ voluntatis mysterio asseruit. Ierarchas etiam nesciens vnigeniti natiuitatem, Patrem & Filium quasi vnius lucernæ duo luminaria prædicauit, dicens; quòd sicut lampas eodem papiro vtroque capite lu-

Hebr. 12. Matth. 11. Genes. 3. 1. Cor. 15. Genes. 3. Potentia & sapientia omnibus personis communia attributa. Rom. 1. Ioann. 10. Gen. 1. Hæreticis vsitatus mos trahendi scripturas ad suum sensum prauum. Variæ hæreses de personis diuinis.

cet, & oleum quasi media materies lumen ex se vtrúmque protendit; ita Patris & Filij eadê substantia continet vtriúsque luminis naturã. Photinus autem Filium Dei creaturam à Deo perfectam, sed non sicut cæteras factum creaturas, sed ex nihilo, & ex non existentibus, ad hoc ante sæcula creatum, vt per eum Deus omnia faceret, commentatus est. Quem ea causa Filium Dei affirmabat, sicut & nos per gratiam filij Dei vocamur, & ea causa dictum, sicut dictum est. *Ego dixi dij estis.* Sic Cocyti glareis dulcis capitum multorum Cerberus latrat, & virus effundit. Nos autem Filium ita à Patre natum confitemur, vt diuinitatis vnitatem non diuidamus: sed sic Filius à patre est, vt alius sit in persona, idem natura: & sic vnum natura, quod non idem est in persona: nec sicut mentitus est Manichæus aliqua est in filio diuinæ substantiæ portio, sed totus Deus ex toto Deo, vnus ex vno, verus ex vero, non defectus, sed natus est. Nec sicut Valentinus manere prolationem temerarij actoris furore quæsitam confitemur: sed à Patre filius natus per natiuitatê suam non adimit esse, quod Deus est: neque ipse in natiuitate non Deus est: & quod Deus non cœpit esse, & sic à Patre prolatum, vt ipsa prolatio natiuitas esse credatur. Nec sicut mentitus est Hierarchas ex eadem substantia Pater & Filius, quasi ex eodem oleo duo lumina accensa sunt: sed sicut Deus ex Deo natus, & lumen ex lumine, quod sine detrimento sui naturam suam præstet, vt quod habet, tribuat; & quod dederat, habeat; nascatúrque quod sit, cùm non aliud quàm quod est, natum sit, sitque vtrúmque vnum; dum ex eo quod est, nascitur; & quod nascitur, neque aliunde, neque aliud est. Est enim lumen ex lumine. Neque enim, sicut dicit Photinus, creatura seu factura est; quia *in principio erat Verbum.* Non enim dicitur, in principio fecit Deus Verbum, sicut dictum est, *In principio fecit Deus cœlum & terrã.* Fit in principio quod creatur; & non erat, cùm crearetur. Non ergo erat in principio, quod fiebat in principio. Ergo quod erat in principio, in principio non fiebat. Pone ergo quodvis tua opinione principium, non tenes ex principio, *In principio erat Verbum.* Ergo quod in principio erat Verbum, exigit omne faciendi principium. Non ergo factura est, qui totius facturæ præcedit omne principium. Propter hoc ad amputandas illas, quas suprà diximus erroris radices, id est, diuersitatem & solitudinem, quatuor modis occurrit sermo diuinus; nominum distinctione, natiuitatis generatione, virtutis potestate, honoris æqualitate. Sunt enim quædam de Deo nomina, quæ dicuntur ad inuicem, id est relatiuè, & hæc solitudinem tollunt: vt Pater, Filius; gignens, genitus; mittens, missus, & hujusmodi. Alius est Pater, alius Filius: alius gignens, alius genitus: alius mittens, alius missus: & hoc ex sermone diuino multis modis cognitum est: dum de Filio protestatur, dicens. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Dum de Patre profitetur Filius dicens. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* Dum ipsum altissimi filium nasciturum prædicat Angelus dicens. *Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Dominum. Ecce concipies & paries, & vocabitur altissimi filius.* Sed & hoc idem Osee testatur, dicente Domino in Osee. *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Hoc idem etiam Apostolus ita dicens. *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus Pater, filium suum misit in similitudinem carnis peccati.* Testatur hoc & Caïphas. *Tu es* ait *Filius Dei benedicti?* Nón negat his verbis filium Dei, sed de persona quærit, vtrum homo ille sit filius Dei. Testatur etiam & Gentilis. Vnde Centurio. *Verè filius Dei erat iste.* Testatur insuper ipse diabolus. *Quid mihi & tibi*, ait, *Iesu Filij Dei? Venisti ante tempus perdere nos.* His igitur nominibus tollitur solitudo; sed diuersitas, nominibus quę dicuntur ad se. Nomina autem quæ dicuntur ad se, sunt hæc, *Natura*, *essentia*, & secundum latinos *Substantia.* Nam secundum Græcos nihil aliud est substantia, quàm persona. Ideo autem ad se dicuntur, quia relatiua non sunt. Vnde his nominibus in Deo hæc vnitas prædicatur; vt sicut de singulis personis singulariter, ita de omnibus simul personis non pluraliter, sed singulariter, dicantur. Pater enim Deus est, natura, essentia, substantia: similiter & Filius; & similiter Pater & Filius vnus Deus, vna natura, vna essentia, vna substantia. Nam de Filij diuinitate nos certos reddit Deus Pater per Isaïam, ita dicens. *Labor Ægypti & mercatus Æthiopum, & Saba viri excelsi ad te transibunt, & tui erunt serui, & adorabunt te, téque deprecabuntur: quia in te est Deus, & præter te non est Deus: verè tu es Deus absconditus.* Quis enim est Deus, in quo est Deus, nisi ille, qui de seipso ait, *Ego in Patre, & Pater in me est?* Hoc & Ieremias testatur dicens. *Hic est Deus, extra quem non æstimabitur alius: qui adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit eam Iacob puero suo, & Israël electo suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Quis est Deus in terris visus; nisi ille, qui in forma Dei erat inuisibilis, factus in forma serui? Hinc etiam Psalmista. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Et Moyses. *Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur à Domino.* Dominus, ait *à Domino ignem pluit.* Et quis nisi Pater à Filio, id est, per Filium, pluit? Hinc etiam Apostolus. *Quorum Patres, & ex quibus Christus, qui est super omnia Deus.* Cùm ergo dicat Moyses, *Dominus Deus tuus, Deus vnus est*: & Apostolus, *Vnus Deus, & vnus mediator Dei & hominum*: cùm ex præmissis authoritatibus Pater Deus, & Filius Deus sit: necesse est, vt Pater & Filius sint vnus Deus. Nam aliter oporteret, vt vel illæ, quæ superiùs sunt dictæ, vel quæ sunt inferiùs, authoritates subjectæ, falsæ comprobarentur. Remouentur etiam simul diuersitas & solitudo, natiuitatis generatione: quia cùm alius sit natus, alius ex quo natus est, quia nulla res seipsam gignit; non potest tamen natiuitas non eam, ex qua profecta est, tenere naturam. Neque enim aliud quàm Deus existit, quod non aliunde quàm ex Deo subsistit. Eandem dico naturam, itaut non natus sit ipse, qui genuit. Natiuitatis ergo proprietas & nomen & naturam & potestatem & professionem sola complectitur. Virtutis etiam potestate non alterum, non vtrúmque illorum duorum suprà dictorum remouetur, cùm dicitur, *Quæcúmque filius facit, hæc*

*Psalm. 81.* *Genes. 1.* *Matth. 3.* *Matt. 15.* *Luc. 1.* *Osee. 11.* *Ephes. 2.* *Marc. 14.* *Matt. 27.* *Luc. 4.* *Nomina relatiua in Deo tollunt solitudine, absoluta diuersitatem.* *Isai. 45.* *Ioan. 14.* *Baruc. 3.* *Psal. 44.* *Genes. 19.* *Rom. 9.* *Deut. 6.* *1. Timot. 2.* *Ioan. 5.*

*& Pater similiter facit.* Omnia enim & eadem ejusdem naturæ veritatem ostendunt. Similiter cùm natiuitatis significationem. Sic est illud. *Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat: sic & Filius quos vult viuificat.* Exæquata virtus ostenditur per naturæ indissimilis vnitatem: alterum autem, id est solitudo, tollitur, vbi dicitur. *Non potest Filius à se facere quidquam: nisi quod viderit Patrem facientem:* qua ne illa exæquatio fidem natiuitatis auferret, ait. *Non potest Filius à se facere quidquam.* Ab illo enim potest, ex quo est: quia nihil aliud est ab ipso esse. Et vt hoc se posse per virtutis & naturæ potestatem ostenderet, subjunxit. *Nisi quod viderit Patrem facientem.* Non enim corporalibus modis videt: sed visus ejus omnis in virtute naturæ est. Quod ergo ait, *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*: id est, nihil potest Filius facere, nisi quod habet ex natura natiuitatis, vt faciat. *Nihil enim, nisi natum*, ait Hilarius, *habet Filius.* Honoris etiam equalitate diuersitas remouetur, vt ibi. *Pater non judicat quemquam: sed judicium omne dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Ecce quid relictum est ad occasionem impietatis? quomodo potest intelligi natiuitatis differre natura: aut aliqua cogitari inæqualitas? Sequitur enim. *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem:* & vt tolleretur solitudo, subjunxit, *Qui misit illum.* Alius enim mittens, alius qui missus est: quia alius est Pater, qui misit eum: alius Filius, qui missus est ab eo. Per hanc ergo fidei firmitatem absoluta est illa veritatis confessio; in cujus typum videbatur dici. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis.* Sicut tamen suprà dictum est, potest esse vox ista Angeli loquentis ad Moysen, & de vtroque Adā nihilominus intelligi. Et ad hoc vt intelligatur de primo, sciendum est, quòd duas à principio fecit Deus rationales creaturas: vnam spiritualem, id est Angelicam; alteram corporalem, id est humanam. Inter Angelos tamen vnum singularem fecit, cui dictum est. *Tu signaculum similitudinis Dei*, &c. Ipse ergo est, qui dixit. Ascendam in cœlum, id est ad æqualitatem Patris, & similis ero altissimo. Propterea jure cecidit; quia voluit exaltari, & adæquari diuinæ majestati. Inter corporales creaturas primum hominem præcipuum & singularem esse voluit, de quo dictum est. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Sed & iste nihilominus majestati voluit adæquari, quando serpenti consensum præbuit dicenti. *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Propter hoc & ipse cecidit. Bene ergo Angelus ait. *Factus est Adam quasi vnus ex nobis:* quia sicut in culpa, sic vnus cum Angelo fuit in pœna. Notanda tamen est in hac similitudine dissimilitudo: quia quamvis per superbiam vterque ceciderit, dissimiliter tamen. Nam aliunde, & alibi, & aliter homo, quàm Angelus. Aliunde, quia Angelus de cœlo empyreo; homo de horto Eden. Alibi, quia Angelus cadens cecidit in hunc caliginosum aërē: homo verò inferiùs, quia in terra. Aliter, quia homo cadens damnificatus est in pluribus, quàm Angelus. Damnificatus est enim homo corpore & spiritu: Angelus verò solo spiritu. Plus tamen cadendo læsus est Angelus quàm homo; quia homo resurgere potest à lapsu; Angelus verò cecidit, nec adjiciet, vt resurgat. Plus igitur damnificatus est Angelus, quàm homo: sed in pluribus homo. Quòd si de secundo Adam Angelus hoc dici voluerit, vox exultationis audita est. Quid enim jucundius, quàm quòd Dominus Angelorum factus est Angelus, id est nuntius servorum? Est enim magni consilij Angelus, de quo Malachias. *Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis: & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Ipse Angelus est, qui ait ad Abraham. *Non potero celare Abraham puero meo, quæ facturus sum.* Nam quòd ille Angelus esset filius Dei, ostendit Abraham, cùm de justis vnà cum injustis solicitus, ait. *Non est hoc tuum, qui judicas omnem terram.* Vnde conuenienter probatur, ipsum esse filium Dei, qui loquebatur ad Abraham. Bene ergo ait Angelus. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis*, missus de sinu Patris in mundum, ad eos, & *propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Vel potest esse, vt dictum est, vox ipsius Moysi, & de vtróque Adam rursus intelligi, *Ecce Adam quasi vnus ex nobis.* Ecce ille, qui à Deo factus erat bonus, justus, perfectus, mortalis & immortalis, id est potens mori & non mori: qui etsi beatus non erat, miser tamen non erat; factus est quasi vnus ex nobis, malus, injustus, sibi nocens & suis; post peccatum mortuus, nec potens non mori: miser à peccato, à necessitate, & à miseria. Bonus siquidem factus fuit Adam, quia à Deo, qui vidit omnia quæ fecerat, & erant valde bona. Sed per peccatum depressum fuit in eo liberū arbitrium, ita vt impotens ad bonum, & liberū remaneat ad malum. Non enim sicut mentita est hæresis Pelagiana, solo arbitrio sine gratia potest homo facere bonum, vel resurgere si cadat; sed solo libero arbitrio malum facere potest, & ad hoc liberato. Iustus etiam factus fuit, id est innocens & sine culpa: sed meritoriam justitiam non habebat. Perfectus etiam, secundum quod tempori congruebat; id est secundum perfectionem naturæ conditæ, non naturæ glorificatæ. Sufficiebat enim ei ad majora promerenda, quod acceperat. Mortalis erat, quia mori poterat: & immortalis, id est non mortalis, quia poterat non mori: non immortalis, quasi non posset mori. Beatus autem non fuit: quia quòd casum suum nesciuit; vel si sciuit, & sibi non cauit, extra beatitudinem fuit. Miser tamen non fuit, quia nondum peccatum commiserat, nec humanis necessitatibus subjacebat; nec adhuc corporis vel mentis molestias sustinebat. Sed ecce prompta est ad malum natura hominis per peccatum Adæ, injusta, corrupta, mortua: quia non potest non mori: & humanis miserijs addicta. Hoc omne sentimus per Adam, qui fuit primus, singularis, & ex nobis vnus. Quòd si de secundo Adam intelligitur, bene dicit Moyses. *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis*, homo passibilis, mortalis; qui defectus nostros quos voluit, quos debuit, quantum voluit & debuit, suscepit. Hinc est, quòd *Iesus fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem. Et cùm iejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriyt.* In morte cœpit pauére & tædere. Nec decipiat hæresis Marcionis, per hoc quod apponitur, *quasi*, qui commentatus est Christum carnem phantasticam assumpsisse, ita vt nec verè natum, nec verè mortuum

*Ibid.*

*Ibid.*

*Genes. 3*

*Ezech. 28.*

*Genes. 1.*

*Mala. 3.*

*Genes. 18.*

*Pelagiana Hæresis in quo sita.*

*Genes. 3. Christus assumpsit quosdam defectus.*

mortuum fateretur: quia sicut Isaias ait, *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Quantum tamen voluit, eosdam affectus suscepit. Nam qui super morte Lazari fleuisse legitur, Apostolis ait. *Lazarus mortuus est & gaudeo propter vos, quia non eram ibi.* Timuisse dicitur, qui armatis ad corripiendum se prodijt obuius. Tristis fuit vsque ad mortem, qui in mortis articulo dixit. *Nunc clarificatus est filius hominis.* Et qui dixit, *Abba pater, omnia tibi sunt possibilia, Transfer calicem hunc à me:* ipse Petro ait. *Pone gladium in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Et qui dixit, *Deus Deus meus, vt quid me dereliquisti,* ipse etiam tunc dixit. *Amen dico vobis, Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei.* Et qui ad inferna descendit, Latroni in cruce dixit, *Hodie mecum eris in Paradiso.* Manus quoque quam clavus in cruce affixit, solo tactu auriculam Malchi sanauit. Et cùm tandem moriens in ligno penderet, solem obscurabat, terrã movebat, petras scindebat, monumenta aperiebat; & sic assumptos defectus secundum dispensationis debitũ temperauit in omnibus; vt qui eum cogitaret hominem ex infirmitate, Deum etiam intelligeret ex potestate: & sciret quia factus est vnus ex nobis voluntate, non necessitate. Idcirco quoties diuinus sermo de filio Dei nos erudit: aut de diuinitate ejus, qua ęqualis est Patri; vel de humanitate assumpta, qua minor est Patre, nos certos reddit. Cùm autem de diuinitate nos instruit; aut ad hoc intendit, vt ostendat, quòd eadẽ est natura Patris & Filij & Spiritussancti: aut quòd Filius alia est à Patre & Spiritu sancto persona. Vnde nunc de Patre, nunc de Filio, nũc de Spiritu sancto loquitur sermo diuinus: nunc verò de duabus tantùm personis, ita vt non fiat sermo de tertia; quod fit, vt ostendatur personarum distinctio. Plerúmque verò indiscretè sine personarum distinctione; vt ostendatur vna eadémque natura. Nam in illa voce, cùm Iesus in monte coram Petro Iacobo & Ioanne apparuit; & in ea quando super baptizatum columba descendit: & quando de sua clarificatione clamans ad Patrem, audiuit: *& clarificaui, & iterum clarificabo:* non nisi persona Patris potest intelligi. Quòd autem dicit Filius, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu;* vel quod, *Exiui à Patre, & veni in mundum:* vel quod ait, *Pater clarifica Filium tuum,* & hujusmodi: nõ nisi Filij vox potest intelligi. Quod autem Spiritussanctus in specie colũbæ in baptismo, vel igneis linguis discipulis apparuit in cœnaculo; non nisi Spiritussſ. persona debet attendi. Quòd autem vidit Daniel vetustũ dierum, cui sedenti in throno oblatus est filius hominis, tam Pater quàm Filius, sed non Spiritussanctus in hac visione sunt intelligendi. Cùm verò nunc Filius, nunc Spiritussanctus missus legatur, & Pater nunquam, quoties de missione fit sermo, nunquam de Patre, sed de Filio vel de Spiritu sancto intelligendum est. Cùm verò legitur, *Verbo Domini cœli firmati sunt, Spiritu oris ejus omnis virtus eorum:* vel illud, *Ite, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritussancti,* tota Trinitas intelligitur. Cùm verò dicitur, *Audi Israël, Deus tuus, Deus vnus est,* & in similibus indiscretè fit ita sermo de Trinitate, quasi de nulla personarum. Quod ad hoc fieri solet, vt vna Patris & Filij & Spiritussancti natura noscatur. Cùm verò de humanitate fit sermo, aut fit sermo de Filio, secundum quod est de forma Dei: vnde est quod ait, *Ego principium, qui & loquor vobis:* Et, *Ego in Patre, & Pater in me est,* & hujusmodi: aut secundùm quod formã serui accepit. Vnde, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem,* & *Caro mea requiescet in spe;* & hujusmodi, Quandóque vt ostendatur vnio vtriúsque naturæ, quod Dei est attribuitur homini, & quod hominis Deo. Homini enim attribuitur quod Dei est, cùm dicitur, puer ille creauit stellas: Deo verò quod est hominis; vt cùm dicitur, Filius Dei mortuus est. Quando verò vt vnita demonstretur persona, de eo loquitur indiscretè sermo diuinus; vt cùm dicitur. *Nemò ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos.* Et cùm vnitæ sint tres substantiæ in vnam personam, id est, Deus, anima, & caro, gratiã vnionis, quod vnius substantię est, toti solet attribui personę. Vnde & in illo mortis suæ triduo & ad infernum legitur descendisse, sed propter animam, & in sepulchro jacuisse, sed propter carnem, & in cœlo regnare, sed propter deitatem. Quid ergo, propter quid dicatur, attendat fides: quia nisi hoc quisque fideliter firmiterque intellexerit, & intellecta crediderit, saluus esse non poterit. Iustus autem ex fide viuit, quia hæc est vita æterna, vt cognoscamus Deum Patrem, & quem misit ad nos, & pro nobis, Dominum nostrum Iesum Christum Filium suum, qui cum eo, & cum Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

[Margin notes: *Isai. 53.* — *Ioan. 13. Marc. 14.* — *Christus humanos defectus voluntariè assumpsit, non ex necessitate.* — *Personarũ distinctio est Scripturis habetur.* — *Synecdochica locutio.*]

## SERMO III. *In Aduentu Domini.*

*Vidi, & ecce vir vestitus lineis,* &c. Verba proposita verba sunt Danielis, vt ex ipso Danielis vocabulo detur intelligi, quàm credibilia facta sint hæc testimonia nobis, quæ de tertio cœlo Propheta nos edocet euocatus. Tria siquidem visionum genera teste sacro eloquia didicimus; corporale, spirituale, intellectuale. Corporale, est quod per corpus percipitur, & corporis sensibus exhibetur. Spirituale autem multis modis dicitur. Nam ipsum corpus quod in resurrectione habituri sumus, spirituale vocat Apostolus. *Seminatur,* ait, *corpus animale; surget corpus spirituale:* & dicitur spirituale, eo quòd miris modis ad omnem facilitatem & incorruptionem spiritui subdatur; & sine vlla indigentia corporalium alimentorum solo viuificetur spiritu: non quòd in incorpoream substantiam sit abiturum: sicut nec hoc corpus, quale nunc habemus, animę habet substantiam, quamvis animale dicatur. Dicitur etiam spiritus aër iste. Vnde dictum est. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum.* Dicitur & spiritus anima, siue hominis, siue pecoris, vt ibi. *Quis scit, si spiritus hominis ascendat sursum, & spiritus pecoris si descendat ipse deorsum?* Dicitur & spiritus ipsa mens rationalis; quæ est tamquam quidam oculus animæ: ad quem pertinet imago & agnitio Dei. Vnde dicit Apostolus. *Renouamini spiritu mentis vestræ.* Et alibi. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Quam mentem dicit, hanc etiam spiritum

[Margin notes: *Dan.* — *Triplex in Scriptura visionum genus.* — *1. Cor. 15.* — *Psal. 148.* — *Eccle. 3.* — *Ephes. 4. Gal.*]

*Ioann. 4.* appellauit. Dicitur etiam spiritus Deus, vt in Euangelio, *Spiritus est Deus*. Ex his omnibus modis non vocamus spirituale hoc genus visionis; sed illo vno modo, de quo loquitur Apostolus ad Corinthios, quo spiritus à mente distinguitur, vbi ait, *Si orauero lingua, spiritus* *1. Cori. 14.* *meus orat, mens autem mea infructuosa est*: Per linguam accipiens obscuras & mysticas significationes, à quibus si mentis intellectum remoueas, nemo ædificatur. Cùm ergo non intelliguntur in spiritu, dicit eas non mente. Vnde apertiùs alibi. *Si benedixeritis spiritu, quis sup-* *Ibid.* *plet locum idiota?* Linguam ergo vel spiritum translato vocabulo, quamlibet signorum prolationem appellat, priusquam intelligantur: quò cùm intellectus accesserit, qui mentis est, fit reuelatio, vel agnitio, vel Prophetia, vel doctrina. Et tunc ascendit ad tertium visionis genus, quod est intellectuale. Proinde ait Apostolus. *Si venero ad vos linguis loquens, quid vobis proderit, nisi loquar vobis in reuelatione, aut in agnitione, aut in Prophetia?* Id est, si signis verborum, hoc est, linguæ loquar, & non accesserit intellectus, vt spiritu tantum, & non mente agatur, quod agitur, quid prodest? Est *Visio corporalis.* igitur visio corporalis, qua pertinent corporis sensus ad visa corporalia, & hanc vocat Apostolus primum cœlum: quoniam in excelsum cerebri locum, tamquam in cœlum corporis à sede jecoris ignis emicat, de cujus cerebri medio velut centro non solùm ad oculos, sed etiã ad sensus cæteros tenues fistulæ deducuntur, ad aures videlicet & ad nares & palatum, propter audiendum, olfaciendum, & gustandum: ipsúmque tangendi sensum, qui per totum corpus est, ab eodem cerebro dirigi per medullam ceruicis, & eam quæ continetur ossibus, quibus dorsi spina conseritur, vt inde quidam tenuissimi riuuli, qui tangendi sensum faciunt, per cuncta membra diffunduntur; ita vt repressò calore lux ignis sola primùm splendeat à cerebro, in radijs oculorũ ad visibilia contuenda; deinde ad aures tamquam post oculos cerebro viciniores descendit mixturâ quadam primò cum aëre puro, secundò ad nares cum aëre caliginoso mouens humidas exhalationes, tertiò cum corpulentiore humore vsque ad gustum, vltimò vsque ad terrenam crassitudinem descendit, vt faciat tangendi sensum: quia corporalis visio non solùm ad oculos, sed ad omnes corporis sensus pertinere dignoscitur: quæ ideo corporalis non dicitur, quia à corpore est, sed quia per eam visa corporalia sentiuntur. *Visio spiritualis.* Spiritualis autem visio, per quam non corpora, sed corporum similitudines præsente vel absente corpore conspicimus; siue ita sit res quæ occurrit, siue ita non sit, vt occurrit in animo. Variæ siquidem corporalium similitudinum formæ variantur in mente, cùm in cogitatione aliquid faciendum vel emittendũ disponimus: siue cùm dormientibus videntur somnia nihil vel aliquid significantia: siue cùm valetudine corporali turbatis intrinsecùs itineribus sentiendi imagines corporum veris corporibus ita miscet, vt internosci vel vix possint, vel omnino non possint; & aut significent aliquid, aut non significent: siue ingrauescente aliquo morbo vel dolore corporis, & intercludente intus vias, quibus animæ, vt per carnem sentiret, intentio altiùs quàm somno absentato spiritu monstrantur imagines rerum vel significantes aliquid, vel non significãtes. Seu nulla ex corpore causa existente, sed assumente atque rapiente aliquo spiritu, tollitur anima in hujusmodi videndas similitudines corporum, miscẽs etiam eis visa corporalia. Siue ita spiritu assumente alienatur ab omni corporis sensu, vt solis similitudinibus corporum spirituali visione teneatur. Et hanc visionem propter hujusmodi varias illuminationes secundum cœlum vocat Apostolus. Tertium verò est, quod mente concipitur, ita secretâ & remotâ, & omnino arreptâ à sensibus carnis atque mundatâ; vt ea quę in illo cœlo sunt, & ipsam Dei substantiam, verbúmque Deum per quod facta sunt omnia, in charitate Spiritussancti ineffabiliter valeat videre & audire. Ad illud Apostolum, ad illud raptos Prophetas, non incongruenter arbitramur. Quoniam signa quæ per aliquas rerum similitudines demonstrantur in spiritu, nisi accedat mentis officium, quo visa intelligantur, non est prophetia. Nam magis Propheta fuit, qui intellexit quod alius vidit, quàm ille qui vidit. Magis enim dici debuit Propheta Ioseph, qui intellexit quid significarent septem spicæ & septem boues, quàm Pharao qui eas vidit. Quamvis igitur intellectualis visio, sicut spiritualis, multis modis fieri soleat, quia nunc per ipsum creatorem non corporali visione vel vocali sono, sed sola inspiratione, vel in signũ ante mentem adducta rei similitudine, vel per aliquam creaturam rationalem superiorem, vt per Angelos, siue inferiorem, sicut per homines: vel irrationalem superiorem, vt per nubẽs vel inferiorem, sicut factum est in rubo: siue dormiendo, siue vigilando turbatis intrinsecùs itineribus sentiendi, vel aliquo alio, quem suprà diximus, modo: tamen inter spiritualem & intellectualem visionem hoc interest, quia quę per spiritualem videntur, non dijudicantur: intelliguntur autem, quæ per intellectualem. Item, quod in visione corporali videtur, fallere potest videntem; cùm in ipsis corporibus fieri putat, quod fit in corporis sensibus: sicut nauigantibus videntur ea quę sunt in terra moueri, & in cœlo stare sidera quæ mouentur; & in aqua baculus fractus. Similiter visio spiritualis fallere potest videntem, cùm corporum similitudines aliter quàm sint occurrunt in animo cogitantis. Sed in intellectuali visione mẽs non fallitur: quia aut intelligit & verũ est; aut si verũ non est, non intelligit. Est igitur spiritualis dignior corporali; sed intellectualis longè excellentior spirituali. Et est quasi quoddam medium inter vtrámque spiritualis: quia non incongruè medium dicitur, quod corpus quidem non est, sed simile est corporis, inter illud quod verè corpus est; & illud, quod nec corpus, nec simile corporis est. Quia igitur Propheta ex visione proposita, quam intellectualiter vidit, (alioqui nec Propheta dici debuit,) judicium Dei intellexit, quo foras eijciẽdus erat princeps hujus mundi, vt scriptum est, *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejcietur foras*: nec dubium quòd ab illo, quem vidit vestitum lineis: meritò nomine Danielis censetur, vbi ait. *Ego Daniel lugebam multùm*, &c. Daniel quippe judicium Dei interpretatur. Sed notandum, quòd præmittit pœnitentiæ luctum, & dignum abstinentiæ

*Visio intellectualis.* *2. Corin. 12.* *Genes. 41.* *Visio intellectualis cæteris præstat.* *Ioan. 12.* *Dani. 10.*

fructum: quia sicut exteriores oculi pinguedine carnis infecti, clarè nequeūt intueri, quod volunt: sic interiores, nisi mens à superfluitate macrescat, verum solem videre non possunt. Dicit ergo. *Ego Daniel lugebam multùm.* Ex hoc patet, quod melius est, ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. Nam & ipsi filij Iob cùm essent in conuiuio, flante vento à regione deserti, qui concussit quatuor angulos domus, oppressi sunt. Vix enim potest esse, vt absque effrænata lætitia possit esse conuiuium comessorum. Scriptum quippe est. *Sedit populus manducare & bibere; & surrexerunt ludere.* Est tamen conuiuium cōuiuentium, & est conuivium conuivantium. Conuivium conuiventium, est vnius moris habitare in domo, si simul bene vivunt: quia si malè vivunt, nec vivunt. Forte semiuiui sunt, sed non viui: quia si corpore vivunt, anima tamen mortui sunt. Conuivium verò conuivantium est sedere in concilio comessorum, ac propter hoc ludentiū. Vnde Ieremias ait, *Non sedi in concilio ludentium,* sed potiùs lugentium: quia per luctum caput turbatur, facies attenuatur, dolor mitigatur. Caput turbatur præ amaritudine, facies attenuatur à pinguedine, dolor mitigatur spei consolatione. Videte, quantæ sint efficaciæ ad impetrandam Dei misericordiam lachrymę lugentium; quæ meritorios & causæ inferioris annos Ezechiæ induciare potuerunt; & prędestinatos & causæ superioris ad finem optatum ordinare meruerunt. Extrema quippe luctus gaudium occupat: sicut extrema gaudij luctus solet occupare. Infelix Zoroastres & inuentor artis magicæ perhibetur, qui in suæ natiuitatis initio solus fertur risisse. Quis enim incarcerandus vel incarceratus ridet? Et quid nisi carcerem, carnem vel mundum dixerim: in quibus detrusi sūnt Euæ filij? Quid enim aliud quàm carcer est mundus? Quid homo, nisi incarceratus? Quis tortor carceris, nisi qui torquere non cessat hostis antiquus? Hæ sunt luctus causæ generales, præter eas, quas vnusquisque nostrum speciales habet, aut particulares. Mouebat enim non tantùm totius orbis generalis, sed plebis Iudaïcæ specialis, & insuper propriæ seruitutis indiuidualis, Prophetam miseria, cùm dicebat. *Ego Daniel lugebam multum trium hebdomadarum diebus.* Congruum lugendi tempus ponit, cùm dicit, *trium hebdomadarum diebus.* Nam & ipsa Christiana religio hujus authoritate sententiæ, trium hebdomadarum, ante diem natalis ejus, quem Propheta vidit vestitum lineis, luctus & pœnitentiæ tempus consecrauit; vt trium hebdomadarum transacto luctu, illum videre, id est intelligere cordis oculis mereamur, qui pro nobis vestitus lineis venit. Hinc etiam tres septenarios pœnitentiales annuatim Ecclesia solemnizat: de quibus aliàs disseruisse me memini; vnde nec arbitror repetendum. Quia enim septem sunt principalia vitia, quæ vel corde vel ore vel opere committuntur; bene sub tribus septenarijs pœnitentiæ perfectio consūmatur: quia ad hoc etiam septem Psalmi pœnitentiales ordinati sunt. Bene igitur per hunc pœnitentiæ fructum Propheta non solùm Principis regni Persarum brachium eneruauit; sed virum vestitum lineis videre promeruit. *Ecce vir desideriorum,* ait Angelus loquens ei, *veni ad adjutorium tibi: sed restitit mihi viginti & vno diebus Princeps regni Persarum.* Quia igitur peccatis exigentibus gens Iudæa subdi meruerat regno Persarum, meritò Angelo Danielis, qui vnus erat de filijs transmigrationis, restitisse dictus est Princeps regni Persarum: quia alter alteri Angelus non resistit, nisi quantum meritis humanis adjuvatur. Sed post pœnitentiæ luctum vidit Saluatorem & procuratorem populi Israël. Vnde subdit. *Vicesima & quarta die apparuit vir vestitus lineis.* Nota, hunc numerū impariter parem esse, & superabundantem. Omnis enim pariter par, vno se minùs diminutus est. Similiter pariter impar vel perfectus est vel diminutus, nisi ad secundum & compositum descendit; & tunc superabūdans est. Superabundat autem numerus iste duodenario, per partes aliquotas diuisus, ita vt summa crescat in primum ciclicum ex radice senarij procuratum. Cùm igitur in se duos contineat duodenarios, & tertium lucretur in fructu partiū, tres istos duodenarios commendabiles ex sacri testimonio eloquij videamus. Primus enim commendabilis fuit in Patriarchis, qui nobis sub lege naturali fidei radicem plantaverunt. Secundus commendabilis fuit in Prophetis, per quos fides plantata floruit, & odorem confortantem nos per legem scriptam contulit in spe & expectatione Redemptoris. Tertius cōmendabilis fuit in Apostolis, per quos fides germinata & florida per legem gratiæ fructum fecit: quia senarius boni operis qui à Patriarchis incœpit, per doctrinam Prophetarum perductus est ad finem consummatum Apostolicæ veritatis: qui fide per dilectionem operante opus consummavere perfectum Bene ergo vicesima & quarta die apparuit vir vestitus lineis: quia consummato tempore Patriarcharum, quo primùm fides illuminauit mundum; consummato quoque numero Prophetarum, quorum oraculis confortatus est mundus; venit vir vestitus lineis, cujus gratiæ subsidijs Apostolica doctrina boni operis fructum fecit. Sed quid est, quod ait, *Ego sedebam super fluvium magnum Tigris?* Magnus flux⁹ est nostræ mortalitatis, magnus & quasi torrens velociùs defluens, quàm à texente tela succiditur. Et *quis liberabit nos de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Dominum nostrum Iesum Christum,* qui solus liberator est nostræ mortalitatis. Sedenti igitur, id est attentè consideranti fluxum suæ mortalitatis, apparuit, qui solus potuit liberare, vir vnus vestitus lineis, qui pelliceum Adæ transacta jam hieme deponens, solis lineis vestiri voluit; tamquam sponsus ad sponsām veniens, veste nuptiali vestitus. Iam enim hiems abijt & recessit, & totus mundus apparet floridus: & verè totus, quia ibi apparet flos florum, vbi solent esse stercora jumentorum. Vel vir vnus vestitus lineis, quia ipse tamquam sacerdos secundum ordinem Melchisedech ad nos veniens, non per sanguinem hircorum aut taurorum; sed per proprium sanguinem intrās in sancta sanctorum, vestiri voluit Ephod lineo in operibus bonis, & lineā strictā in mortificatione carnis. Sequitur. *Et accincti renes ejus auro obrizo.* Evigilate justi. Ecce hora est, in qua Dominus vester venit. Beati sunt serui illi, quos inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, præcinxit se tamquam gigas, ad currendā

*Eccle. 7.* *Iob 1.* *Exod. 32.* *Ierem. 15.* *Isai. 38.* *Prouer. 14.* *Caro & mundus carceres sunt.* *Dani. 10.* *Tempus Adventus.* *Ibid.*

*Pugna quædam inter Angelos Sāctos, cur fiat.* *Tres duodenarij in Patriarch. Prophetis, & Apostolis commendabiles.* *Dani. 10.* *Rom. 7.* *Vir vestitus lineis Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedeh.*

viam: tamquam vir pugnator omnipotens, ad faciendam vindictam. Vnde, *Auro*, inquit, *obrizo*. Ioannes & Elias lumbos zona pellicea accinctos habebant: quia nimirum quamvis justi & sancti essent, etsi pelliceum Adæ deposuerunt, ad minus de pelliceo sibi zonam retinuerunt, id est titillationem carnis de præuaricatione descendentem senserunt. Iste verò auro obrizo accinctus fuit, qui de carnis titillatione nihil sensit. Nam etsi tentatus legitur pro similitudine, absque peccato fuit illa tentatio. Vel quia per renes infirmitas fragilitatis, & per aurum potentia designatur; bene auro renes accinctos habuit, qui in infirmitate nostræ carnis, potentiam non amisit. Hoc enim auro adstringebatur Paulus, cùm ait. *Quando infirmor, tunc fortior sum & potens.* Auro tamen obrizo non erat accinctus; qui non à se, sed à Deo potens in infirmitate fuit. Iste verò bene accinctus auro obrizo perhibetur, qui potentiã à seipso habuit. Vel quia per aurum Angelica designatur natura, vt ibi. *Non dabitur aurum obrizum pro ea.* Ac si apertè dicat. Angelica non potest ei comparari natura. Circa renes aurum obrizum habuit; cui Angelica natura in tentatione seruiuit. Vnde dicitur. *Et accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* Per renes enim, quæ pars corporis est fragilior & pronior voluptati, tentatio designatur. Vel certè, quia per aurum nitor sanctitatis accipitur. Vnde ait Ieremias. *Quomodo obscuratum est aurum?* Bene non tantùm aurum, sed aurum obrizum circa renes habuit: quia in ipsa humanitate tam per signorũ exhibitionem, quàm per virtutum coruscationem, non solùm sanctus, sed sanctus sanctorum inter sanctos apparuit. Nota, quòd Ezechiel ad renes hujus viri, non aurum, sed atramentarium scriptoris vidit, Ioannes accinctum ad mammillas zona aurea, Daniel verò aurum obrizum ad renes vidit, & non ad mammillas. Sic enim Spiritussanctus, prout voluit, singulis diuisit. Atramentarium in dorso chirographum mortis significat, quod ipse Christus in passione affixit cruci. Ad mammillas aurum vidit, qui in verbo prædicationis Dei sapientiam & Dei virtutem agnouit. Aurũ verò ad renes vidit, qui eum per nostræ carnis fragilitatem in sepulchro jacentem, & per potentiam diuinitatis in resurrectione fulgere cognouit. Aurum ad mammillas habuit in prædicatione, atramentarium scriptoris ad renes in passione, aurum obrizum in lumbis in resurrectione. Sequitur. *Et corpus ejus quasi chrysolitus.* Corpus Christi dupliciter accipitur; quia per corpus designatur quandoq; Ecclesia, quandoque caro de Virgine assumpta: quæ nimirũ caro meritò comparatur chrysolito. Est enim chrysolitus lapis pretiosus, qui nascitur in Æthiopia, contra serpentes valens, & contra nocturnos timores, colore viridis, mari similis, & auro micanti, scintillans vt ignis. Bene igitur Christi corpus comparatur chysolito, quia sicut in Æthiopia chrysolitus, & in tenebris lux, sic in mundo Christus. Ipse est lapis angularis ad conjungendam vtrámque maceriam, & ad percutiendũ erectam statuam: qui vtique contra serpentes valuit, quando diabolũ & cogitationes ejus comprehendit. Hinc Moyses in vecte serpentem, in signum Christi pendentis in cruce, in deserto erexit; vt per ipsum populus Dei serpentium morsus euitaret. Bene ergò viridi chrysolito comparatus est Christus in prædicatione, qui fuit quasi præcisum lignum quod viruit, & cujus folium non defluxit. Mari verò similis fuit in passione, quando sanguinẽ sudans, tristis erat anima ejus vsque ad mortẽ. Scintillauit etiam vt ignis, per miracula quæ foris apparuerunt populis. Auro similis fuit, quando per potentiam diuinitatis in resurrectione refulsit. Viridis ergo fuit in prædicatione, scintillans vt ignis in miraculorum exhibitione: mari similis in passione, auro micãs in resurrectione. Si verò per corpus hujus viri Ecclesiam accipias, viridi chrysolito comparatur in Virginibus, mari similis in Martyribus, scintillans vt ignis in Prædicatoribus, auro micans in supernis ciuibus. Sequitur. *Et facies ejus vt species fulguris.* In facie cognitio est, vt ibi. *Et videbis faciem ejus in jubilo.* Quod nimirum tunc erit, quando adimplebitur hoc, quod per Apostolum prædicatur. *Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum.* Natura autem fulguris & ignis illuminat, exsiccat, vegetat, accendit, cõsolidat. Hinc bene facies ejus, vt species fulguris dicitur; quia cognitio Dei per fidem illuminat, & per exclusionem malorum exsiccat, per spem vegetat, accendit per feruorem, consolidat per charitatem. Sequitur. *Et oculi ejus vt lampas ardens.* Per oculos Christi vel ipsa sapientia, qua scrutatur renes & corda, vel eorum ordo, qui in Ecclesia veritatis lumine coruscant, figuratur. Vnde ipsa ait sapientia. *Caligauit ad indignationem oculus meus.* Bene igitur oculi Christi lampadi ardenti comparãtur: quia sicut vitrum foris apparens in lampade intus ignis ardentis claritati non potest resistere; ita vitrum fragilitatis nostræ sapientiæ Dei omnia præscienti obuiare non potest. Scrutatur enim renes & corda, qui omnia scit antequam fiant. Si verò per oculos Christi prædicatores sancti designantur, bene lampadi ardenti comparantur: qui licet per vitrum fragilitatis foris appareant corruptibiles, pinguescunt tamen intus charitatis oleo, & igne Sancti Spiritus inardescunt. Sequitur. *Et brachia ejus, & quæ deorsum sunt vsque ad pedes, quasi species æris candentis.* Nota crucis mysterium secundùm simplicem literæ sensum. Brachia Christi, & quæ deorsum vsque ad pedes, speciem æris candentis habuerunt, quando affixus cruci mori potiùs voluit, quàm flecti. Æs enim candens potiùs frangi potest, quàm flecti. Sic qui cruci est affixus, cùm caput moueat, brachia & quæ deorsum sunt mouere non valet. Vel certè quilibet actiui vel subjecti fideles in Ecclesia per brachia designantur: qui bene speciem æris candentis tenent: quia non tam ore quàm corde fidem seruant. Fides enim valet, quæ per dilectionem operatur. Æs verò in eo quod sonorum est, confessionem significat oris, in eo quòd candens feruorem demonstrat cordis. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sequitur. *Et vox ejus vt vox multitudinis.* Vox Christi prædicationem significat. Ipse enim est, qui virga oris sui interficiens impium, quinquies vel certè sexies ad destruendam Syriam terrã percussit. Quinquies percussit, quando legem dedit: sexies autem, quando legem in sex distinctionibus diuisit. In lege enim alia vox Dei conti-

*4. Reg. 1. Marc. 1.* *Ioannes & Elias de pelliceo Adæ quid retinuerint.* *2. Corin. 12.* *Iob 28.* *Matth. 4.* *Thren. 4.* *Ezech. 9. Apocal. 1. Dani. 10.* *Dani. 10.* *Corpus Christi dupliciter accipitur.* *Num. 21.* *Iob 33.* *1. Cori. 13.* *Iob 17.* *Dani. 10.* *Æs corpus Christi designat.* *Rom. 10.* *Alludit ad 4. Reg. 13.*

netur in justificationibus; vt illa qua leprosus vel menstruata emundantur; alia in judicijs, qua oculum pro oculo, dentem pro dente jubemur euelli: alia verò simplicitate literæ contenta tamquam quædam intercapedo ponitur, vt per eam sacramentorum tegumenta celentur: alia in consilijs, vnde Dominus Iesus quęrenti juveni de salute respondit. *Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes & da pauperibus*: consilium quidem fuit, non præceptum: alia autem in prohibitionibus, vt ibi, *Non occides, non mœchaberis*: alia verò in præceptis. Vnde habes. *Diliges Dominum Deum tuum*. Vel certè sexies oris sui jaculo terrā percussit, quando vox ejus intonuit super aquas; quando vox ejus in virrtute, in magnificentia, in confractione cedrorum, in intercisione flammæ ignis, in concussione deserti in reuelatione cōdensi fuit. Ipse enim est, super quem requieuit Spiritus septiformis. Per spiritum siquidem timoris fluxus nostræ fragilitatis tāquam aquas domuit; per spiritum pietatis vox ejus in virtute fuit: per spiritū scientiæ vox ejus fuit in magnificentia: quia per doctrinam inter Gentes magnificus enituit: per spiritum fortitudinis vox ejus cedros fregit, dum per potentiam divinitatis gloriosos terræ humiliavit: per spiritum consilij flammam ignis intercidit, quando consilio suæ consolationis fervorem tentationis interrupit: per spiritum intellectus desertū concussit, dum Gentiles devotionis compunctione ad fidem conuertit: per spiritum sapientiæ reuelauit condensa, quando per sapientiā nobis aperuit sacramentorum mysteria. Igitur vox ejus vt vox multitudinis erat, dum fluxum carnis domuit, & misericordiæ suæ viscera nobis aperuit; quando per doctrinam magnificus apparuit, superbos humiliauit, Gentiles vocauit, tentationes superavit, Ecclesiæ sacramenta reuelauit. Hæ sunt alæ Cherub; quas vnam ad alteram collidere vir sanctus audivit.

*Consilia Euangelica à præceptis distincta.* *Matt. 19.* *Exod. 20.* *Deuter. 6.* *Ezech. 1.*

## Sermo IV. *In Adventu Domini.*

Elevare, *eleuare, consurge Ierusalem; solve vincla colli tui captiva filia Sion.* Hora enim est jam nos de somno surgere. De illo inquam somno, in quo qui dormit, nec aliquid videt, nec sentit: vel si videt, quod videt non intelligit: vel certè si intelligit, obliuiscitur & negligit. Cùm enim diceret Dominus, *Lazarus amicus noster dormit*, de dormitione illa dictum est, in qua nihil videtur aut sentitur. De hoc somno surgere nos hortatur Apostolus, cùm ait. *Exurge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Secundum verò somni genus in somno Nabucodonosor figuratur; qui cùm statuam viderit, nec recordatus est, nec intellexit. Tertium autem figuratur in somno, quo aggrauati erant discipuli, cùm Dominus appropinquans passioni diceret eis. *Non potuistis vna hora vigilare mecum?* Videbant quod prædixerat eis Iesus dicens, *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur*, & intellexerant: vnde & Petrus respondit. *Absit à te Domine, non fiat istud.* Sed imminente passione non sunt recordati verbi ejus; somno ignaviæ depressi. Vnde cùm in ipsa passione Dominus Petro dixisset, *Priùsquam gallus cantet, ter me negabis*, & Petrus verbum intelligens respondisset, *Et si oportuerit me commori tibi, non te negabo*; requiritur, negat, & gallus cantat. Tūc Dominus Petrum respexit, *& recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus.* Si non intellexisset, non respondisset: & si oblitus non esset, recordatus non fuisset. Primo ergo somno torpet Paganus, secundo Iudæus, tertio falsus Christianus. Paganus enim nec legendo videt, nec intelligit, nec reminiscitur verbi Dei virtutem: Iudęus verò legendo videt, sed non intelligit, nec reminiscitur: falsus verò Christianus, videt, intelligit; sed obliuiscitur & negligit. Primo somno torpet, qui nec Deo, nec Deum, nec in Deum credit; secundo, qui Deū credit, sed nec Deo, nec in Deum credit: tertio autem, qui & Deo & Deum credit, sed in Deū non credit. Primus igitur somnus ignorantiæ est, secundus perfidiæ, tertius torporis & ignaviæ. Si ergo in visione pacis habitare vis, (quoniam Ierusalem visio pacis interpretatur,) & dies videre bonos, eleuare à somno ignorantię tu Pagane, eleuare à somno perfidiæ tu Iudæe: consurge à somno torporis & ignauiæ tu false Christiane. Qui enim iacet, & in imo prostratus est, non potest intueri ea quæ de longè sūt, sed ea tantūmodo quæ de prope sunt intuetur. Vnde & illi qui in medio Ierusalem faciebant abominationes, quando statuebant ad ostium tabernaculi idolum zeli ad prouocandū æmulationem, quando adorabant picturas, plangebant Adonidem, & dorsum contra templū habentes adorabant ad ortum solis, jacere dicuntur vnusquisque in abscondito cubilis sui. Vnde Dominus ad Prophetam. *Certè vidisti, fili hominis, quid isti faciunt in tenebris, vnusquisque in abscondito cubiculi sui.* Quia ergo jacebant, ad ea quæ de prope erant, oculos aperiebant. Quid enim magis de præsenti, & vt ita dicam, de prope potest esse, quàm fauor populi, amor mundi, dilectio carnalis desiderij, contemptus Dei, initium infidelitatis? Ad ostium siquidem tabernaculi statuit idolum zeli, qui foris in conspectu hominum feruoris similitudinem demonstrat, quæ vtique similitudo Deū ad iracundiam prouocat. In ostio enim tabernaculi conspectus populi, in idolo zeli feruoris similitudo figuratur. Picturas adorat, qui ea quæ in mundo sunt desiderat. Ea enim quæ in mundo sunt, quasi picturæ sunt; quia videntur aliquid esse, cùm nihil sint. Sunt enim quędam quæ videntur esse, & non sunt, vt præsentia. Vnde Paulus quasi à majori probans, ait. *Si quis se putat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Vbi enim hominem nihil esse dixit, de alijs rebus quæ pro homine factæ sūt, quòd nihil sint, apertè demonstrauit. Vnde & Isaïas. *Omnia*, ait, *quasi non sint, sit sunt coram eo.* Quædam autem sunt, & non videntur esse, vt æterna. Adonidem verò plangunt, qui ideo dolent, quia desideria carnis perficere non possunt. Sunt enim quidam, qui cùm crucifixi sint mundo, mundum tamen sibi crucifigi nolunt. Isti delectationes mundi quærunt, sed cùm eas habere nequeunt, dolent & gemunt; & tunc quasi Adonidem plangunt. Per Adonidem enim qui fuit amasius Veneris, & fomes delectationis, & delectatio figuratur. Dorsum autē contra templum habent, qui contempto creatore honorem indebitum exhibent creaturæ.

*Isai. 52.* *Peccatum somnus est.* *Ioan. 11.* *Ephes. 5.* *Dani. 2.* *Matt. 26.* *Matt. 20. & 16.* *Matt. 26.* *Ezech. 8.* *Quæ in mūdo sunt, picturæ comparantur.* *Galat. 6.* *Isai. 40.* *Qui plangant Adonidem.*

Quia igitur hæc sunt, quæ illi faciebant, qui in abscondito cubilis sui jacebant; tu qui in imo jaces, eleuare. Quamdiu enim animalia submittunt alas, oportet submitti & rotas: quia quamdiu motus animi flectuntur ad terrena, oportet vt submittatur cogitatio, & in imo circumspectio reuoluatur. Motus quidem animi animalibus, cogitationem rotis non incongruè comparamus: Sicut enim quatuor animalia, quorum primum simile erat homini, secundū bovi, tertium leoni, quartum aquilæ: ita & in animo quatuor motus inuenies, quæ quatuor animalium speciem præfigurant. Primus est rationis motus, qui homini jure attribuitur; quia soli homini ratio solet cōpetere. Secundus motus est sensualitatis, quem bene boui comparamus. Nam sicut inter illa quatuor animalia bos pigrior, sic inter motus animi sensualitas ad considerandum tardior inuenitur. Per alios siquidem motus, tam ea quæ non sunt præsentia, quàm quæ præsentia sunt, videntur. Sensualitas autem ea tantùm considerat, quę oculis subjacent carnalibus. Tertius animi motus auiditas est, quem bene leoni comparamus, qui a leo animal auidum est. Quartus verò animi motus cordis est deuotio; quem bene assignamus aquilæ: quia sicut aquila cæteris animalibus velocior inuenitur, & altiùs potest incedere; ita cęteris motibus animi deuotio potest altiùs volare: & sicut aquila cæteris animalibus limpidiores habet oculos, ita per deuotionem, ea quæ volumus limpidiùs inuenimus. Et reuera vbicumque intenditur ratio, infigitur sensualitas, rapit auiditas mentem, volat deuotio; ibi oportet, vt intendat circumspectio, cogitatio reuoluatur. Quia enim cogitatio siue circumspectio nunquam stabilis est, sed semper voluitur, bene rotæ volubili comparatur. Vnde & illæ rotę volubiles vocatæ sunt, dicente Propheta. *Et vocauit illas volubiles, audiente me.* Si ergo ratio vel sensualitas, siue auiditas, siue etiam deuotio eleuetur in altum, oportet vt in altum eleuetur & cogitatio: quia cùm eleuantur animalia de terra, eleuantur pariter & rotæ: & quando submittunt alas, submittūtur & rotę sequentes ea. Tunc enim submittunt, quando in terrenis intendunt. Tu igitur qui jaces, & in imo positus es, eleuare. Eleuare circumspectione, eleuare cogitatione: eleuare per exercitium actiuæ vitę; eleuare etiam per altitudinem contemplatiuæ. Verè enim in imo est, qui infra seipsum positus est. Alij enim jacent infra seipsos, alij juxta seipsos, alij etiam eleuati sunt supra seipsos. Infra seipsos sunt, qui in omnibus carni & mundo & cogitationi cuilibet obediunt. Iuxta seipsos sūt, quiquidem voluptates & quæque superflua rescindunt: sed de his quæ necessaria sunt, rescindere nulla volunt. Supra seipsos sunt, qui non tantùm voluptates, sed & ipsas plerumque necessitates pro Deo dimittunt. Eleuare igitur juxta te, qui positus es infra te; dimittendo saltem voluptates, etsi nondum vis dimittere necessitates. Eleuare & supra te; vt ipsis necessitatibus omissis, ad illum qui de longè venit ad te, & est supra te, respicias cogitatione, & auiditate. Qui enim à longè respexit, Dei potentiā vidit, sicut ait. *Aspiciens à longè, ecce video Dei potentiam venientem.* Nomen enim Domini venit de longinquo, & meritò. Sic Abraham de terra & de cognatione sua egressus est, vt inter Chananæos diues efficiatur. Sic Elias egressus est, vt à vidua vtcumque sustentetur. Sic Iacob de domo patris sui egressus est, vt patrimonio filiarum Laban perfruatur. Sic Tobias filium peregrinari misit, vt filiæ Raguelis copuletur. Sic & ipse Iesus egressus est; quia à summo cœlo egressio ejus, vt captiua filia Sion in libertatem gloriæ filiorū Dei reuocetur. Solue ergo vincla colli tui captiua filia Sion. Si enim vinculum colli non soluatur; nec manus in sinum mitti, nec foris verba possunt extrahi. Sed cùm tempus redemptionis filiorum Israël appropinquasset, vt de captiuitate Ægypti, de seruitute Pharaonis in libertatem & vbertatem terræ fluentis lacte & melle vocarentur, locutus est Dominus ad Moysen, dicens. *Loquere Pharaoni, vt dimittat populum meum.* In hoc autem signo loqueris. *Mitte manum tuam in sinum tuum.* Signum est nostræ Redemptionis. Exod. 3. Nisi enim manum in sinū mittamus, de sub jugo principis tenebrarum collum excutere non valemus. Nam manum in sinum mittit, qui in operibus suis ad conscientiam recurrit. Per manum siquidem opera, per sinum verò figuratur conscientia. Liberari autem non potest de seruitute diaboli, qui in omnibus operibus suis conscientiam suam non scrutatur. Vbera etiam foris extrahi necesse est, si in promissis hæc filia Siō fidelis inueniatur. Quid enim est filia Sion? Ecclesia. Quid autem loquitur & promittit Ecclesia sponso suo? *Egrediamur*, ait, *in agrum, commoremur in villis: & ibi dabo tibi vbera mea.* Cantic. 7. Ecce sponsus in agrū egressus est. Sed ad quid? Ad meditandum & viuificandum. Ad meditandum cum Isaac; ad meditandum inquam, cogitationes pacis & non afflictionis: vt ibi de camelo suo coram eo descendat Rebecca: vel de captiuitate peccatorum eruatur captiua filia Sion. Per Isaac enim Christus, per agrum mundus figuratur. In hunc enim agrum egressus est Dominus, ad cogitandum nobis bona, & ad viuificandum ossa mortua. Ossa inquam illa, de quibus Dominus in descriptione Leuiathan dicit beato Iob. *Ossa ejus vt fistula æris.* Ossa vt Iob 40. fistulæ sunt sapientes hujus sæculi; qui cùm sensum bene dicendi habeant, sensum tamen bene viuendi non habent. Vel certè ossa mortua sunt illa, de quibus Dominus ait, cùm diuitem describit, *Ossa*, inquit, *ejus plena sunt adipe.* Iob 21. Diuites enim quasi ossa adipe plena sunt, quando diuitijs impinguati fortitudine sua pauperes opprimunt. Hæc erant ossa mortua, quando non erat in eis illa vita, de qua dictum est. *Ego sum via veritas & vita.* Ioan. 14. Et ad hæc ossa viuificanda venit Dominus in mundum, cùm diuites & sapientes per exemplum operum & doctrinam verborum ad vitam vocauit æternam; infundendo eis in tentatione patientiam, in moribus concordiam, veram in doctrina scientiā, in religione restrictionem, in corde deuotionē. Nam tentatio in commotione, concordia in juncturarum connexione, scientia in pellis extensione, restrictionis sententia in neruorum conjūctione, deuotio cordis figuratur in carne. Sic enim in Ezechiele scriptum est: quòd Dominus duxit eum in campum plenum ossibus mortuorum; & dictum est ei. *Putas, fili hominis, reuiuiscent ossa ista?* Ezech. 37. Et ecce commotio. Postea autem redire cœpit vnumquodque ad juncturam suam. Deinde verò neruos & carnē

*Quatuor animi motus quatuor animalibus similes.*

*Cogitatio rotæ volubili comparatur.* Ezech. 10.

*Quinam infra vel supra seipsos sint.*

*Ecclesia verba.*

*Conscientiā in omni actione scrutari, quàm sit necessarium.*

*Ossa quasi fistulæ quinam sint.*

& pellem habere cœperunt; & tunc spiritu à quatuor ventis vocato vixerunt. Bene enim per nervos sententia restrictionis accipitur. Nam in tali nervo Iob pedem posuerat, cùm diceret. *Posuisti in nervo pedem meum.* Pedem Iob Dominus in nervo posuit, cùm eum districtionis suæ sententia ligauit. Per carnem autem cordis deuotio figuratur, vt ibi. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.* Cor enim carneum pro lapideo dat Deus, quando pro obstinatione infert cordis deuotionem. Pellis verò nomine sacræ lectionis intentio designatur, vt ibi. *Extendens cœlum sicut pellem.* Ad viuificandum ergo ossa mortua egressus est in agrum Dominus, cùm in mundum venit, vt sapientes hujus mundi vel diuites ad paupertatem spiritus prouocaret. Commorari similiter in villis venit, cùm in latitudinem hujus mundi descendit. Mundus enim & ager & villa erat, quando Dominus venit. Ager propter laborem; villa, in eo quod nullam in eo poterat homo contra hostem suum defensionis inuenire munitionem. Sed venit Dominus, & se murum posuit in domo Israël: & tunc facta est vrbs fortitudinis nostræ Sion; quia Saluator noster positus est in ea murus. Solue ergo vincla colli tui captiua filia Sion; vt juxta promissum vbera tua des ei. Sic enim dixeras. *Egrediamur in agrum, commoremur in villis: & ibi dabo tibi vbera mea.* Quæ sunt vbera? Iudæa simul & Gentilitas ad fidem vocata. Hæc enim sunt vbera, de quibus dicit sponsus. *Duo vbera tua quasi duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs.* Iudei siquidem & Gentiles, quando sacræ doctrinæ lac & propinant alijs, & sibi sugunt, vbera sponsæ dici possunt. Qui bene hinnuli sunt per humilitatem, capreæ per deuotionis altitudinem, gemelli per charitatē. Pascuntur autem in lilijs per vitæ candorem. Vt igitur hæc vbera foris possint extrahi, id est, vt Iudæa & Gentilitas ad veræ fidei confessionem possit conuerti, *Solve vincla colli tui, captiua filia Sion.* Si enim per filiam Sion Ecclesiam figurari dicimus, rectè per collum Ecclesiæ prælatos figuramus. Collum enim pars illa corporis est, per quam cibus à capite deriuatur in corpus. Cibus autem animæ verbum est vitæ, caput Christus, Ecclesia corpus. Quia verò per prælatos verbum prædicationis, prout diuinitus sunt inspirati, in corpus Ecclesię diffunditur; bene per collum filiæ Sion pręlati Ecclesiæ figurātur. Vincla autem colli impedimenta illa possumus appellare, quibus impediti prælati, nec sibi, nec alijs proficiunt, quantum volunt: scilicet amaritudo tentationis, fragilitas carnis, persecutio temporalis, occupatio sæcularis. Amaritudo tentationis in vinculis illis apertè figuratur, quibus Ioseph fratres suos ligandos esse comminatus est, cùm ait. *Per salutem Pharaonis non egrediemini; sed mittite vnum ex vobis: vos autem remanete in vinculis, donec veniat Benjamin frater vester minimus; & probemus si vera sint, quæ dicitis.* Ioseph enim fratres suos tentare volebat, non persequi. Bene autem Ioseph in expectatione Bējamin vinculis tentationis ligare dicitur fratres suos. Nam fideles, qui per filios Iacob figurantur, doloris amaritudine per augmentum virtutum ligantur in expectatione veræ spei, & aduentus gloriæ magni Dei. Quantò magis enim fideles proficiunt, tantò magis dolent, quòd cū Christo nondum esse possunt. Per Ioseph autem virtutum profectus, per Benjamin figuratur Christus, quia ipse filius dexterę est, eo quod filius sit substantiuus: nos autem quasi sinistræ, quia filij adoptiui sumus. Ipse est filius dexteræ, quia sedet ad dexteram Patris, cui Pater dixit, *Sede à dextris meis.* Qui cùm noster sit pater per humanæ naturæ donum, frater tamen factus est per ejus naturæ consortium. Et bene minimus, eo quòd per carnis assumptionem paulominus ab Angelis sit minoratus. Bene minimus, in typo cujus minimum filiorum Isai, id est Dauid, de cujus genere ipse Dominus nasci voluit, Deus in Regem sublimauit. Bene minimus, qui cùm magnus esset, pro nobis factus est paruulus, vt scriptum est. *Paruulus natus est nobis.* Et cùm Verbum Patris esset, factus est infans, vt scriptum est. *Inuenietis infantem*, &c. Et cùm primus esset omnium, factus est omnium nouissimus. Vnde Isaïas. *Et nos putauimus eum nouissimum virorum, virum dolorum.* Et Psalmista similiter in persona ejus. *Ego autem sum vermis & non homo.* Fragilitas verò carnis satis apertè figuratur in neruicis illis funibus, quibus Dalila voluit ligare Samsonem. Nervus enim ex carne est, & ideo impedimenta carnis significat, quibus quasi vinculis ligatur, vt non proficiat quantum possit, velit, vel debeat. Persecutio verò temporalis in vinculis illis figuratur, quibus Ezechielem ligari jubet Dominus, cùm ait. *Et tu fili hominis. Ecce ego posui vincula super te, & ligabunt te in eis.* Prophetarum siquidem verba, similiter & opera, plerumque proponebantur in exemplum populo Israël. Nam in signum persecutionis, qua in Babylone ligari debebant & captiuari, ligatus est Propheta coram eis, sicut dictum est. *Signum est domui Israël.* Occupatio autem in litio illo designatur, quod & illa Dalila capillis Samsonis innexuit, vt infigeret terræ. Per capillos enim capitis cogitationes mentis, per litium quod capillis innexuit, occupationes cogitationum: quæ tunc litio terræ infiguntur, cùm per aliquam occupationem in terrenis cogitationes inuoluuntur. Vel certè occupatio, vt ait beatus Gregorius in Moralibus figurari potest in mola asinaria, quæ alligari debet collo ejus, qui vnum de pusillis Dei scandalizat. Dicatur ergo Ecclesiæ de Prælatis. *Solve vincla colli tui.* Nam vt sequi Christum valeat Ecclesia, oportet vt prælati ejus & amaritudinem tentationis, & fragilitatem carnis, & persecutionem insuper paruipendant, & occupationem temporalem interdum dimittant, vt orationi vacent, sicut scriptum est. *Vacate & videte.* Vel certè per collū sacrum designatur eloquium, vt ibi. *Collum tuum sicut turris Dauid.* Sacrum enim eloquiū sicut turris Dauid est, cùm in eo propugnacula munitionum contra ignita tentationum tela reperiuntur. Hujus ergo colli vincula impedimenta illa possumus apellare, quæ prædicatorē sacri eloquij in verbis impediunt, quod plerumque facit obscuritas verborum, infidelitas auditorum, timor & prohibitio potentium. Obscuritas enim verborum in vinculis illis designatur, de quibus Baltassar loquitur Danieli, dicens. *Scio, quia potestatem habes obscura interpretari, & ligata dissoluere.* Repetitio enim est, quia quod priùs dixerat, *obscura*, repetit,

Marginal notes: *Iob 13.* — *Ezech. 11.* — *Psal. 103.* — *Cantic. 7.* — *Cant 4. & 7.* — *Prælati sunt collum Ecclesiæ.* — *Psal. 109.* — *Isai. 9.* — *Luc. 2.* — *Isai. 53.* — *Psal. 21.* — *Iudic. 16.* — *Ezech. 3.* — *Gregor. 6. Mor. c. 26.* — *Occupatio molæ asinariæ comparatur.* — *Isai. 58.* — *Psal. 33.* — *Scriptura sacra turris est Dauid.* — *Dani. 5.*

cùm dixit, *ligata*: & quod priùs dixerat, *dissoluere*, repetijt, cùm dixit, *interpretari*. Infidelitas auditorum designatur in vinculo, quo ligabatur os Zachariæ, qui cùm verbũ Angeli de natiuitate Ioannis credere nollet, audiuit. *Eris tacens, & non poteris loqui.* Postea verò nato Ioanne credidit; & statim solutum est vinculũ oris ejus, & prophetauit dicens. *Benedictus Dominus Deus Israël*, &c. Prohibitio verò designatur in vinculo, de quo scriptum est. *Non alligabis os boui trituranti*, id est, non prohibebis verbum hominis bene operantis. Dicatur ergo prędicatoribus Ecclesiæ. *Solve vincla colli tui.* Ac si apertè dicatur. Quia jam nuda & aperta sunt, quæ dicta sunt de filio hominis, tollatur offuscatio, remoueatur infidelitas à corde, non terreat potentium prohibitio: sed quasi tuba exalta vocem tuã, & dic ciuitatibus Iudæ, *Ecce Deus vester.* Vel quia per collum elationis altitudo designatur, vnde filiæ Sion reprobatę sunt à Deo, pro quòd ambulauerunt extento collo: non immeritò colli vincula possumus appellare, ea quæ cordi elationem innectunt, ne possint dissolui. Tria ergo sunt, quę elationem cordi adstringunt, ignorantia scilicet veritatis, affectus peccandi, & obstinatio mentis. Tunc enim homo superbus efficitur; cùm nec Deum, nec seipsum cognoscit, cùm peccare diligit, & cùm vocem monentis negligit. Ignorantia siquidem veritatis designatur in vinculo, quo ligata erat asina in templo; de qua Dominus discipulis præcepit dicens. *Ite in castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam & pullum cum ea. Soluite, & adducite mihi.* Quid enim per asinam, nisi Gentilitatem intelligimus, de qua per Isaïam dicitur, *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui?* In boue Iudæos, in asino Gentiles significauit. Hæc igitur ignorantiæ vinculis adstricta jugo Dei supponi nolebat: donec per prædicationẽ Apostolorũ ab ignorantiæ vinculo soluta, jugo est mancipata diuino. Affectus verò peccandi satis apertè illis in vinculis figuratur, quibus in monumento ligatus Lazarus tenebatur. De quo & Dominus ait. *Soluite eum, & sinite abire.* Si enim per Lazarum peccator designatur; non immeritò vinculum peccatoris affectum peccandi designat. Per affectum siquidem peccandi peccator peccato ligatur. Obstinationem verò mentis figurari dicimus in vinculis illis, quibus ligati leguntur quatuor Angeli in flumine magno Euphrate, prout audiuit Ioannes vnã vocem de cornibus altaris. Ait enim. *Et audiui vnam vocem de cornibus altaris clamantem. Solue quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.* Quid enim per quatuor Angelos, nisi quatuor tentationum genera intelligimus? Et bene per Angelos tentationes designari dicimus: quia sicut sunt administratorij spiritus missi in orbem, ad annuntiandam Domini voluntatem; ita à diabolo mittitur tentatio, vt per eam diaboli voluntas insinuetur. Quatuor ergo sunt genera tentationum. Alia enim leuis est & occulta, vt timor nocturnus, alia leuis & aperta, vt sagitta volans in die, alia grauis & occulta, vt negotium perambulans in tenebris, alia grauis & aperta, vt dæmonium meridianũ. Sicut ergo illi dicuntur Angeli, qui bona nuntiant; ita & tentationes Angeli dici possunt, quia mala nobis nuntiant. Angelus enim nuntius interpretatur. Sed illi qui bona nuntiant, calodæmones; qui autem mala, cacodæmones nuncupantur. Isti ergo Angeli ligati sunt in flumine magno Euphrate, quando in fluxa mente per obstinationem & mentis duritiam astringantur. Dicatur ergo. *Solue vincla colli tui, captiua filia Sion*: quia si contemplationis culmẽ velis attingere, (nam Sion speculatio dicitur) oportet, vt primò Deum cognoscas, & postea teipsum; vt peccandi voluntatem dimittas, & ad cœleste desiderium cor tuum emollias. Sic enim absque omni impedimento occurrere poteris illi cum illa quæ clamat. *Curremus in odore vnguentorum tuorum*: ascendendo videlicet de virtute in virtutem, donec videamus Deum Deorum in Sion, id est in altitudine contemplationis, adjuti gratia Saluatoris nostri Iesu Christi; qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Diuersa vincula, eorúmque significatio.* *Luc. 1.* *1. Corin. 9.* *Tria elationem generant.* *Matt. 21.* *Isai. 1.* *Ioan. 11.* *Apocal. 9.* *Isai. 52.* *Cantic. 1.*

## Sermo I. *De Natiuitate Domini.*



VERBVM *caro factum est.* Verbum abbreuiatum de Verbo abbreuiato audiuimus. Sed dum breuis esse laboro, obscurus fio. Quippe quia verbum abbreuiatum & obscurum de Verbo abbreuiato & obscuro loquimur. Sed verbum meum, quia abbreuiatum, obscurum: Verbum vero illud, quia obscurum, abbreuiatum. Obscurum enim erat, antequam esset abbreuiatum: & abbreuiatum est, vt esset manifestum. Antequam esset abbreuiatũ videri non poterat oculis mentis: abbreuiatum verò videri potuit oculis carnis. Verbum erat non breuiatum, nec dici poterat: verbum abbreuiatum fuit, & dici potuit. Dici fortè potuit, non quid erat, sed quòd erat: sed dici non potuit, quid erat, sed quid non erat. Deus enim Verbũ erat. Nemo autem dicere potest, id quod est; sed dicere potest, quid non est. Negatiuæ enim de Deo compactæ sunt compactæ sunt; affirmatiuæ incompactæ. In hoc ergo quòd Verbum erat, ipsum homo fari non poterat: sed Verbũ caro factum est, & tunc infans factus est. Verbũ ergo fuit, & ipsum homo fari non potuit, infans fuit, & ipsum homo fari potuit Verbum erat, quod fari non potuit. Isaïæ sunt verba, *Generationem ejus quis enarrabit?* Infans fuit, quem fari potuit Matthæus, cùm ait. *Liber generationis Iesu Christi.* O Verbum ineffabile, & infans fabilis! O Verbum ineffabile apud Patrem! & infans fabilis apud matrem. Vt quid istud? Quia jubilus cœlestis Verbum Patris, nec omnino dici potest; nec omnino debet taceri. Sed dici non potuit, quia Verbum est: taceri non debet, quia infans est. Videsne? verbis proprijs impropriè, improprijs propriè designatur. Et quia verba propria non habemus; verbis improprijs ad ejus notitiã, prout dederit, ascendamus. Verbum Patris est; & vt vsu humano loquamur, verbum Patris substantiuum est, verbum cum Patre æternum, verbum indeclinabile, figuræ simplicis, præsentis temporis, muneri singularis, infinitiui modi. Legitis hæc & intelligitis? Fortè dicitis, legimus; nec vnũ ïota de tota lectione præterimus, & intelligimus: sed ex regulis Prisciani ita edocti non sumus. Bene. Vna est lectio vestra & mea: sed

*Ioann. 1.* *De Deo scimus, quòd sit, & quid non sit, non quid sit.* *Isai. 53.* *Matth. 1.*

vestra docta, mea indocta. Et quamvis vna eadémque sit lectio, sensum tamen humanum ex verbis humanis colligitis, ego verò spiritualem. Animaduertite igitur spiritualem intellectum: vt vnus & idem nobis intellectus sit, meus spiritualis, & vester humanus. Dixi à principio, verbum Patris substantivum esse; quia consubstantiale est Patri verbum suum. Si enim accidentale esset; & adesse & abesse posset. Sed fortè dicitis. A verbo Pater abesse potuit, quia verbum dixit, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* Hæc in persona Filij dicta negare non possumus. Nam in Euangelio dicit. *Eli, Eli, lamma sabacthani?* Vnde & Psalmista ad majorem argumenti rationem adjungit. *Deus meus, clamabo per diem & non exaudies.* Clamat se Filius derelictum à Deo, & non est exauditus: ergo est derelictus. Pensatis quid, sed non propter quid, dictum sit. Verba enim sunt filij hominis entis filij Dei: qui prędestinatus est filius Dei in virtute, vt esset filius hominis & filius Dei. Clamat igitur filius hominis se in Passione derelictum quoad protectionem diuinitatis, nō quoad diuisionem vnionis: quoniam tunc non solùm Pater, sed ipse Filius seipsum dereliquit. Nam si seipsum defendere vellet, prout posset; quis salutem nostram operatus esset? Posset fortè mala voluntas esse à diabolo, vel Iudæo; sed potestas non potuit esse, nisi à Deo. Hinc est, quòd Filius ait. *Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper.* Et alibi. *Nemo tollit à me animam meam: sed ego pono eam, & iterum sumo eam.* Rursus quòd substantiale Patri sit Verbum, potest probari. Ex omnibus enim quæ facta sunt, dixit Dominus, & facta sunt. Ergo per Verbum omnia fecit. Vel ergò duo omnipotentes fuerunt; vel idem est Pater & Verbum. Sed duo omnipotentes esse non possunt; quia adhoc vt alter omnipotens esset, alterius potentiam posse comprimere necesse esset: alioqui aliquid potentiæ ejus deesset, & sic omnipotens non esset. Quia igitur vnus est omnipotens, & Pater est omnipotens, & Verbum est omnipotens: vnum atque idem esse Patrem & Verbum, necesse est. Et quia prorsus vnum; proculdubio vnum Deum, vnam substantiam. Est igitur activum verbum, non solùm ex ijs quæ facta sunt, sed ex ijs quæ facienda erant, antequam quidquam fieret. Nam sicut voluntas artificis habens præ oculis omnē materiam domus faciendæ, fertur super illam, & quodammodo jam mente facit, dum quid de quo facturus sit proponit; ita in summo artifice omnia quæ facta sunt, præsentialiter fuerunt: vt sicut domus facienda primò fit in scientia artificis; fit & materialiter, cùm læuigantur lapides & ligna; fit etiam essentialiter, cùm in structura disponūtur læuigata: ita & summus artifex per verbum omnipotens fecit omnia, vt in præscientia incubaret faciendis, in materia factis, in essentia ordinatis. Vnde dictum est, *fiat & fecit, & facta sunt.* Quid est enim dicere, *fiat lux*, nisi quòd Verbum genuit, in quo erat, vt fieret lux; & erat, antequam quidquam fieret? Quod igitur dictum est, fiat, refertur ad opus in præscientia: quod fecit, ad opus in materia: quod factum est, ad opus in essentia. Quòd ergo primò fecit, quòd facta ordinauit, quòd ordinata humanæ vtilitati exposuit, totum in præscientia fuit; & illa præscientia ab æterno fuit. Ab æterno ergo præsciuit vt faceret, ordinaret, exponeret. Ergo facere, ordinare, exponere, in Deo æternaliter fuit. Et sicut videmus, quia primò facta sunt, quæ facta sunt, & postea ordinata, tandem exposita; vt quasi principium sit humanæ vtilitatis benigna rerū expositio, expositionis autem & vtilitatis sapiens dispositio, dispositionis autem expositionis & vtilitatis rerum compositio; totū ex præscientia artificis emanauit, cùm sic componere, disponere, exponere proponebat. Erat igitur benignitas exponens ad omnia facta principiū, sapientia ordinans benignè exposita, potentiā agens sapientiā & benignitate: vt sic sapientia totum haberet à potentia, benignitas verò simul à sapientia & potentia. Et quamvis diuersitas videatur in actibus, nulla tamen diuersitas erat in agente. Quia nec à seipso aliquis artifex differt, quando quid cogitat disponere, ordinare, exponere: quamvis sit aliud disponere, ordinare, exponere. Ita Deus vnus erat ante sæcula, qui potenter omnia disposuit, sapienter ordinauit, benignè exposuit. Nec aliquid erat potentia componens, sapientia ordinan[s], benignitas exponens, nisi vnus Deus; qui per partes diuidi non potest, quia simplex est, & corpus non est; nec aliquid in eo imperfectū, eo quòd omnino bonus est. Vides igitur ex prædictis, quòd idem est sapientia, potenti[a], benignitas, in Deo. Et tamen sapientia est à potentia, & benignitas ab vtrâque. Et cùm nihil aliud dicamus potentiam, quàm Patrem, sapientiā quàm Filium; benignitatem, quàm Spiritum sanctū; ex rebus factis potest argumentari, quòd vnum atque idem est Pater & Filius & Spiritussanctus: Filius tamen à Patre, Spiritussanctus ab vtroque. Et quamvis vnum sint, quibusdam tamen proprietatibus distinguuntur; sicut proprium fuit potentiæ vt ageret, sapientiæ vt ordinaret, benignitatis vt exponeret. Quòd tamē potenter fecit, sapientiæ & benignitatis fuit: quòd benignè exposuit, potentiæ & sapientiæ fuit. Hinc est etiam, quòd cùm idem sit Pater & Filius & Spiritussanctus; proprium Patris fuit, vt in voce audiretur; proprium Filij, vt baptizaretur; proprium Spiritussancti, vt in columba videretur. Tamen vt Pater audiretur, operatus est Filius & Spiritussanctus; vt Filius baptizaretur, operatus est Pater & Spiritussanctus: vt Spiritussanctus videretur in columba, operatus est Pater & Filius: quia profectò inseparabilia sunt opera Trinitatis. Quia igitur vnum est cum Patre & Spiritu sancto Verbum, bene indeclinabile dicitur, quia idipsum est. *Tu autem,* ait psalmista, *idem ipse es.* Vnde Iacobus. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Et alibi. *Stabilisque manens dat cuncta moueri.* Non enim declinatur de loco ad locum, qui vbique est; non declinatur per vicissitudines temporum, qui semper est; non per varietates ætatum, qui ab æterno est: non per diuisiones partium, qui corpus nō est; non per mutationes dignitatum, quia Deus est: non per diuersitates affectuum; quia semper idem est. Nam si iratus fuisse, vel pœnituisse legitur, figuratiuè dicitur; quia nullus in Deum cadit affectus. Sic iratus dicitur, quia punit: pœnituisse, si quod fecit, delet, quod facere pœnitens solet. Quia autem ens à Patre vnum est cum Patre, bene simplicis prædicatur

*Psal. 21.* *Matt. 27.* *Quo sensu Christus in Passione à Deo fuerit derelictus.* *Ioan. 19. & 10.* *Pater per Verbum fecit omnia.* *Genes. 1.* *Personæ diuinæ proprietatibus distinguuntur.* *Matt. 3.* *Psal. 101.* *Iacob. 1* *Boët.* *Immutabilitas Dei.*

figuræ, cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris. Non figura Patris, quasi à Patre figurata, nec figura quasi ad Patris figuram; sicut homo imago Dei est; sed ad Dei imaginē. Nec figura Patris, quòd ad Patris similitudinē: non enim participat cum Patre aliquam similitudinem: quia non est participatio, vbi totalitas est; non est similitudo, vbi est identitas. Nulla in eo diuersitas, qui de se dicit. *Qui videt me, videt & Patrem.* Vna igitur substantia est Pater & Filius, vna prorsus figurans omnia, neutra ab altera figurata. Attende super hoc euidens argumentum. Splendor solis à sole est, non sol à splendore: vnum tamen splendorem emittunt sol & splendor solis. Numquid sibi diuersus est splendor emissus? Nonne si quis à te quæreret, quid lucet in domo, nonne bene responderes, sol? Vel si hoc iterum quæreret, numquid bene dicere posses, splendor solis? Numquid de duobus splendoribus locutus es, cùm dixisti, sol & splendor solis? Non vtique, sed ad vtrúmque respondisti; quia vnus splendor est sol & splendor solis: & tamen, vt dictū est, splendor solis à sole est. Et quamvis ab ipso sit, coæui tamen sunt; quia numquam splendor sine sole, nec sol sine splendore. Sic igitur quāvis à Patre sit Filius, coæterni tamen sunt. Propter hoc præsentis etiā temporis est, quia apud ipsum illud æternum *hodie* est; quod nec præteritum nouit, nec futurum. Vnde Pater ad Filium. *Ego hodie genuite.* Quod in alio Psalmo exponitur, cùm dicitur. *In splendoribus sanctorum ex vtero*, id est ex diuinitatis secreto, *ante luciferum genui te.* Apud ipsum enim *erit* non est; quia ab æterno est. Apud ipsum *fuit* non est; quia finem habere non potest. Apud ipsum ergo *est* semper est. Quod fuit enim vel quod erit, apud ipsum non est: quia quidquid fuit vel erit, in ipso est. Et quamvis vnitas vel singularitas sit in substantia, tamen in personis est pluralitas: ita vt nec singularitas confundat pluralitatem, neque pluralitas separabilem reddat singularitatem. Plures sunt, & non vnus: vnum sunt, & non plura. Vnum dico ab vnitate, non vnum ab vnione. Tres personæ sunt vnum. Adoratur Trinitas, & tamen quia diuersa non sunt, non est ibi triplicitas. Nulla prorsus diuersitas, quia prorsus vnitas: & tamen pluralitas, quia distincta Trinitas. Non est ergo differentiæ adhibenda diuisio, sed distinctionis discretio. Vnum est enim Pater & Filius & Spiritussanctus. Distinguitur tamen Pater à Filio, quia Pater est genitor, vel ingenitus, Filius genitus. Vna eadémque sapientia Pater & Filius, & tamen sapientia genita Filius, sapientia ingenita Pater. Nec sapientia genita est sapientia ingenita: vna tamen sunt sapientia. Similiter Spiritussanctus, cùm sit eadem sapientia cum Patre & Filio, tamē nec sapientia ingenita, nec genita sed procedēs. Nec dicere eam debemus ingenitā, ne Pater videatur: neque genitā, ne Filius credatur: sed securiùs procedentem, vt ab vtróque distinguatur. Attendite fratres, quare dixerit Isaías. *Generationem ejus quis enarrabit?* Quis enim generationis hujus modum poterit diffinire? Absque modo est, quia infinitus est. Intelligite tamen in humanis, quod latet in diuinis. Intelligite per aliquid simile, quod latet in rei veritate. Dixit Iesus discipulis suis. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam manentem in vobis.* Magna & vtilis sapientia, & quis eam Christum docuit? Quis enim consiliarius ejus fuit, & quis eum docuit scientiā? Prorsus indocta est. Huic autem doctrinæ testimonium perhibet Ioannes & scripsit hæc, provt à Christo edoctus fuit. Vna ergo fuit sapientia Christi & Ioannis: sed fuit in Christo indocta, in Ioanne docta. Quòd autem Ioannes scripsit hæc, videmus scriptum, legimus & intelligimus. Quis illam sapientiam me docuit? Non Ioannes, quia Ioannem nūquam vidi, nec alius à Ioāne. Ergo sapientia mea docta non est. Tamen si Christus hanc sapientiam nòn docuisset Ioannem, nec ego hanc sapientiam habuissem. Ergo etsi mihi sapientia mea docta non est, non tamen indocta est, Ioanni enim docta est. Vna eadémque sapientia Christi, Ioannis, & mea: sed in Christo indocta, Ioanni docta, mihi quodammodo neutrum, sed procedens; quia à Christo qui Ioannem docuit, & à Ioanne qui scripsit, sapientiam hanc accepi. Principium habuit sapientia mea à Christo & Ioanne: principium habuit sapientia Ioannis à Christi, sapientia Christi à nullo. Et tamen vna eadémque est ista sapientia. Est igitur sermo Ioannis quasi genitus à sermone Christi; sermo Christi quasi genitor sermonis Ioannis; sermo meus quasi procedens à sermone Christi & Ioannis. Vnus tamen sermo Christi, Ioannis, & meus. Vides igitur, quòd aliquod verbum vnum & idem est; & tamen secundùm aliquid indoctū, quod neque doctum dici possit neque procedens; secundùm aliquid ita doctum, quod nec indoctum dici debeat: quia quod doctum est, indoctum non est, nec ea processione procedēs, qua procedit in legente. A Christo enim in Ioannem processit per doctrinam eruditionis; à Ioanne in me per studium lectionis. Ita vnū atque idem prorsus Pater & Filius & Spiritussanctus: & tamen genitor est Pater, ita vt neque genitus, neque procedens possit esse: ita genitus Filius, quòd neque genitor, neque procedēs à Patre, processione, qua Spiritussanctus. Nam & secundùm quid procedere dici potest à Patre. Vnde ait. *Processi à Patre, & veni in mundum.* Procedit enim Filius generatione, Spiritussanctus missione. Et est principium Filij & Spiritussancti Pater, principium verò Spiritussancti Filius; principium ad omnes creaturas Spiritussanctus. Sicut si ego vobis sermonem prædictum primò notum facerem, quem scripsit Ioannes, & audiuit à Christo, sermo meus vestræ doctrinæ esset principium, sermo Ioannis ad meum, sermo Christi ad Ioannis & meum, vnus per omnia sermo. *Et Verbum caro factum est.* Non Pater, non Spiritussanctus caro factus est, quamvis vnum sint Pater & Filius & Spiritussanctus, solus tamen Filius carnem assumpsit. Cùm enim diceret Christus, *nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. intellexerunt quidam carnaliter, vnde scandalizati voluerūt abire retrorsum. Credebant enim, quòd in illa forma in qua crucifixus est, deberent eum manducare, non in sacramento panis & vini. Dixit ergo eis Iesus. *Hoc vos scandalizat? Verba quæ ego loquor, spiritus & vita sunt*: & aperuit illis sensum. In Christo sensus erat, non carnalis, sed spiritualis: in discipulis illis intellectus carnalis & spiritualis. Nam quia car-

Margin notes:

*Ioan. 14.*

*Psal. 2. & 109.*

In Deo non sunt *est* & *erit*, sed solùm est.

*Spiritussanctus nec genitus, nec ingenitus est.*

*Isai. 53.*

*Ioann. 6.*

*Indocta, id est, non accepta per alienam doctrinam.*

*Ioan. 16.*

*Spiritussanctus est principium solum ad extrà.*

*Ioann. 6.*

*Error Capharnaïtarum in quo situs.*

nalis, scandalizati sunt: & quia tandem spiritualis, ait Petrus. *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Verbum in Christo caro non erat; quia caro & sanguis non reuelabat ei. Verbum in discipulis quasi caro erat. Idem erat discipuli & magistri: sed in magistro diuinum tantùm, in discipulo verò humanum pariter & diuinum. Sed quod humanum erat in discipulo ex infirmitate: & quod diuinum erat in ipso, non ab ipso erat, sed ex virtute diuina. Quid miraris in Dei Filio, quid miraris in Dei Verbo, & non miraris in isto? Vnum est enim Pater & Verbum, vnus Deus, vnus omnipotens; & Verbum caro factum est, & Pater caro factus non est. Verbum carnem assumpsit, & Deus esse non desijt: quia id quod fuit permansit; & quod non erat, assumpsit. Sed quod carnem assumpsit, ex infirmitate contraxit Virginis: quod Deus permansit, ex eadem Patris diuinitate, quæ ipse erat, habuit: & ipse sua erat diuinitas, & ipse erat Patris diuinitas. Quod igitur erat Verbum substantiuum, carnem assumendo factum est adjectivum: quia sic sibi carnem vniuit, vt nec commixtionem pateretur vnio, neque diuisionem. Non enim diuinitas versa est in carnem, nec caro in diuinitatem; nec potuerunt separari post vnionem. Sed filius hominis fuit in sinu matris, & filius Dei in sinu Patris. Nam quamvis in morte anima separata fuerit à carne, tamen nec caro nec anima separari potuit à diuinitate: quia totus fuit in inferno propter animam, totus in sepulchro propter carnem, totus in cœlo propter diuinitatem. Nonne cùm librum legis, & pellem & scripturam conspicis? Vna sola pellis, & vna sola scriptura est: & vnus ex scriptura & pelle intellectus. Potest scriptura separari à pelle; sed intellectus deleri non potest. Tale est Verbum caro factum. Pellis caro, scriptura anima, intellectus tamquam Verbum intrinsecum, Verbum Patris. Anima potuit separari à carne, intellectu Verbi non recedente. Et hoc Verbum caro factum est, id est Deus homo factus est. Nam per carnem figuratur homo, vt ibi. *Et videbit omnis caro salutare Dei.* In hoc autem quod caro factum est, abbreuiatum est. Verbum enim abbreuiatum fecit Dominus super terram. Dispendiosum siquidem sermonē & auditoribus plenum fastidio fecerat in verbo legis & Prophetis, & Agiographis, multipharié multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis. Dixerant enim qui tunc temporis erant, non deest, qui impleat; sed deest, qui jubeat. Propter hoc non defuit, qui jussit; sed defuit qui impleuit. Nam vt talis eorum retunderetur superbia, impositum est eis, teste Petro, tale jugum, quod nec ipsi, nec eorum Patres portare potuerunt. Propter hoc ad verbum jubentis nec beneuoli, nec dociles, nec attenti fuerunt: quippe duræ cervicis homines, & frontis indomabilis, & lapidei cordis, vt ait Propheta. *Obturauerunt aures suas tamquam aspides surdæ.* Sed contra Moysen murmurantes suspirabant ad ollas carnium, quas reliquerant in Ægypto. Vt igitur auditores suos dociles & beneuolos redderet & attentos, Verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram. Abbreuiatū quippe in mundo, abbreuiatum in vtero, abbreuiatum in patibulo: & quod mirabilius est, eò plus abbreuiatum, quò in patibulo magis extensum.

*Corpus & anima semper vnita verbo fuerunt.*

*Isai. 52.*

*Psal. 57.*
*Exod. 16.*

Extendebatur & abbreuiabatur, & quò magis videbatur, eò plus abscondebatur. Ex multis igitur verbis, quorum scientia prolixa & incōprehensibilis erat, excepit sapientia Patris verbum abbreuiatum, cujus doctrina salubris est & compendiosa. Nam cùm verborum aliud sit substantivum, aliud adjectivum; aliud activum, aliud passivum, aliud deponens, aliud neutrū: omnia in vno Verbo instaurata sunt deponenti & abbreuiato. Nam verbum substantivum Deus in Patre, verbū adjectivū Deus in carne. Verbum activum in rerum creatione; verbum passivum in passione: verbum deponens in depositione animæ, quādo separata est à corpore. Vnde ait. *Nemo tollit animam meam à me; sed ego pono eam, & iterum sumo eam.* Quod igitur indeclinabile, vt suprà diximus, erat & immobile, vt scriptum est. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Et iterum. *Stabilisque manens das cuncta moueri.* Nam qui moueri non poterat, aut secundùm tempus, aut secundùm locum; omnia tamen mouebat, aut secundùm tempus & locum, vt corporalia: aut secundùm tempus & non locum, vt spiritualia; in abbreuiatione sua factum est mobile secundùm distinctionem temporum, aut modorum, aut personarum. Præsens quippe tempus suæ abbreuiationis fuit illa temporis plenitudo, in qua se præsentem hominibus indicauit. Sub legis quidem tempore, sub quo sui aduentus tempus prænuntiauit, non fuit temporis plenitudo, sed tempus imperfectū; maximè quia nihil ad perfectum adduxit lex. Sacramenta quippe legis non illud efficiebant, quod figurabant; sed erāt signa rei, non res signi; non significata, sed significantia. Sub gratia verò sacramenta efficiūt quod figurant; & completa est omnis Prophetia; & perfecta sunt, quæ dicta sunt Mariæ à Domino. Vnde & ista perfectio sub tempore sextæ ætatis completa est, vt sexta ætate repararet hominem, qui fecerat eum sexto die: & qui sub senarij perfectione totum primæ conditionis opus compleuerat, sub senarij perfectione reparationis humanę perfectum aduenisse tempus ostenderet. Completa autem perfecti plenitudine temporis, quæ tunc consummata est, quando dixit in cruce, *Consummatum est*: sicut in prima conditione post sextum diem die sabbati requieuit ab omni opere quod patrarat: ita quando post istam perfectionem suæ abbreuiationis & nostræ Redemptionis, in die Ascēsionis portas eleuans æternales plusquam perfectæ, quia nec factæ, æternitatis suis aditum reserauit. Cujus reserationis gloria statutis ad dexteram tunc patebit, cùm futurum Iudicis tempus aduenerit; ex tūc erit tempus sine fine, tempus infinitum, quia sine fine mansurum. In diebus igitur suæ abbreuiationis indicatiuo modo vti voluit, quando discipulos suos erudiuit: & quod vtile, quod salubre, quod necessarium erat, verbis & operibus indicauit. Imperatiuo modo in præceptis & miraculis; optatiuo autem in deuotione orationis, & desiderio nostræ salutis. Conjunctiuo verò in vnione animæ & corporis, in confœderatione vtriusque parietis, in copula qua copulat ima sūmis. Infinitiuo etiam modo in distributione gloriæ, quæ nullo terminatur fine. Cùm autem omnibus hanc præparat gloriam, qui eum sequuntur ad vitam, vtitur impersonali modo: quia cujus-

*Verbum est activū passivum, &c.*

*Ioan. 10.*

*Psal. 101.*

*Boët. de Consol.*

*Sacramentorum vet. & noua legis differentia.*

*Ioan. 19.*

*Deus omnes ad se vocat.* cúmque sit generis vel ætatis, siue conditionis, omnes vocat ad se, quia non est personarum acceptor Deus. Gerundiuo autem modo vsus est tamquam pius medicus, quando dolores nostros ipse tulit; & languores nostros ipse portauit: & cùm casus secundat asperos, & dat gerendi gratiam. Supino modo vsus est, cùm se supposuit Mariæ & Ioseph. Vnde habes. *Et subditus erat illis.* *Luc. 2.* De persona verò Verbi hoc intelligendum est, quòd sicut in doctrina Philosophialis verbi tres esse personas docemur, & vnum verbum; ita in doctrina fidei tres personas confitemur & vnum Deum. Verbum verò incarnatũ & abbreuiatum non desijt esse quod erat, sed incœpit esse quod non erat. Non desijt esse Deus, & vna substantia cum Patre: nec desijt esse alia persona à Patre, sed in sua abbreuiatione idem Deus, eadem substantia illa, quæ tũc erat persona non alterata, sed à Patre altera. Hinc est, quod Apostolus ait. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute.* *Rom. 1.* In virtute quidem Dei prædestinatus fuit, vt filius hominis esset ens filius Dei. Cúmque in sua majestate, vt dictum est, esset simplicis figuræ, nam etsi aliquis figura Dei dicitur, quia ad Dei figuram factus est, iste singulariter figura Patris est, vt Apostolus ait, *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus;* *Hebr. 1.* tàmen non sic figura, quòd ad figuram: quia totam implet Patris figuram: sed in nullo dissimilis aut inæqualis; nec similis participatione similitudinis aut æqualitatis; sed illud idem quod Pater est, ratione identitatis. In abbreuiato tamen Verbo figura hominis foris patebat; sed figura Dei, nec alia à Deo, intus latebat; & erat vna persona homo patens & Deus latens. Quid igitur? Dicemus hoc Verbum abbreuiatum esse figuræ compositæ? Sed super hoc illis diffinitiuam sententiam reservamus, qui Ioannis Chrysostomi authoritate innitentes, dicunt, hominem illum, non ex anima rationali & carne tantùm, sed ex humana & diuina natura, id est ex tribus substantijs, diuinitate, carne, & anima, constare: & hunc Christum fatentur, & vnam personam tantùm esse, ante Incarnationem quidem solum modo simplicem, sed Incarnatione factam compositam ex diuinitate & humanitate: nec est ideo alia persona, quàm priùs. *Persona Christi post Incarnationem est composita.* Vnde Ioannes. *In Domino nostro Iesu Christo duas quidem naturas cognoscimus, vnam autem hypostasin ex vtrisque compositam.* Ideo autem istis hanc sententiam reservamus; quia sunt alij, qui eis contradicunt, & in Incarnatione Verbi non solùm personã ex naturis compositam negant; verum etiam hominem aliquem, vel aliquam substantiam ibi ex anima & carne compositam vel factam diffitentur; sed sic illa duo, scilicet animam & carnem, Verbi personæ vel naturæ vna esse ajunt, vt non ex illis duobus vel ex illis tribus anima, substãtia, vel persona fieret, siue cõponeretur; sed ex illis duobus velut indumento Verbum Dei vestiretur, vt mortalium oculis congruenter appareret: non quòd illa duo vel aliqua res ex illis composita, sint vna persona cum verbo. *Heresin Eutychetis sapit hæc sententia, aut in-intelligibilis est.* Vnde Apostolus. *Et habitu inuentus vt homo.* *Philip. 2.* Vnde Augustinus istud verbum Apostoli tractans, manifestè ostendit Deum dici factum esse hominem, vel esse hominem secundùm habitum. Propter hujusmodi, viam tam arduam non consulit intrare nostra cæcitas absque duce. Hoc autem dicere possumus, quòd quando non erat ei species, neque decor, sed videbatur quasi leprosus & percussus à Deo & humiliatus; & exinanita videbatur figura Dei, & deformis & decomposita videbatur figura hominis, vt pote cruentata, & sputis oblita, pallescens colaphis, morte denigrata. Sed quoniam pro nobis hæc omnia sustinere dignatus est, qui sic se abbreuiauit, qui sic se declinauit, & vt ita dicam, defigurauit, imò & exinaniuit: nos dilectissimi fratres ad ejus exẽplum abbreuiemus superbiæ nostræ fastum, declinemus à concilio ludentium, defiguremus pallore jejunij decorem lascivum, exinaniamus lasciuiam carnis & morum: vt in omnibus configurati Verbo abbreuiato, & formam hominis foris deformem, & formam Dei intus formosam conservemus: ejus tamen auxilio, sine quo nihil facere possumus, nec debemus: imò per quem omnia sunt, nec cessant fieri. Quoniam etsi abbreuiatus fuit in mundo, tamen sine mẽsura immensus, & sine magnitudine magnus semper regnauit in cœlo: quia nec diminuta erat potestas ejus cùm pateretur, nec magnitudo cùm abbreuiaretur: sed subditus in forma serui, regnabat Deus in forma Dei, cum Patre & Spiritu sancto: cujus regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum, Amen.

## SERMO II. *De Natiuitate Domini.*

LIBER *generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.* *Matt. 1.* Quia mirabilia vidim⁹ hodie, fratres: quòd sine mensura immensus, parvus jacet in præsepio: qui Verbũ, infans factus est: & admirabilis consiliarius, absque verbo: incircumscriptibilis, loco parvo conclusus in vtero; non incongruum duximus, loqui parva de magno humana de Deo; vacare & videre, quàm mirabilis sit Deus in opere suo. Antiquorum siquidem mirabilium non immemor Deus, aut minùs potens in veritate signi & re significata, aperuit quod in signo veritatis & re significante figurauit. Virga floruit absque radice, vellus maduit, & tellus aruit siccitate; rubus igne canduit absque consumptione; sic virgo peperit absque semine. Cœli rorauerunt in carnis vellere, mortalitatis rubus resplenduit Dei immortalitate. Vacate ergo & videte, quàm mirabilis sit Deus; *Figura Incarnationis.* vacate ab opere seruili, & videte libertatem gloriæ filiorum Dei. Si enim non tollatis lippitudinem ab oculis, intueri verum solem non potestis: si non claudatis oculos carnis, non potestis aperire oculos mentis. Exteriores siquidem Pauli oculos clausit Deus, qui erant aperti; vt interiores aperiret, qui erãt clausi. Sic enim Iob, vt apertos haberet oculos cordis, pepigit fœdus cum oculis suis, vt nec cogitaret quidem de virgine. *Iob 31.* Vacate ergo à transitorijs, & videte æterna; vacate ab imis, & videte superna; vacate à mundo, & vacate Deo; vacate per otium lectionis, & videte oculis intentionis; vacate legendo, & videte intelligendo. Propositus est enim nobis ad intelligendum apertè, *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.* *Matth. 1.* Et meritò, quia resarciti sunt muri Ierusalem, cessat inimicorum fortitudo, ædificatæ sunt portæ, seræ portarũ confortatæ; & in semine Abraham benedicti sunt filij ejus in ea. Et vtique bene sunt muri

ejus resarciti: quia Saluator in ea positus est murus. Bene cessare debet fortitudo inimicorum: quia ingressus est Dauid ad singulare certamen contra Philistæum. Sicut ergo illi, qui sub Nehemia & Esdra, fecerunt; & nos fratres mei, qui filij sumus cœlestis Ierusalē, faciamus. Hæc enim omnia ad nostram doctrinam scripta sunt, & facta pro nobis, in quos fines sæculorum deuenerunt. Legimus enim quòd postquam reædificata fuit Ierusalem, & inimicorū ruina cessauit, accepit Esdras librum legis, & legit in eo coram filijs Israël ad intelligendum apertè. Sic & Deus Pater in reædificatione Ierusalem, quæ sursum est, quæ est mater nostra, librum illum nobis aperuit, quem signatum Isaïas vidit: sed & Ioannes in hoc eodem libro septem signacula vidit, quæ nemo poterat soluere, donec agnus qui occisus est, aperire eum dignus inuentus est. Quia igitur agnus ille, qui coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum, septem signacula à libro remouere venit; quando scilicet nasci voluit, elegit submitti, passiones nostras absque peccato pati, tentari, iejunare, mori, & infernum mordere: non immeritò lectioni vacare debemus, qui hæc omnia nuda & aperta videmus. Olim enim, Isaïas vidit, sed nondum poterant vacare antiqui. Nam & scienti literas & nescienti porrigebatur, & legere non poterant; signatus enim erat sigillis septem. Hodie autem ita librum apertum videmus; vt & ille qui scit literas, & qui nescit, quod vtile, quod honestum, quodque necessarium est, inuenire possit & intelligere. *Beatus qui legit & audit verba libri hujus; & seruat ea, quæ in eo scripta sunt.* Nihil enim in eo superfluum scriptum est, quod possit recidi; nihil minùs dictum, quod debeat addi; nihil malè dictum, quod debeat emendari: sed totum vtile est, vt beneuoli sint auditores; totum breue, vt fiant attentiores. *Verbum siquidem abbreuiatum*, fecit nobis *Dominus super terram.* Olim librum scripsit nobis Deus, in quo sub multis verbis vnum comprehendit: hodie librum nobis aperuit, in quo multa sub vno verbo conclusit. Quidquid enim per integumenta verborum in libris antiquis de filio Dei scriptum erat, totum in hujus libri verbo explanatum est. Multiphariè enim multisque modis olim Deus locutus est Patribus in Prophetis: nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, hoc est, in Verbo suo. Hoc igitur volumen, volumen illud est, quod factum est in ore Prophetæ sicut mel dulce: ait enim. *Et cibauit me volumine illo; & factum est in ore meo sicut mel dulce.* Sed quis est liber iste? Est enim liber magnus quidam in superficie, sed paruus in sensu: quia nihil ad perfectum adduxit lex. Et est liber nihil habens oneris in superficie, sed grandis in sensu. Et est liber maximus in superficie, & incomprehensibilis intellectu. Quis enim cognouit sensum Domini: aut quis consiliarius ejus fuit? Ipse enim liber est, qui pro pelle carnem habuit, & pro scriptura Verbum Patris. Liber ergo magnus in superficie, & paruus in sensu, lex est, siue mundus iste, qui foris scriptus est per rerum formas, intus autē per rerum naturas. Quasi enim liber est reuolutus per reuolutionem temporum & dierum. Liber qui nihil habet oneris in superficie, & magnus est in sensu, conscientia hominis est,

*Septem signacula libri quæ soluit agnus.*

*Apocal. 1.*

*Isai. 10.*

*Ezech. 3.*

*Mundus liber est.*

*Conscientia hominis lib.*

grandis inquam liber, scriptus stylo hominis. Stylus hominis, defectio est humanitatis. Hic scriptus est foris, considerando visibilia; intus, considerando æterna. Major primo libro est liber iste. Nam & ea quæ in mundo sunt, & ea quæ sunt extra mundum, potest comprehendere. Sed super omnes est liber ille, qui & ea quæ in mundo sunt, & quæ in conscientia esse possunt, comprehendit. Vnde est, *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.* Verbum tamen & alia etiam comprehendit, quę in cor hominis non ascendunt. Oculus enim non vidit, & in cor hominis non ascendit, quæ cognoscent ij, qui student in eo. Vt igitur breuiter exponamus, liber maximus, est Filius Incarnatus: quia sicut per scripturam Verbū vnitur pelli; ita per assumptionem hominis Verbum Patris vnitum est carni. Quia ergo ipse est, qui omnem à Patre accepit potestatem judicij, Pater enim non judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio; non immeritò in illo volumine figuratur, in quo scriptæ sunt lamentationes, & carmen, & væ. Vnde & propter illa duo, quæ audiuit Propheta Dauid, potestatem scilicet & misericordiam, in qua reddit vnicuique secundùm opera sua, factum est in ore hujus Prophetæ, sicut mel dulce. Scriptæ sunt enim in hoc volumine lamentationes, propter eos, qui in mundo sunt positi; carmina, ijs qui in cœlo sunt eleuati; væ verò ijs, qui in inferno sunt damnati. Vel lamentationes ijs, qui proficiunt in actiua vita; carmen ijs, qui proficiunt in contemplatiua; væ ijs, qui proficiunt in neutra. Sicut in manu ejus dicitur, calix esse plenus mixto mero & fæce, quia fæx non est exinanita: ita & in sinu ejus volumen esse dicimus, vbi scriptæ sunt lamentationes, & carmen, & væ; hoc in lamentatione figurantes, quod in mixto; in carmine, quod in mero; in væ, quod in fæcis detrimēto. Et bene hunc librum in sinu Patris esse dicimus: quia in vterum Virginis filium descendisse cognoscimus. Studeamus igitur in lamentationibus, per obseruantiam mandatorum, per patientiam tentationum, per exercitium laborum: in carminibus, per gratiam deuotionis, & gaudium promissionis: in væ, per timorem humani defectus, & dolorem diuinæ cōminationis. Si enim timemus de comminatione, ita quòd gaudeamus de promissione, non deficiemus in labore vel tentatione. Studeamus igitur in libro, vbi scriptæ sunt lamentationes, & carmina, & væ: imprimis considerantes, quæ sit hujus libri materia, quæ intentio, quæ causa intentionis, quæ vtilitas: quis agendi modus, & quis titulus. Materia est materia materians omnia, vel materia materiata, vel illa quæ vna est ex materiata & materiante materia. Materia materiata est caro de Virgine assumpta: materia materians diuinitas assumēs; materia ex materiata & materiante, vna ex carne & Deo persona. Vnde & in libro legis vel Prophetarum, filius loquitur quandoque secundùm quod homo, quandoque secundùm quod Deus: multoties loquitur totus Christus. Intentio verò est, pauperes ditare, relegatos ad patriam reducere; seruos ad libertatem, peccatores ad veniam, damnatos ad gloriam sempiternam. Quasi enim sapiens mulier accendit lucernam, vt tenebrosos illuminet, vt dragmam

*Maximus liber Verbū diuinum.*

*Psal. 138.*

*Lamentationes carmen, & væ quibus.*

*Materia libri diuini.*

perditam recuperet. Quasi Angelus Tobiæ peregrinanti se comitem præbere venit, & cum tribus pueris in fornace mũdi descendit. Quasi Samaritanus semiuiuo in præsepi cœleste vnguentum effudit, quem Leuita & Sacerdos cõtempserãt: & quasi Elisæus super filium Sunamitis incurvauit se, cui baculus missus per Giezi proficere nequibat. O pia intentio, non crudelis; voluntaria, non necessitatis. Non fraudatus est à spe sua, cui sic intendit, qui expectans expectauit. *Expectans*, ait, *expectaui Dominum, & intendit mihi.* Speremus in eum, fratres, & expectemus: quia qui nobis intendit, quando venit ad nos; intendet & nobis, quando saluabit nos. In his enim omnibus non est auersus amor ejus; sed adhuc manus ejus extenta. Intendit nobis, veniendo ad nos in gratia & humilitate: intendet & nobis, veniendo ad nos in gloria & majestate. Intendit nobis gloriam promittendo, intendet & nobis reddendo. Causa verò tantæ & talis intentionis fuit hinc lapsus miseri, hinc miseria lapsi: hinc amor singularis inpensus miseris corde, hinc miseria multiplex in amante: hinc omnipotentia largientis, hinc verò largitas omnipotentis. Ijs enim sex gradibus ad thronum eburneum ascendit Salomon: quia istis sex de causis incarnari voluit de Virgine Christus: cujus vterus propter virginitatem factus est eburneus thronus. Hoc siquidem noster verus Salomon sedere venit in throno, quando coronauit eum mater sua in die desponsationis suæ. Sicut enim corona Regi conuenit, sic & thronus. Corona enim in capite, connexio affectuum ordinata in mente: Thronus virginalis vterus. In throno sedere in die desponsationis suæ venit, quando carni diuinitatem vniuit. De hoc throno legitur, quòd *Thronum fecit sibi Rex Salomon de ebore grandem, & sex gradibus ascendebatur ad eum.* In throno, vt dixi, virginis vterus, in Salomone Christus, & sex Incarnationis causę figurantur in sex gradibus. Et bene per Salomonem Christum figurari dicimus: quia ipse est, qui fecit pacem his qui longè, & his qui propè: pacem Iudæis, & pacem Gentibus, pacem Angelis & hominibus: quia ipse est, qui vtrũmque conjunxit parietẽ, diuisit maceriam: in cujus morte dissipatum est velum, vt vnum esset sanctum & sanctum sanctorum. Vnde Salomoni comparatur, quia Salomon pacificus interpretatur. Sequitur de vtilitate. Mira & admirabilis vtilitas, per quam nobis æterna reddetur jucunditas, & jucunda æternitas: vbi gaudium sine mœrore, quies siue labore: vbi nullus timor in minore, nulla exactio in majore, nullus inuidiæ rancor in pace. Vbi omnes induent in sapientia Salomonem, in mansuetudine Moysen, in velocitate Azaëlem, in fortitudine Samsonem, in potentia Cęsarem, Absalonem in pulchritudine, in justitia Noë. Ibi saliet sicut ceruus claudus, ibi videbit vt panthera cœcus. Ibi nihil extra liberum habebit seruus, nec aliquid cum seruo heres paruulus, sed erunt ibi liber & seruus, paruus & magnus, leo & agnus; & pascet eos pastor bonus puer iste paruulus, qui hodie natus est. Multa dixi, & nihil dixi: quasi balbutiendo locutus sum, quasi puer qui loqui nititur, & non potest. Quæ enim comparatio temporalis gloriæ, & perennis gloriæ? Non participant eadem ratione propositi. Hæc enim caduca sunt, illa æterna: hæc terrena, illa cœlestia: hæc adesse possunt & abesse: illa verò cùm omnibus omnia sint, numquam poterunt deesse. Sicut enim nulla potest esse conuentio Christi ad Belial, lucis ad tenebras, ita nulla est comparatio præsentis justitiæ, sapientiæ, mansuetudinis, velocitatis, fortitudinis, potentiæ, & pulchritudinis, respectu futuræ. In respectu enim illius omnes justitiæ nostræ quasi non sint, & quasi pannus menstruatæ, sic sunt coram Deo. Similiter & sapientia illi sapientiæ comparata insania est; mansuetudo Herodis crudelitas, velocitas quod aquila testudini, & lunæ celeritas pigritiæ Saturni comparata. Fortitudo verò summa pusillanimitas, potentia paupertas; pulchritudo quasi simiæ turpitudo. Multa dixi, & nihil dixi. Et quomodo potui dicere, quod nesciui? Et quomodo scire, quod in cor hominis nequit ascendere? *Non enim oculus vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascendit, quod præparauit Deus diligentibus se.* Sed hæc ideo dixi, vt cogitandi occasionem darem vobis: vt per hæc multò meliora crederetis. Modus autem agendi tantum & tale mysterium, talis fuit. In primis omnium missus est Gabriel Angelus à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomẽ Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid; & nomen Virginis Maria. Sed virgo salutata turbatur, turbata concipit, imprægnatur, & parturit. Sic cœlestis medicus morbum quem nobis inflixerat hostis antiquus, curauit partim ex similibus partim ex dissimilibus. In principio siquidem nostræ damnationis, missus est serpens à diabolo in locum, cui nomen erat paradisus, ad mulierem desponsatam viro, cui nomen erat Adam, de domo Dei, & nomen mulieris Heua. Sed mulier decepta lætatur, gaudens consentit, consentiens operatur. Illa ergo nostræ salvationis exordium fuit, cùm ab Angelo salutatur: ista damnationis, cùm à serpẽte decipitur. Illa turbata gaudium commune concepit: ista gaudens, non dico suæ, sed potiùs nostræ perturbationi consensit. Illa parturiuit authorem vitæ, ista fomitem mortis æternæ. Voluit ergo Deus Filius hominis fieri, vt homines essent filij Dei. Voluit laborare & pati, vt homines vacarent requiei: voluit esse mortalis, vt mortales non possent mori. Dedit ergo nobis sua; vt nos ei daremus nostra. Vt essent cum Deo homines, venit Emmanuel. Quid enim est Emmanuel? Nobiscum Deus. Cum hominibus venit Deus, vt homines essent cum Deo, Ieremia attestante, qui ait. *Hic est Deus noster, extra quem non existimabimus alium; qui ostendit viam suam Iacob, & Israël puero suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersat⁹ est.* Quia igitur ad homines venit, vt Iudæos & Gentes, & eos qui sunt ex Iudæis & Gentibus saluaret, vt inquinatos mundaret, oues ab hœdis separaret, hœdos abijciens, fideles regens, non immeritò græca, hebræa, & latina lingua titulus causæ libri scriptus est, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, Iesus Salvator interpretatur, Nazarenus mundans vel separans, Iudæus confessio siue confitens. Et bene Salvator dictus est; quia cùm multos legamus Salvatores, sicut in libro de Iudicibus legitur, quòd misit eis Dominus Salvatorẽ, & Ægyptij ad Ioseph;

*Psal. 39.*

*Causa Incarnationis Christi.*

*3. Reg. 10.*

*Vtilitas aduentus Christi.*

*1. Cori. 2.*

*Modus exequendi Incarnationis.*

*Pulchra antithesis de B. Virgine & Heua.*

*Baruch. 3.*

*Ioan. 19.*

*Salus nostra in manu tua est*: hic antonomasticè Salvator dici potuit: qui non tam jumentorum quàm hominũ, non tam gratiosam quàm gloriosam salutem ministrauit. Illi siquidem jumenta saluare potuerũt, non homines: & ob hoc temporalem, non æternam salutem ministrauerunt. Iste verò non tam corporibus quæ quasi jumenta sunt, quàm animabus, quas hominibus comparamus; non tam hujus temporis gratiam, quàm æternæ salutis gloriam infudit. Non enim tantùm animas, sed & corpus humilitatis nostræ conformabit corpori claritatis suæ. Studeamus ergo fratres in libro hoc, hanc eandem, quæ in libro est, habentes materiam, nullam aliam intentionem, vel intentionis causam; sed eandem quærentes vtilitatem; modum quem tenuit in studio teneamus, vt de eo qui pro nobis in titulo script⁹ est, gaudeamus: Omnis siquidẽ studij labor, cogitando, loquendo, vel operando exercetur. Si igitur aliquid cogitas, loqueris, vel operaris, quod discrepet à lege Domini, à materia libri hujus excessisti. Similiter si in opere, vel cogitatione, vel locutione tua, aliud intendas, quã pauperes recreare, nudum vestire, peregrinantibus compati, pro fratribus pati; ab intentione libri declinasti. Si verò in ipsa intentione bona aliam intentionis causam habueris quàm pietatem, & amorem omnipotentis, à causa remotus es intentionis. Plerúmque enim contingit, vt intentio boni sit, & causa intentionis bona non sit. Si enim iustam viduæ causam tractare solicitè intendat aliquis, non quidem affectu pietatis vel compassionis, sed causa cujusquam lucri temporalis, hujus intẽtio bona est, & causa intentionis bona non est. Similiter eandem vtilitatis causam, quæ in hoc est, debes imitari. Cùm enim aliquid bene intendis facere ex affectu pietatis, nullam aliam vtilitatem quæras, quàm gloriam inde perpetuam adipisci. Multoties enim contingere solet, vt pro bono opere vel fauor hominum, vel retributio quæratur temporalium. Modum etiam agendi debes in opere imitari, vt de bono opere non superbias, sed potiùs humilieris. Omnis enim qui rectè fragilitatem suam considerat, mirari debet, quomodo vel ad momentum bene operari queat. Turbari similiter debet, ne fortè propter hoc bene operandi facultas detur, vt cùm minùs cautus fuerit, ab hoste fortiùs impugnetur. Plerúmque enim à vexatione sua diabolus cessat, vt eum quem subuertere nititur, incautiorem reddat. Ita ergo turbari debes, vt bene operari non desinas. Numquam enim timor malus est, nisi quando nimius est. Virgo turbata concepit, imprægnata est, & parturiuit. Exemplum dedit tibi, vt tu turberis timore, concipias tamen cogitatione, imprægneris dilectione, delectatione parturias in salutis operatione. Sed cujus salutis? Non corporis, sed animæ. Hanc enim salutem operari non debet; quia *qui odit animam suam*, id est, vitam suam, *in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ecce fratres, doctrina cœlestis, ecce schola Salvatoris, studium filiorum Dei. Hæc scripta sunt in libro generationis Iesu Christi; & scribenda nobis in libro grandi. Scriptum quippe est. *Scribantur hæc in generatione altera.* Quæ altera? Quæ est prima, cujus ista sit altera? Generatio prima est generatio primi Adam, qui de terra terrenus est, id est, generatio Cain, generatio Esaü, semẽ Chanaã & non Iuda, viperarum genimina, generatio praua & exasperans: generatio quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus ejus: quæ studet & intendit semper, non in libro, in quo studet generatio Christi, qui est liber generationis Iesu. Habet enim & hæc generatio librum suum, qui malitiam habet pro materia sua, blasphemiam pro verbo, malam pro intentione voluntatem; pro causa intentionis mundi vanitatem: pro vtilitate momentaneam carnis voluptatem. De cujus voluptatis modo, & vtile nobis duximus, & dignum vobis, silentio præterire. Ait enim Apostolus, vt hujusmodi nec nominetur in nobis: & ad eloquium tale non permittit os discipuli beatus Benedictus aperiri. Sed altera generatio est, generatio secundi Adam, qui de cœlo cælestis est, generatio quærentium Dominum; quæ innocens & mundo corde in lege Domini meditatur die ac nocte, studet & intendit in exercitio justitiæ, in salute animæ, in compositione animi, in contemptu mundi, & in laude Dei; cujus laus & honor imperij sine fine permanet in sæculum sæculi, Amen.

*Studium salutare.*

*Ioann. 12.*

*Psal. 101.*

*Librum suum habet & praua generatio.*

*Ephes. 5.*

*S. Bened. c. 6. Regula.*

## SERMO III. *In eadem solemnitate.*

ANNO *quo mortuus est Rex Ozias vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum; & plena erat omnis terra majestate ejus*, &c. Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Multi enim Prophetæ gauisi sunt ad vmbram rei, cujus veritatis executionem videtis. Hinc est, quod Dominus loquens Iudæis ait. *Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum; & vidit, & gauisus est.* Quando vidit? Quando in figura Trinitatis tres Angelos vidit. Ergo non rem, sed rei figuram vidit, & gauisus est. Similiter Isaïas Incarnationis dominicæ diem in figura vidit, & gauisus est, dum ait. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum.* Et ne de visione dubitaret, ostensa est ei similiter in figura temporis plenitudo, qua visio debuit adimpleri. Vnde dicit. *Anno quo mortuus est Rex Ozias.* Ozias quippe Rex plebis Iudaïcæ fuit. Figuram igitur illius temporis vidit, quo Regnum Iudaïcum finem accepit: quoniam omnia hæc in figura monstrabantur ei. Nam cùm regnum Iudææ vltimum vale fecit, secundũ Prophetiam Patriarchæ Iacob, qui mittendus erat Messias aduenit. *Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est*, quod & factum est. Nam à reditu de captiuitate Babylonis fluxis circiter quadringentis septuaginta quinque annis & tribus mensibus, quibus interruptum fuerat regnum Iudæorum, imposuit sibi diadema Aristobolus Ioãnis cognomento Hircani filius, qui filios quidem non habuit, sed fratres: quorum vnum, id est Antigonum occidit, alios autem carceri mancipauit. Post quem promotus est ab vxore Aristoboli major frater ejus nequissimus Alexander, quoniam in sex annis quinquaginta millia seniorum interfecit, eo quod facinora sua detestarentur. Sed eo febre correpto & mortuo, successit ei in rem Regni sed non in nomen filius ejus Hircanus, qui à Pompeïo fuit Pontifex declaratus;

*Isai. 6.*

*Ioan. 8.*

*Christus venit, quando Regnum Iudæorum defecit.*

*Genes. 49.*

quem postea Pachorus Rex Parthorum Antigono tradidit, qui eum auribus mutilauit, & per Pachorum in regnum sublimatus est. Cùm verò Hircanum cum Phaselo fratre Herodis comprehendisset Pacorus, Herodes ad Idumæos contribules suos fugit; ille inquam Herodes Idumæus, qui dictus est Ascalonita, qui Antigono successit in regnum, quia post Antigonum qui viuente Herode sublimatus fuit à Pacoro in regno, nullus Iudæorum regnauit. Vnde Iosephus illius temporis fidelis Historiographus tele dat de Christo testimonium. *Fuit eisdem temporibus Iesus sapiens vir, si tamen eum virum nominare fas est: erat enim mirabilium effector operum, & doctor eorum, qui libenter quæ vera sunt audiunt: & multos Iudeorum, & multos ex Gentibus sibi adiunxit, Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ gentis cùm Pilatus in crucem agendum esse decreuisset, non deseruerunt hi qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis iterum viuus, secundùm quod Prophetæ hæc & alia de eo futura prædixerant. Sed & in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso dicti sunt, & nomen perseuerat & genus.* Quia ergo cessauit vnctio, dicant nobiscum aduenisse Messiam, & ipsum tunc aduenisse, quando finito regno Antigoni, qui fuit gentis Iudææ, translatum est regnum ad Herodem alienigenam. Qui in dolore ortus dominici omnes qui erant in Bethleem Iudæ pueros, à bimatu & infrà, occidit. Quamvis aliter intelligi possit, quod dictum est, *Anno quo mortuus est Rex Ozias.* Iste siquidem Ozias in principio regni sui fecit quidem quod placitum erat coràm Domino, quia & hostes debellauit & Ammonitas sibi tributarios fecit; & reædificauit muros Ierusalem, quos destruxerat Ioas Rex Israël. Sed cùm ditatus esset substantia mortali, contra Deum immortalem superbiuit. Nam in festo propitiationis indutus stola Pontificali intrauit in templum, vt incensum poneret, Azaria Pontifice cum octoginta sacerdotibus eum prohibente. Vnde factus est terræmotus, & claritas solis affulgens plus solito incidit in faciem Regis, & percussus est lepra in facie. Viuente ergo Rege superbo & impio, Isaïas Israëliticæ libertatis visioné videre non meruit. Quia quandoque & propter malos prælatos boni subditi, & per malos subditos boni prælati à gratia Dei subtrahuntur. Hinc enim Dominus Ezechieli dicit. *Ecce ego adhærescere faciam linguam tuam palato tuo, & eris mutus, nec quasi obiurgans, quia domus exasperans est.* Quia igitur Rex impius tantæ visionis dignus non fuit, Propheta per quem manifestari debuerat, ipso viuente eam videre non debuit. Ipso tamen mortuo visionem vidit, vt per hoc daretur intelligi, quòd Dominus Isaïæ, non suo, sed excessu Regis, spiritum prophetiæ subtraxit. Pensate dilectissimi, quàm periculosum sit ab humilitate recedere, quando nos sentimus bonis gratuitis eminere. Quia enim facies eminentior pars est corporis, meritò percussus est Ozias lepra in facie; qui cæteris eminentior voluit apparere. Bene siquidem lepræ præmiū pro merito virtutum recepit, qui lepra superbię dona virtutum gratuita sordidauit. Nisi enim à cordis oculis labem superbiæ quis deterserit, & vitijs moriatur; ad visiones Dei discernendas etiam piæ voluntati nulla ratio suffragatur.

*Iosephus lib. 18. Antiquit. c. 6.*

*Matth. 2.*

*Isai. 6.*

*2. Paral. 26.*

*Ezech. 3.*

*Superbia quantum fugienda.*

Dicit ergo. *Anno, quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum,* &c. Qui modo Propheta dicitur, olim videns dicebatur: sed non ideo videns, quòd apertos habeat oculos carnis: quoniam indifferenter ad vtrumlibet, bonum scilicet & malum, solent aperiri. Aperti sunt oculi Adam post lapsum; aperti oculi discipulorum euntium in Emmaüs in fractione panis. Sed illius ad malum, istorum ad bonum. Illius ad concupiscentiam: istorum ad Resurrectionis fidem. Neque enim credendum est cordis prædonibus, qui cùm suæ voluntati cor subjugauerint, faciunt ipsum speluncam latronum: maximè quia falli possunt, vt non sit illud quod videtur, sicut videri videtur. Firmamentum videtur stare, quod semper mouetur: nauiganti videtur moueri solum, quod solidum perseuerat. Baculus videtur in aqua fractus, & cùm sit integer, fallitur visus. Nec ideo Propheta dicitur, quòd spirituales cordis oculos aperit ad videndum. Non enim est credendum omni spiritui; sed *probate*, ait Apostolus, *spiritus, si ex Deo sunt.* Nam per rerum imagines falluntur cordis oculi, cùm aliter cogitantur, quàm sint. Sed propter hoc Propheta Videns dicebatur, quòd intellectuali videbat oculo, quod aliter euenire non posse per infusionem Sancti spiritus intelligebat: siue ænigmaticâ, siue anagogicâ visione daretur intelligi, quod videbatur. Talis fuit visio Isaïæ filij Amos, qui ait. *Vidi Dominum sedentem.* Vidit Adam Dominum deambulantem, Stephanus stantem, Isaïas sedentem. Sic stabilis manens moueri videtur, cùm nec affectu, nec loco, nec tempore moueatur. Sed deambulantem vidit eum Adam, quia in hoc quod peccauit, non tam Dominum ab eo, quàm ipsum à Domino recessisse cognouit. Stephanus verò stantem vidit; quia cùm eum stare videret, cùm ipso in tribulatione viriliter standi in agone signum dedit. Isaïas autem sedentem super solium excelsum & eleuatum vidit, qui vel quiescentem, vel humiliatum inter mortales agnouit. Sedere enim humilitatis signum est, aut quietis. Sedium tamen multas nobis varietates sacer sermo proponit, in quibus Dominum sedere protestatur. Dicit enim Psalmista. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Vnde & in hymno Angelico canimus, *Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis.* Alibi tamen idem Psalmista dicit. *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Effraim, Benjamin & Manasse.* Et rursus. *In excelso throno vidi sedere virum.* Alibi verò dicit ipse Dominus. *Cœlum mihi sedes est.* Et rursus. *Anima iusti sedes est sapientiæ.* Et ibi, siue significetur idem, siue aliud, *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum.* In his omnibus nobis ille prædicatur, in cujus natiuitate canit Isaïas, cùm ait. *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Deus est enim, qui sedet ad dexteram Patris: consiliarius, qui sedet super Cherubim: vnde Cherubim interpretatur plenitudo scientiæ: admirabilis, sedens in throno: thonus enim Regis est; & ipse in regimine firmamenti & totius mundanæ machinæ apparet mirabilis, quam mirabiliter regit. In hoc autem quòd cœlum sibi sedes est, Pater futuri sæculi comprobatur. In hoc verò quòd sedet super solium excelsum, id est in hoc quòd

*Oculi carnis & cordis falluntur sæpe.*

*1. Ioan. 4.*

*Isai. 6.*

*Psalm. 109.*

*Psal. 79.*

*Isai. 66.*

*Isai. 9.*

naturam transcendit Angelicam, fortis & potens intelligitur. Vnde Angelis, quibus dictum
Psal. 22. est, *Tollite portas*, &c. respondentibus, *quis est iste Rex gloriæ*, respondetur, *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* In hoc autem quòd sedere dicitur in anima justi, vel super solium eleuatum, quod idem est, probatur princeps pacis; quoniam numquam pax potest esse in anima sine ipso, nec nisi pax cum ipso. Vel aliter sedium diuersitates ex proprijs nominibus possumus assignare. Est enim alia sedes, quæ dicitur thronus, alia ferculum, alia cathedra, * alia tribunal, alia exhedra. Thronus Regum est, ferculum seu sella pauperum, cathedra Doctorum; synhedra auditorum, tribunal judicum, exhedra judicis assessorum. Habet igitur ab æterno Dei filius thronum ad dexteram Patris, sed ferculum fecit sibi in vtero matris: cathedram verò facere non cessat in cordibus fidelium magistrorum, synhedras in deuotis auditoribus, tribunal in justis judicibus, exhedras in fidelibus consiliarijs, judicans cum judicib⁹. Nam hujusmodi homines vocat Psalmista sedes, vbi ait.
Psal. 121. *Illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum Dauid.* Illic, id est in cœlesti Ierusalem sedebunt illi, in quibus Dominus modò sedet vel per doctrinam, vel per obedientiam, vel per justitiam, vel per fidem. Et quamvis tot modis dicatur sedere, tamen excellenter & propriè dicit eum Isaïas sedere super solium excelsum & eleuatum. Duas enim fecit rationales creaturas, Angelum scilicet & hominem. In illis Dominus requiescit: quia si deliciæ sunt ei esse cum filijs hominum, multò magis cum Angelis, qui à statu bonæ conditionis non recesserunt. Hanc naturam Angelicam vocat Isaïas solium excelsum, quia à celsitudine in qua primo conditi sunt, non ceciderunt. Humanam verò naturam solium dicit eleuatum, quia à statu in quo condita fuit cecidit, sed per effusionem sanguinis Iesu Christi postmodum eleuata fuit. Vnde idem Dominus ait.
Ioan. 12. *Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum.* Vel excelsum solium vocat animam; quia in hoc excelsa, quòd ad imaginem & similitudinem Dei facta. Solium verò eleuatum caro humana, quæ de vili schemate facta, videlicet de limo terræ, modò super choros Angelorum est eleuata. Super solium igitur excelsum & eleuatum sedit, qui ad suscipiendam animam & carnem se humiliauit. Et ne tantæ visionis miraculo Propheta diffideret, euidens super hoc in rebus conditis supponit exemplum. Sequitur enim.
Isai. 6. *Et plena erat omnis terra majestate ejus.* Omnis inquam, quia illa, de qua dictum est,
Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*; vel illa, de
Psal. 84. & 142. qua dicitur, *Et enim Dominus dabit benignitatam, & terra nostra dabit fructum suum*: vel etiã illa, de qua scriptum est, *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Nam cùm de ornatu terræ Deus
Genes. 1. disponeret, ait. *Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida; factúmque est ita.* Et *dixit Deus. Germinet terra herbã virentem*, &c. Consideremus, quàm vivus sit sermo Dei & efficax; quàm vtilis & velox vox ista, *Germinet terra herbam virentem*, & statim sine beneficio humoris, sine calore solis, sine exercitio humani laboris germinauit. Solent enim plerique dicere, nisi clementia aëris herbas humectauerit, vel solis calor moderatior tepefecerit, vel

* *Adde*, alia sinhedra.

exercitio humani laboris cultæ fuerint, germinare non possunt. Nam propterea quidam Maïæ, tamquam Deæ humoris, in capite Maij, cui etiam mensem illum dedicantes à Maïa Majum dixerunt; qui error quibusdam, qui etiam Christianæ religionis habent characterem, (quod dolentes dicimus) vsque hodie dissuaderi non potest, diuinum impendcrunt & impendunt cultum. Alij verò soli, eo quod virtute sua terrarum sinus penetret, & sparsa foueat semina, & rigentes gelu venas relaxet arborum. Alij verò pro diuersis beneficijs, hominibus tamquam Dijs diuersos deputabant honores. Sed facessat vana opinio; quia sine humore non jam humus, sed arida germinauit, antequam solis fotus susciperet, imò priusquam sol ipse fieret; nullo labore hominum, sed diuino munere, sine satione fruges, fructus sine semine tam necessarij, tam grati, támque vtiles, ad illam Dei vocem pullularunt; vt repletis non solùm vsui sint, sed delectationi. Nam siue in radicibus, siue in corticibus, seu etiam in medullis aut folijs aut fructibus siue seminibus, quidquid factum est, totum fecit Deus, vt ex eis sustentaretur hominis infirma natura, vel releuaretur infirmata, vel custodiretur sana, vel sanaretur minùs debitè custodita. Non igitur impendant homines honorem creaturæ, quem debent creatori; nec glorietur de se creatura, nec glorietur in creatura, sed poti⁹ in Creatore. Quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui terram germinare facit, & dat germinibus incrementum. Omnia quæ fecit, aut esui, aut vsui humano nata sunt. Nam quod ad escam non adjuuat, valet ad medicinam. Et si qua tibi noxia videantur, innoxium tamẽ aut feris aut auibus ministrant pabulum, vt sic redeant ad humanum prouentum. Nam sturni cicutis, & homines sturnis vtuntur; cerui colubris, & homines ceruis: & si qua fortè sunt, quæ nulli prosint, imò noceant; tamen ad hoc facta sunt, vt homo in ipsis aut puniatur, aut exerceatur, aut erudiatur, aut humilietur: & sic ad humanam vtilitatem cuncta reciprocat, cujus plena est terra majestate ejus. Sed si in rerum conditione fuit ita potens & efficax sermo diuinus, qua præsumptione infra limites infirmitatis potentiam siue clementiam Verbi coarctare volunt Hæretici; vt pro salute animæ non faciat, quæ multò dignior est corpore, quod fecit pro corporis necessitate? Terra nec humore, nec calore, nec labore germinauit, cùm adhuc virgo erat, id est incorrupta, nec infecta, nec interfecta in sanguinibus. Quid ergo mirum, si terra nostræ naturæ incorrupta & virgo, sine humore seminis, sine calore libidinis, sine opere hominis concepit & peperit semen, quod nisi Dominus reliquisset nobis, quasi Sodoma fuissemus: quia ipsum est vita nostra, cujus etiam odore mortui reuiuiscunt? Numquid potest facere Verbum Dei, quod habet natura vulturis? Vultur sine coïtu concipit & parit: & verbo Dei per quod illud fit fœmina concipere non potuit? Sed dicis. Vnum dicitis Patrem & Filium: Ergo si Filius carnem assumpsit, & Pater. Non est ita, quia cùm ignis sit calor & splendor, splendor in rubo fuit, sed non calor; & cùm ignis sedes sit in jecore, ascendit ad cerebrum, & per venas represso calore accedit splendor ad oculos, & vnitur illi car-

*Errores Ethnicorũ.*

*Omnia in vtilitatem hominis creata sunt.*

nali membro, cui tamen non adhæret calor, cùm calor ignis sit in cerebro, & vnus tamen ignis qui afficit cerebrum & oculum; sed calidus in cerebro, splendidus in oculo. Ita vnus Deus Pater & Filius, & Pater carnẽ non assumpsit; sicut non est calor in oculo: & Filius carnem assumpsit, sicut oculum splendor afficit. Terram igitur majestate Dei plenam in hoc fateantur hæretici, quòd humanæ naturæ tota filij majestas vniri voluit, & vnita fuit. Et si nobis, vel nostris credere nolunt, quia omnes Prophetæ ei testimonium perhibent: tamen inimici nostri sint judices; quia ad hoc vt verum dicant nobis, mentita est iniquitas sibi. Ille namque Christianæ Religionis sæuissimus impugnator Porphirius tale testimonium reddit Christo. *Christum*, ait, *Dij pijssimum pronuntiauerunt, & immortalem factum, & cum bona prædicatione ejus meminerunt.* Sed & quædam Sibylla tale fertur ab Augustino testimonium dixisse de Christo. *In manibus Infidelium veniet, dabunt autem Deo alapas manibus incestis, & impuro ore expuent venenatos sputos. Dabit autem ad verbera simpliciter sanctum dorsum, & colaphos accipiens tacebit; nequis agnoscat quod Verbum, vel vnde venit, vt inferis loquatur, & corona spinea coronetur. Ad cibum fel, & ad sitim acetum dederunt, inhospitalitatis hanc ministrauerunt mensam. Ipsa enim gens insipiens Deum tuum non intellexisti ludentem mortalium mentibus; sed spinis coronasti, & horridum fel miscuisti. Templi verò velum scindetur, & medio die nox erit tenebrosa nimis in tribus horis, & morte morietur; & tunc inferis ingressus ad lucem veniet primus; resurrectionis principio reuocatis ostenso.* Ecce quid expressius de Christo dici potest? Et quid eo sublimius esse? In cujus ortu Romæ Templum Pacis corruit, & fons olei erupit vsque in Tiberim. Et bene, quia fons misericordiæ erumpebat de terra naturæ nostræ, per quem non solùm omnis idololatriæ cultus finem accepit, sed omnis cultus religionis incœpit, quia veræ pacis templum misericorditer congregauit, vt scriptum est. *Congregentur aquæ in locum vnum.* Aquæ multæ populi multi. Istæ aquæ diffusæ erant secundùm varias hominum voluntates, & varios infidelitatis errores: sed congregatæ sunt in locum vnum; in locum illum, de quo dicit Dominus ad Moysen. *Est* inquit *locus apud me, & stabis supra petram.* Quis autem locus penes eum est, qui attingit à fine vsque ad finem fortiter? Ecclesia est, vbi ipse habitat, vbi pascit, vbi cubat in meridie. Iste quippe locus vter est, in quo congregat aquas maris. Iste locus hydria est Rebeccæ, ex cujus plenitudine adaquati sunt Eliezer & cameli. Ipse est enim hydria Samaritanæ, quam Dominus de puteo aquæ salientis in vitam æternam fœcundauit. Per ipsum etiam figuratæ sunt sex hydriæ, quæ inuentæ sunt in conuiuio nuptiali, secundùm purificationem Iudæorum, id est secundùm mundificationem continentium. Per vnum locum siquidem & vna hydria & sex hydrię bene figurãtur; quia cùm vna sit vniuersalis Ecclesia, multę tamen particulares sunt Ecclesię, quę propter senarium, qui perfectus est, per sex hydrias figurantur. *Capiebant* autem, ait Euangelista, *metretas binas vel ternas.* Vnde & arca Noë, quæ eodem modo Ecclesiam præfigurabat, fuisse legitur bicamerata & tricamerata. Congregata est enim Ecclesia de Patriarchis & Prophetis, de Apostolis, de Martyribus, de Confessoribus & Virginibus, & propter hoc fortè sex hydrijs comparatur. Sunt autem tria bonorum genera; temporalia, naturalia, gratuita. In Patriarchis igitur & Prophetis ceperunt hydriæ tres metretas; ipsi enim & temporalibus & naturalibus & gratuitis bonis abundauerũt: in Apostolis autẽ & Martyribus, & Confessoribus & Virginib⁹, duas tantùm: quia temporalia abdicantes, naturalibus & gratuitis abundauerunt. Ideo autem congregatæ sunt aquæ in locum vnum, vt piscationibus sint aptæ. *Simile est enim regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.* Vnde & in sagena Petri conclusa est tam bonorũ quàm malorum maxima piscium multitudo. Quorum boni mittendi sunt in vasa, mali verò ejiciendi foras, cùm ventum fuerit ad littus. Numquid videtis, dilectissimi, Petrum trahentem rete suum plenum cancris, id est insidiatoribus; polypodibus, id est adulatoribus; hericijs, id est peccatoribus; qui cursum nauis impediunt, & ne proficiat, stare cogunt? Nonne quasi cancri sunt in Ecclesia, qui simplicitati aliorum inuidentes, vt per insidias decipiunt, quos vel apertè, vel fortitudine non possunt, fallentium lapides occasionum in innocentem jaciunt? Polypodes autem justè dixerim adulatores, qui mutantur ad vultus hominum; qui sicut bona de bonis, vel mala de malis, sic vel bona de malis, vel mala de bonis, vt hominibus placeant, non verentur loqui: sicut polypodes, qui ad quodcúmque saxum venerint, saxi colorem assumunt. Isti tales in sagena Petri conclusi sunt cũ delphinis & phocis: qui in signũ dilectionis eximię, cùm timent incursus hostium, ore fœtus teneros in visceribus iteratò suscipiunt. Exemplum quippe præbent Prælatis, vt verbo compassionis filios suos in visceribus charitatis suscipiant: maximè cùm viderint periculum mẽtis vel corporis imminere. Congregatæ sunt igitur aquæ, & apparuit arida. Prima virtus est, *Gnothi seauton*, id est, *nosce teipsum.* Ad hoc enim congregatæ sunt fluxe mentes hominum, & in vtre disciplinæ coarctatæ, vt vnusquisque quanta sit ariditas infirmitatis humanę, cognosceret. Quod & ille cognouit, qui dixit, *Anima mea sicut terra sine aqua Deo*, vt cognita defectus sui siccitate, illius præstoletur imperiũ, qui dixit, *Germinet terra herbam virentem*; quod miraculosè fieri solet primò, quia nullo labore, nullo præcedente deuotionis humore, nullo charitatis calore, sola Sancti Spiritus infusione germinat anima, nunc radices cogitationum, nunc affectuum semina, nunc fructus operum, & sic plena est terra Sancti Spiritus majestate. Benedicamus igitur Patrem, cujus majestate plena est terra in rerum conditione; benedicamus & Filium, cujus majestate plena est terra in nostra reparatione: benedicamus & Spiritum sanctum, cujus majestate terra plena est in hominis sanctificatione. Benedicamus ergo Patrem & Filium cum Sancto Spiritu, cui laus est & gloria per infinita sæcula, Amen.



*Porphirij de Christo testimonium.*

*Sibyllæ Erythrææ, alijs Cumanæ Verba de Christo.*

*August. 18. de Ciuita. cap. 23.*

*Genes. 1.*

*Exod. 33.*

*Ioann. 4.*

*Ioann. 2.*

*Genes. 6.*

*Matt. 13.*

*In Ecclesia sunt etiam reprobi electis permixti.*

*Prælati delphini docent.*

*Psal. 142.*

SERMO I. *In Apparitione Domini.*

Matt. 2. Isai. 41. CVM natus esset Iesus, &c. Taceant ad te insulæ Deus, & Gentes mutent fortitudinem. Quis suscitauit ab Oriente justum: vocauit eum, vt sequeretur se? Quis inquam, nisi qui de lapidibus suscitauit filios Abrahæ? Cùm enim gentes lapides & ligna adorarent, similes erant lapidibus, juxta illud. Psal. 113. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Quasi enim lapides nec oculos ad intelligendum, nec aures ad obediendum, nec nares ad discernendum, nec os ad confitendum, nec manus ad bene operandum habebant. Secundùm ergo illud lapides erant, & quasi simulacra lapidibus comparanda: quia cùm oculos haberent, non videbant. Excæcauerat enim eos malitia eorum. Et cùm aures haberent, tamquam aspides surdæ obturabant aures suas. Similiter & de alijs sensibus intelligere poteritis, si stultitiam, si perfidiam, si in obscœnis operibus abominationem perpendatis. Quia ergo nec videbant, nec audiebant, nec sentiebant, nec loquebantur, nec operabantur, provt dedebāt; secundùm aliquid mortui erant. Quis suscitauit eos? Aperti sunt oculi eorum, & viderunt stellam; intellexerunt signum magni Regis esse; aggressi sunt iter, & veniunt ad confitendum Ierosolymis dicentes. Matth. 2. *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Quis ergo suscitauit eos ab Oriēte? Quis, nisi ille, qui parvus erat in præsepio, & magnus in Oriente? qui factus est in Occidente miserabilis, & mirabilia faciebat in Oriente? qui latebat prope positis, & longè positis apparebat: qui prope posita fecit Isaac ignorare, & longè futura cognoscere; qui admirabilis consiliarius apparebat Orientalibus, & Occidentalibus * qui Verbum erat in sinu Patris, & infans in gremio matris: qui regebatur ab hominibus in mundo, & elementa regebat in cœlo: qui tacebat apud Iudæos, & vocabat Chaldæos. Notus erat jam in Chaldæa Deus; & in Israël parvum nomen ejus. In propria venit; & sui eum non cognouerunt. Ad alienos non venit, & statim vt natus est in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt. Quia igitur idem Deus & homo, Verbum & infans, regebatur & regebat, loquebatur & tacebat: non immeritò per irrationalis rei cognitam rationem natiuitatis suæ ratio cognita est. Venientibus siquidem Magis dux itineris stella fuit; quæ quasi tacens locuta est. Tacebat, quia res irrationabilis erat: loquebatur, quia Regem natum Magis ostendebat. Nā etsi verbum, quod foris patet corporis auribus, non dicebat; verbo tamen intrinseco, quo solemus intus in animo erudiri, dicebat. Et bene; indicabat enim Verbum, quod intus latebat in carne, non quod foris patebat in aure. Ideo ergo, vt ita dicam, verbo intrinseco Magos erudiebat; quia verbum intrinsecum, & in carne latens, indicabat. Nec per aliud rationale aliquid Verbum incarnatum oportuit manifestari: quia sicut stella in nocte, sic Deus in carne: sicut lux lucens in tenebris, sic filius Dei in caligine nostræ mortalitatis. Sic ergo suscitati Magi, sic vocati, Christum secuti sunt. Quomodo secuti? Hic attendite, fratres mei, vos quibus dictum est. *Qui non bajulat crucem suam & sequitur me, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14. Scitis, quia Christus diues in cœlo, pauper factus est in mundo: cùm esset super homines, factus est sub hominibus: cùm esset omnium Dominus, factus est omnium servus: cùm sederet ad dexteram Patris in regno suo, peregre profectus est, accipere sibi regnū & reuerti. Sic & Magi secuti sunt. Relictis siquidem operibus, derelicta majestate Regali & patria, illi supponi voluerunt, qui se alijs supposuerat: servi illius facti sunt, qui se sponte alijs servum præbere venerat: peregrinari cum illo voluerunt, qui propter ouem centesimam in longinquam regionem descenderat. Isai. 23. *Erubesce Sidon, ait mare,* ad vnius parvi signi ostensionem, isti qui nec verbum vitæ audierant, nec viderant Christi miracula, venerunt. Nos verò, quibus quotidie clamant Apostoli, clamant Euangelistæ, clamant Prophetæ, clamant Sanctorum exempla, Christi opera, signa & verba; tamquam aspides surdæ aures obturamus. Tabernaculum Dei tot & talibus operimentis videmus opertum; & adhuc sub dio sumus; adhuc ventis & imbribus nos exponimus. Incarnationis siquidem veritatem hinc sanctorum charitas, quasi coccus bis tinctus, hinc sacri eloquij doctrina, quasi hyacinthus: hinc afflictio pœnitentium, quasi sagum cilicinum: hinc passio Saluatoris, quasi purpura: hinc mundicia castitatis quasi byssus retorta: hinc carnis abstinentia, quasi pellis arietum rubricata, munit. Cur igitur in Christo non requiescimus? cur adhuc vento vanitatis & imbribus occupationum dati sumus? Quare non audimus vocem monentis & dicentis, Matt. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiā?* Illi propter Christum diuitias suas & Patriam contempserunt: nos qui nihil habemus, nostrum nihil amittere formidamus? Si igitur multa dimittere non possumus cum Rege diuite, nostrum saltem rete dimittamus cum Petro paupere. *Omnia enim dimisit, qui propriam voluntatem,* vt ait Hieronymus *dereliquit.* Regnū siquidem Dei non ære, sed mente comparatur. Non enim dantis est, sed amantis. Comparauit illud vidua duobus minutis, Zachæus dimidia parte bonorum suorum. Regnum denique Dei calice aquæ frigidæ comparari potest; quod comparare non potuit Simon magus, vel Ananias, pro omnibus bonis suis. Sequamur ergo cum Magis, quia jam suscitati sunt & vocati. Suscitati sumus à morte perniciosa, morte Salvatoris gloriosa: suscitati in baptismo, sed adhuc suscitandi in judicio. Ideo impij non resurgunt in judicio; qui non sunt à morte perniciosa suscitati in baptismo. Surgent ergo, non resurgent: surgent, vt moriantur morte pessima, quia suscitati non sunt morte gloriosa. Nos verò resurgemus à morte pretiosa, vt viuamus gloriosè; quia suscitati sumus à morte perniciosa, vt moriamur pretiosè. Sicut enim Psal. 33. & 115. *peccatorum mors pessima* est; sic *pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Nec mori potest morte pretiosa, qui primò non suscitatur à perniciosa. Ideo ergo resurgemus in judicio, qui à triplici morte suscitati sumus in hoc mundo, à perniciosa, à propitiosa, à pretiosa. De perniciosa suscitamur ad propitiosam, de propitiosa in pretiosam, de pretiosa in

Marginalia: * deest vox despectus, vel mutus, aut similis. — Quanta hominum surditas spiritualis. — Hieron. in c. 19. Matt. Regnum Dei paruo emitur.

gloriosam. Mors enim perniciosa peccatorum, mors propitiosa pœnitentium, mors pretiosa Sanctorum, mors gloriosa Saluatoris omnium. Vt enim suscitaretur beatus Iob à morte perniciosa, morte pretiosa mori desiderabat; cùm opera, quibus iram Dei meruisse se credebat, perpendens, dicebat. *Quare non in vulua mortuus sum, egressus ab vtero, statim non perij? Cur exceptus genibus, cur lactatus vberibus?* In vulua moreretur, si peccatum, quod in cogitatione est, dimitteret. Egressus ex vtero periret, si cogitationem in opere non demonstraret. Genibus exceptus non fuisset, si in ipso opere culpa displiceret. Multos enim excusat necessitas, quos nequit excusare voluntas. Lactatus verò vberibus non esset, si post culpæ delectationē, ad vocem monentis causas excusationis in peccato non quæreret. Cùm enim diceret, *Quare non in vulua mortuus sum*, &c. sensus est. Quare non sum mortuus morte propitiosa, qui morior perniciosa? Quare non sum suscitatus in pretiosam, qui lapsus sum in perniciosam? Ab hoc enim quadruplici mortis genere suscitat hominem, qui suscitauit vnicum matris suæ filium in porta, Archisynagogi filiam in domo, filium Sunamitis per Elisæum in cubiculo, Lazarum per semetipsum à monumento. Ipse ergo est, qui alios suscitat ab Oriente, alios ab Aquilone, alios ab Austro, alios ab Occidente. Quia enim omne peccatum, aut cogitatione, aut deliberatione, aut delectatione fieri solet, aut opere; cùm peccatum quasi pro foribus est, cogitationem percipit, & in cogitatione resipit. Suscitatur peccator à morte perniciosa, quasi ab Oriente, vel in porta, & peccatum morte pretiosa moritur, quasi in vulua. Cùm verò post cogitationem incipit deliberare peccatum, & in ipsa deliberatione redipit, suscitatur peccator à perniciosa morte, quasi ab Aquilone vel in domo; & peccatum morte moritur pretiosa, postquam ex vtero egressum est. Si verò post deliberationem incipiat delectari, & tunc corrigitur, peccator à perniciosa morte suscitatur, quasi ab Austro, vel in cubiculo: & peccatum postquam genibus exceptū est, moritur morte pretiosa. Si verò post delectationem peccatum ad opus perducitur, & tunc emendatur, peccator à morte perniciosa suscitatur quasi in monumento, vel ab Occidente, & peccatum moritur morte pretiosa, postquam vberibus lactatum est. Igitur ab ipsa intentione malitiæ reuocati, & ad fidem vocati venerunt Magi ab Oriente, *cùm natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis.* Herodes, quia gloria pellis dicitur, bene illum nobis insinuat, qui in carne nostra gloriatur. Habet enim Deus in homine gloriam, habet & ipse homo, habet diabolus. Quandoque gloriatur Deus in nobis, quando nos in subiectione humiles, in pœnitentia fortes inuenit, in labore strenuos, in obedientia prōptos, in oratione deuotos. Hominis autē gloria est testimoniū conscientiæ suæ. Diaboli verò, carnem delicijs peruertere, corpꝰ fouere. Quia igitur peruertere solet hominē, cùm primò peccatum per suggestionē manifestat ei, deinde cùm animū facit in diuersa mutari per cogitationē; postea quando facit animū acquiescere per desideriū in cogitatione: deinde verò quando post desideriū accedit velocitas in cōsensu; postea cùm post cōsensū accedit in opere consūmatio, delectatio etiā in operis consūmatione: ad vltimū autem audacia defensionis in delectatione: non incongruè dies Herodis possumus appellare motus illos animi, quibus diabolus nos peruertit, vt glorietur in carne. Vt enim diem primum in nobis Herodes faciat, quem Solis diem Gentes appellare consueuerant, quasi Sol hemisphærium cordis intrat, cùm primò peccatum per suggestionem manifestat. Solis enim nomine manifestatio plerumque figuratur, vt ibi, *In sole posuit tabernaculum suum*, id est in manifesto. Vt verò secundum diem faciamus in nobis, quem diem Lunæ vocant, hemisphærium cordis intrat luna, cùm animus mutatur in multa. Vt autem tertium diem faciat in nobis, quem antiqui vocabant diem Martis, intrat Mars hemisphærium cordis, cùm per cogitationem animus ignescit. Mars enim *Piron* id est igneus vocabatur. Similiter vt in quartum diē procedat, quem vocare solebant Mercurij diē, quasi hemisphærium cordis Mercurius accendit, cùm post desiderium in consensu velocitas accedit. Antiqui enim Mercurium Stilbouta, id est velocem appellabant. Diem verò quintum in nobis facit, quem vocant homines diē Iouis, cùm in consummatione operis ardoris flamma comburit animam: quia tunc Iupiter intrat mentem, quem Phaëtonta Philosophi vocant, id est ardentem. Cùm verò post consummationem gaudere mens incipit in operis delectatione, sextum diem facit in nobis Herodes, quem vocare solemus diem Veneris: quia Venus tunc in animo lucescit, quando placet opus præuaricationis, & animum lucidum reddit. Vnde apud antiquos Venus phosphoron, id est lucida vocabatur. Vt autem diem septimum in nobis agat, quem nos diem Sabbati, antiqui Saturni vocabant, hemisphærium cordis Saturnus intrat, quando quod malè perpetratum est paruipendit, & ad vocem monentis irascitur; & inflatus superbia etiam castigantē minatur. Vnde & Saturnum antiqui pheuma, id est minantem nominabant. In his ergo diebus natus est Iesus; non tantùm illa natiuitate, qua plasmauit nos, secundùm quā æternaliter natus est de Patre sine matre; sed illa qua reformauit nos, secundùm quam temporaliter natus de matre sine patre: vel illa qua formari solet in nobis per deuotionem, inspirando; vel illa qua sanctificauit nos in baptismo, vel illa qua redemit nos in patibulo. De prima enim dictum est, *Ego hodie genui te.* De secunda, *Puer natus est nobis.* De tertia dicit Apostolus. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* De quarta autem ipse Dominus ait. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* De quinta verò natalitia Sanctorum nos celebrare dicimus, cùm mortem eorum celebramus. Vnde & meritò, quando mortem Christi recolimus, qui Sanctus Sanctorum fuit, natale ipsius celebrari credamus. Sic enim natus est Dominus nobis, vt nos ei totidem modis nasceremur. Sed prima ejus natiuitas nostræ quintæ causa fuit, secunda primæ, tertia secundę, quarta tertiæ, quinta quartæ. Per potentiam siquidem, qua natus est de Patre æternaliter, nati sumus temporaliter. Natiuitate verò, qua de matre temporaliter natus est, & nos filij Dei facti sumus.

*Iob 3.*

*Multis modis morimur & à Christo suscitamur.*

*Matth. 2.*

*Qui sint dies Herodis*

*Psal. 18.*

*Multis modis Christus natus est & nascitur.*

*Psalm. 2.*

*Isai. 9.*

*Galat. 4.*

*Ioann. 3.*

Filius enim Dei filios hominum fecit homines: sed filius hominis eosdem homines fecit filios Dei. Qui filius Dei erat, vt homines essemus, filius hominis factus est, vt filij Dei vocaremur. *Quotquot autem*, ait Euangelista *crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Similiter tertia ejus natiuitas nostræ secundæ causa fuit. Nam ideo baptizatus est, vt sanctificaret nobis aquas; & nos es per aquas denuo nasceremur. Similiter quidquid in mundo operatus est, ad exemplum nostrum totum factum est, vt ipsius factura essemus, creati in ipso in operibus bonis. *Exemplum enim*, ait, *dedi vobis, vt & vos ita faciatis.* Mortuus est etiam pro nobis, vt & nos ei morte pretiosa moreremur. Consepulti enim sumus Christo per mortem ejus, vt scriptum est. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Primò ergo natus est de patre sine matre, secundò de matre sine patre, tertiò formatur in nobis quotidie per deuotionem operis, quartò natus ex aquis Iordanis, quintò quando mortale suum induit immortalitatem per patibulum crucis. Vnde bene natus dicitur in Bethleem Iudæ. Betheleem quippe domus panis interpretatur. Quid est ergo Bethleem Iudæ, nisi Synagoga Iudæorum, vel Ecclesia, vel vnaquæque fidelis anima, vel certè virgo gloriosa, vel cœlestis & æterna patria? Cùm enim Synagogæ primò credita fuerunt eloquia Dei, domus panis fuit; quia Verbum vitę quasi panis est animæ. Sed posteaquam hæc eadem verba ad filios Ecclesię translata sunt, per fidem & prædicationem Doctorum, incepit esse domus panis Ecclesia. Cùm verò vnusquisque fidelis panem hunc vel sibi ruminat, vel alijs frangit, non incongruè domus panis potest appellari. Virgo etiam gloriosa domus panis facta est, quando eum in vtero portauit, qui de seipso dicit. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Sed & illa cœlestis patria domus panis potest appellari, quia ibi est panis Angelorum, de quo solo satiari se posse testatur Psalmista dicens. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Sed prima domus, domus fuit, vt ita dicam, panis hordeacei, secunda similaginei, tertia lagani oleo liti, quarta subcineritij, quinta panis reuersati. Cùm per integumenta verborum Synagogæ locutus est Deus, & in eis dura & aspera præcepit; vt qui fecerit hoc vel illud, morte moriatur; quasi medullam inter paleas ministrauit. Sed quando per Doctores Ecclesiæ sublato cortice literæ medulla intelligentiæ subjectis manifestata est, similagineum panem filijs Ecclesiæ fregit. Cùm verò ab aliquo verbũ hoc vitæ cum charitate ruminatur: & deuotione tamquam laganum per pinguedinem charitatis, & oleo deuotionis litum transglutitur. Cùm autem in vtero virginis filius Dei carnem assumens latuit, venter ejus quasi domus panis subcineritij fuit: quia in ea sub cinere nostræ mortalitatis panem vitæ nobis abscondit. Sed in Ascensione, quãdo ad dexteram Patris sedit; & omni corruptione mortalitatis ab eo sublata potentiæ plenitudinem à patre recepit, panis subcineritius reuersatus fuit. Quia ergo natus est de Virgine, factusque per baptismum sponsus Ecclesiæ, & per deuotionem quotidie formatur in fideli corde; & per Synagogam passus in cruce, & per potentiam diuinitatis eleuatus est in cœlesti majestate, bene natus perhibetur in Bethleem Iudæ. Quia ergo fratres, panis subcineritius carnem assumendo, reuersatus ascendendo, laganum oleo litum charitatem & misericordiam ostendendo, panis vt ita dicam, sorbitius in baptismo, panis verò coctus in clibano factus est pro nobis moriẽdo: accipiamus panem hunc, & gratias agentes Deo Patri, comedamus cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam, Amen.

Ioann. 1.

Ioan. 12.

Coloss. 3.

Ecclesia domus panis dici potest, &c.

Diuersæ species panis spiritualiter.

## SERMO II. *In die Epiphaniæ.*

*Fiat lux.* Illa eadémque erat. Erat lux vera, sed facta non erat. Antequàm fieret, erat. Erat enim ab æterno, quia de luce æterna erat. Lux enim de luce Filius de Patre. *Et facta est lux*, quia factus est ex muliere, factus ex semine Dauid secundùm carnem. *Et vidit Deus*, id est, videri fecit Pater, *lucem quòd esset bona.* Non aliunde bona, sed à seipsa: nec participatione boni bona; sed omni plenitudine: & propter hoc sola, quia nulla sic bona. *Et diuisit lucem à tenebris*: eo quòd nulla erat conuentio lucis ad tenebras; id est, Christi ad Belial. *Et factum est vespere & manę dies vnus*: quia factus est homo & Deus vnus Christus. Ideo vnus, quia vnicus, quia singularis. Dies dominicus dies hic, quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo: quia populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem istam. Ascendit enim super nubem leuem & candidam, & ingressa est Ægyptum; & illuminauit abscondita tenebrarum: vt abjectis operibus tenebrarum, induerentur homines armis lucis. Cessante quippe lumine succedunt tenebræ, succedunt & in tenebris opera tenebrarum: qui enim dormiũt, nocte dormiunt; & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Dormiunt quidem, vel per ignorantiam, vel per negligentiam, vel per ignauiam. Ebrij verò sunt, qui sunt absque rationis moderamine, absque justitiæ libra, sine juris mensura, Ebrij sunt, qui neque frænum, neque modum habentes, dare nesciunt locum iræ: sed crudeles, cupidi, contentiosi, malum pro malo, vel maledictum indebita talione reddunt pro maledicto. Hæc sunt opera tenebrarum, quæ secedente luce succedunt. Cessante luce fiunt tenebræ, in quibus pertranseunt bestiæ siluæ, volant noctuæ, egrediuntur nycticoraces de domicilijs, vt fiant opera tenebrarum. Hinc mysticè satis legitur. *Nachor genuit Tabee & Gaham, & Thahas & Maacha. Hi sunt filij Nachor de concubina sua Roma.* Nachor interpretatur quiescens lumen, Roma verò excelsa vel sublimis. A quiescente lumine, id est cessante luminis claritate, mens excelsa, id est sublimis & superba, adulterinos, non legitimos filios parit, id est opera tenebrarum: scilicet opus crudelitatis, cupiditatis, indebitæ talionis, & contentionis. *Genuit*, ait Scriptura, *Tabea*, qui interpretatur interficiens, in quo crudelitas figuratur. *Genuit & Gaham*, qui dicitur vallis æstus, per quem mundi cupiditas accipitur. *Genuit* etiam *Thahas*, qui talio interpretatur, qua malum pro malo, dens pro dente, oculus pro oculo, maledictum redditur pro maledicto. Habent enim hi tales semper præ oculis judicium punitiuum, remissiuum nunquam, quo tenetur Catholicus dimittere tunicam pallium

Christus lux spiritualis.

Genes. 1.

Genes. 22.

auferenti, alteram præbere maxillam maxillam lædenti. *Genuit & Maacha*, qui dicitur contétiosus; quia sine dubio lumine veritatis cessante, succedunt contentiones, iræ, rixæ, discordiæ, quæ sunt opera tenebrarum. Ne igitur sint heredes filij ancillę cum filijs liberę, id est opera tenebrarum cum operibus lucis, vt potentet abijciantur, induimini armis lucis. Arma lucis intelligimus ex vi & natura lucis. Est enim lux ab igne. Et lux ista ab illo igne, de quo scriptum est. *Deus noster ignis consumens.* Propter hoc naturaliter est ascensiua, discreta, restrictiua, consolidatiua, accensiua, illuminatiua. Non enim recedit ab ignis natura, de quo nata est. Ex vi igitur ascensiua disponit ascensiones homo in corde suo, incipiens à timore seruili; & per initialem vsque ad filialem proficiens currit viam mandatorum Dei, per vias rectas deductus; donec inductus in omnem veritatem, ad excellentiorem charitatis viam perueniat: sic vt mente purgata & defæcata, cogitatione & auiditate contempletur ænigmaticè vel anagogicè supercœlestem & superessentialem Theophaniam, id est Dei manifestationé. Vis verò discretiua rationem promouet ad Epiphaniam: & dicitur Epiphania ab epi, quod est supra, & phanes, quod est manifestatio. Ardenter siquidem affectat ratio vi lucis discretiua diligenter intueri, & discernere judicij libra, non solùm vitiorum contrariorum cautelam; ne si auaritiam fugias, cadas in prodigalitatem; sed cautè discernere vitia à virtutibus præferentia speciem virtutum; ne sub prætextu justitiæ crudelitas, sub mansuetudine segnities pallietur. Cauet igitur, ne diligat, quæ diligenda non sunt; & prouidet diligere, quæ diligenda sunt: vel ne æquè diligat, quod minus vel magis diligendum est: vel minùs aut magis diligat, quod æquè diligendum est. Vis autem restrictiua mentem promouet ad hyperphaniam; & dicitur hyperphania ab hyper, quod est medium, & phanes. Restringit enim animum religionis & obedientiæ vinculis, docens obedientiæ gradus, & vsum operis; & ob ejus obseruantiam sustinet & arcet aduersa. Vis etiam consolidatiua mentem prouehit ad hypophaniam. Et dicitur hypophania ab hypo, quod est infra, & phanes. Consolidat enim & confirmat animum potentia virtutis suæ, & arcanis verborum, quibus vnumquemque visitat pro sua capacitate. Vis autem attractiua nos prouehit ad bethphaniam. Et dicitur bethphania à beth, quod est domus, & phanes. Ipsa est enim, quæ longè positos traxit funiculis charitatis. Vis verò accensiua promouet animum ad phagiphaniam; & dicitur phagiphania à phagin, quod est comedere, & phanes. Accendit enim ex xerophagiæ & sariphagię ferculis quinque millia hominum ad misericordiam & compassionem. Vnde Dominus ait. *Misereor super turbam.* Dicitur autem xerophagia, à xero, quod est siccum, & phagein quod est comedere. Sariphagia verò à Sario, quod est piscis. Distribuens enim quinque millibus hominum quinque panes hordeaceos & duos pisces, accédit in cordibus eorum flammam charitatis. Vis quoque illuminatiua illuminat mentes ad sepherphaniam, & dicitur sepherphania à sepher, quod est litera, & phanes. Hæc est Physicæ, Logicæ, Ethicæ, Theoricæ clauis & pessulum apothecæ. Per scripturas enim illuminatur animus, manifestatur Deus, & clauis est omnium aliarum phanaum. Reserat enim omnes manifestationes, & ad naturalem, rationalem, moralem diuinam, illuminat rationem nostram.

*Theophania* — *Epiphania.* — *Hyperphania.* — *Hypophania.* — *Bethphania.* — *Phagiphania.* — *Sepherphania.*

Hæ sunt manifestationes Dei, quarum tamen quatuor specialiter hodie cum honore memoriæ commendamus, id est Epiphaniam, Theophaniam, Bethphaniam, Phagiphaniam. Secundùm quod illuminat fidelium mentes, omnium manifestationũ clauigera sepherphania. Prima facta est per stellam à natiuitate Domini tertiodecimo die. Vnde dicitur Bethphania; eo quod stella Magos duxit ad diuersorium vbi erat puer. Secunda anno tricesimo facta est per vocem Patris in baptismo, vnde dicitur Theophania. Tertia facta est eodem die anno reuoluto in conuiuio, per comersionem aquæ in vinum. Vnde Epiphania dicitur, ab epi quod est supra, quia ibi se primò manifestauit Deum. Quartam dicunt in Commento super Lucam eodem die factam anno item reuoluto, scilicet de refectione quinque panum. Sic Deus omnipotens, qui se primò Angelis, secundò ab Angelis se manifestari voluit hominibus, ita etiam manifestari se voluit ab hominibus. Ad hoc enim duas fecit rationales creaturas, Angelos scilicet & homines; vt is qui in sua natura incomprehensibilis erat, ex operibus suis ipsis & ab ipsis quoquomodo manifestaretur; & in ipsis, & per ipsos cognitus laudaretur: & sic author & creator cœli & terræ crederetur, qui in cœlis Angelis, & in terris hominibus venerabilis appareret. Nam sicut in cœlis describit Ioannes cognomento Scotus, quatuor manifestationes, id est Theophaniam, Epiphaniam, Hyperphaniam, Hypophaniam, de quibus alibi disseruisse me memini, quibus se Angelis manifestat: ita quatuor se manifestationibus ęqua lance supradictis respondentibus mirabilis in terris hominibus voluit apparere; & his quidem post natiuitatem, & ante passionem. Nam & post resurrectionem, quatuor alijs manifestationib⁹ non multùm à supradictis dissimilib⁹ apparere dignatus est. Vnâ, cùm duobus discipulis euntibus in Emmaus cognitus est in fractione panis: alterâ, quando Iesu stante in littore maris Tiberiadis descenderunt in terram discipuli; & viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem; & tunc venit Iesus, & accepit panem, & dabat eis, & piscem similiter. Cùm verò prandissent, dixit Dominus Simoni Petro. *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Quo tertiò respondente, *tu scis Domine, quia amo te*, dixit Iesus, *Pasce agnos meos.* Tertiâ, quando recûbentibus vndecim discipulis apparuit eis & ait. *Euntes, prædicate Euangelium omni creaturæ; baptizantes eos*, &c. Quartâ quando paulòpòst conuescens eleuatus est, & videntibus illis suscepit eum nubes ab oculis eorum. Et ex his vtique potest cognosci, quòd multis argumentis manifestus apparuit. Cùm enim argumentum rei dubiæ faciat fidem, illæ quæ factæ sunt apparitiones in terris, earum quæ occultæ erant hominibus in cœlis probabile factæ sunt argumentum; vt vnus atque idem Dominus demonstretur, qui Angelis in cœlis, & hominibus in terris apparuit: qui in passione homo mortalis, & in resurrectione Deus apparuit immortalis. Nihil quippe aliud est

*Quatuor manifestationes hodie recoluntur.* — *Beda in Lucam.* — *Quatuor manifestationes Christi ante passionem, quedam post.* — *Ioann. 21.* — *Marc. 16.*

Theophania, quàm Dei manifestatio. Sed cùm baptizaretur Dominus, filius quidem baptizatus est in Iordane, Pater cognitus est in voce; Spiritussanctus apparuit in columba. Sed mens Ioannis ab imaginibus defæcata; & filium Dei confessus est in carne, dicens, *Ecce agnus Dei,* & Spiritum sanctum in columba dicens: *Et qui misit me baptizare, ille mihi dixit. Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu.* Ergo Theophania est manifestatio Dei; cujus character fuit baptismus Christi, vbi tota Trinitas vnus Deus manifestata est: cujus characteris confirmatio fuit, quod post resurrectionem discipulis ait. *Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos,* &c. Epiphaniæ verò characterem illam dicimus manifestationem, de qua Beda in Commento super Lucam loquitur, quæ facta fuit in deserto, hac eadem Calenda anno reuoluto post illud miraculum, quo conuertit aquam in vinum; quo videlicet quinque panes & duos pisces quinque millibus hominum distribuit: quod apertè demonstratur, si definitionem Epiphaniæ superiùs factam repetamus. Est enim Epiphania, vt ait Ioannes, calefacientis affectionis & altioris intuitus judicijque librâ resultatio distributa. Dixit ergo Iesus. *Misereor super turbam.* Ecce calescens affectio. Sed & ipsa quinque panum fractio ad altiorem nos mittit intuitum: quia nihil aliud insinuant illi quinque panes, quàm quinque libros Moysi, quos velut integros portabat puer, id est Iudaïcus populus sensu puerilis. Sed Iesus panes illos fregit; quia sensum mysticum latentem in Scripturis aperuit, judicijque libra fragmenta præcepit colligi, ne perirent: quia adhoc in lege latentia sacramenta voluit memoriter retineri, vt per Apostolos satiarentur famelici. Hujus autem characteris confirmatio est, quòd post resurrectionem suã duobus discipulis euntibus in Emmaus cognitus est in fractione panis. Vnde & calefacientẽ affectum, & altiorem intuitum demonstrabant, cùm dicerent. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis in via, cùm loqueretur, & aperiret nobis Scripturas?* iudicijque libra reuersi in Ierusalem dicentes, *quia surrexit Dominus.* Hyperphaniæ autem character est illa manifestatio, qua stella duce veniunt tres Magi; quia tunc cœlestis hyperphania suos participes, id est Magos insigniuit scalari reuerentia, vsumque ejus docuit, & arcuit contrarium, cùm Herodi contradicenti nolentes obedire, reuersi sunt per aliam viam in regionem suam. Hac etiam scalari reuerentia post resurrectionem suam discipulos suos Dominus insigniuit; quando eduxit eos foras in Bethaniam. Vnde & Bethania domus obedientiæ interpretatur. Nam ejus vsu edocti adorantes reuersi sunt Ierusalem cum gaudio magno; & arcentes contrarium magis ac magis inualescebant, & contradicentes confundebant Iudæos prædicando quod ex ore veritatis didicerant, quia sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia. Hypophaniæ verò characterem exprimit mutatio aquæ in vinum. Nam per hoc occurritur naturæ legibus, & arcana mysteria reserantur. Nihil enim aliud in nuptijs illis figuratur, quàm vnio Christi & Ecclesiæ. Nihil aliud aquæ in vinum mutatio, nisi quòd illius antiquæ legis traditio quantùm ad literam satis insipida, in conjunctione Christi & Ecclesiæ spirituali sapore charitatis inebriat conuiuantes. Sed etiam in hoc hypophaniæ nobis character exprimitur, quòd vinum aqua mixtum in sanguinem Christi substantialiter transmutatur; arcana reserantur, quia efficiunt sacramenta quæ figurant. Vnde & Petro Apostolorum Principi pisce assato, & pane satiato, pascendas oues suas Dominus dereliquit: quia postquam fidei deuotione tamquam panem verum qui de cœlo descendit, & in passione piscem assum sibi incorporauit Petrus, meritò curã generalis Ecclesiæ suscepit. Vides igitur quantæ dignitatis esse debent apparitiones istæ, quibus cœlestes apparitiones manifestantur, & iterum talium testimonijs confirmantur; vt non solùm homo de virgine natus, sed etiam vnigenitus Dei filius credatur, & primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ sine dubio ab infidelibus adoretur.

*Ioann. 1.* — *Theophaniæ character.* — *Marc. 16.* — *Epiphaniæ character.* — *Ioannes Scotus.* — *Marc. 8.* — *Luc. 24.* — *Hyperphaniæ charact.* — *Hypophaniæ character.* — *Transmutatio vini in sanguinẽ Christi.* — *Ioann. 21.*

## *In Purificatione B.* MARIÆ. SERMO I.

ERUDERAVERUNT *puteum, & inuenerunt stipites, & prunas, & aquã crassam; quibus super struem lignorum positis erupit ignis.* Ille inquã sacer ignis, quẽ precibus suis Moyses impetrauerat de sublimi; qui jugiter jussus est ardere in altari: quia non poterat hostia sine eo adoleri. Qui per mille annos & eo ampliùs partim in tabernaculo, partim in templo vsque ad transmigrationem Iudæ hostias legales inflammauerat. Imminente siquidem transmigratione stipites hujus ignis in puteo vallis Iosaphat tutauit Ieremias, qui ibi per septuaginta annos captiuitatis fuerunt absconditi; donec Artaxerxes cognomento Longimanus, licentiam redeundi & reædificandi Ierusalem Esdræ primò, postea Nehemiæ concessit. Resarcitis igitur muris istorum duorum opere & operâ, obtulerunt Domino hostias salutares, sed conquesti sunt, quod ignem de sublimi non haberent. Adfuerunt igitur, qui dicerent factũ Ieremiæ. Vt ergo stipites & prunas inuenirent, eruderauerunt puteum supradictum: vnde & nomen diei Nephar, id est purificationẽ nuncupauerunt; quia ex inuentis stipitibus erupit ignis, qui postea per annos septuaginta hostias templi inflammauit, donec tandẽ Iasoni Pontificatum vendidit Antiochus Epiphanes: propter quod sacer ignis penitus extinctus est, nec habuit sanctum ignem templum Dei, donec Iudas Machabæus purificato templo iterum celebrauit Nephar; in cujus solemnitate de calculis templi veteris erupit ignis, vnde festum luminum vocatum est, & solum pro sui dignitate in omni veteri testamento sub Ogdoade celebratum est. Et quoniam hodie, fratres carissimi, nos diem Nephar, & festum luminum celebramus, intelligentiam dictorum ex causis assumamus dicendi, signa rerum rebus comparantes signorum. Hodie enim illud singulare templum, in cujus sancto sanctorum super misericordiæ propitiatorium filius Dei viui humiliando se formam serui accipiens sedere venit, purificatum est. Hodie puteus ille, in cujus laude canitis, *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium,* eruderatus est. Hodie inuenti sunt

*2. Mach. 1.* — *Festum Purificationis dies Nephar & festum luminum.* — *Cantic. 4.*

stipites illi antiqui sacro igne inflāmati, Ioseph videlicet & MARIA, Iesus, Anna, & Simeon, quorum exemplo omne genus hominum inflammatur. Dat exemplum deuotionis Maria Virginibus, Simeon fractis, Ioseph conjugatis, Anna viduis, Iesus pueris. Nullus gradus prætermissus est, cui deuotionis exemplū isti quinque non dederint. Inuentæ sunt etiam prunæ charitatis cum stipitibus, & in stipitibus: obsequium videlicet Ioseph, humilitas Mariæ, benignitas humanitatis Iesu, Annæ religio, deuotio Simeonis. Inuenta est cum his omnibus aqua, videlicet lacrymarum, sordes lauās in deuotione. Quis enim illam deuotionem Simeonis recolens, qua cum lacrymis aiebat, *Putas videbo, putas durabo*, &c. ignem sibi non accendat, de quo dictum est, *Deus noster ignis consumens est?* Et iterum ipse ait. *Ego sum lux mundi*. Propter quod Simeon ait. *Lumen ad reuelationem Gentium*, &c. In signum igitur purificationis nostræ facta est purgatio Mariæ, de qua scriptum est. *Postquam completi sunt dies purgationis Mariæ*. Quòd ergo primò legitur puteus eruderatus, & templum purificatum, hoc in Maria ostenditur factum, & in nobis faciendum. Videamus, si placet, ministros purificationum. Purificationis Templi fuit Iudas Machabæus minister, eruderationis putei Esdras & Nehemias, purificationis autem Mariæ Anna & Simeon. Et bene. Prima enim purgatio nostra confessio, quia omnia in confessione lauantur: Iudas autem confessio interpretatur. Et quoniam illa sola confessio lauat, quæ spei consolatione, tamquam gratia operante præuenitur, & disciplina pœnitentiæ tamquam cooperante consummatur, bene Esdras & Nehemias, Simeon & Anna purificationibus his adjunguntur. Scitis enim quia nemo pœnitet, qui non sperat: frustra autem sperat, qui non pœnitet; & hoc, vt dictum est, illi quatuor combinati demonstrant. Nam secundùm officium & nominum interpretationem, Nehemias & Anna, Simeon & Esdras vnum significant. Nehemias & Anna adfuerunt purificationibus, tamquam adjutores, Simeon & Esdras tamquam sacerdotes. Interpretatur autem Nehemias consolator Dominus. Consolator autem Dominus est paraclitus. Paraclitus verò est Spiritussanctus; Spiritussanctus gratia; gratia Anna; Anna igitur Nehemias. Videtis quomodo conjunguntur. Nec vos moueat sexus disparitas, quia Spiritussanctus qui lingua Latina generis est masculini, lingua Hebræa fœminini est generis, Græcā neutri. Similiter de alijs duobus dicendum est; quia Esdras disciplina interpretatur, Simeon audiens tristitiam. Dicit autem Apostolus, de disciplina, quòd nō est gaudij, sed mœroris. Per disciplinam ergo solemus audire tristitiam, qui contristamur ad pœnitentiæm, vt ait Apostolus. *Si vos contristaui ad horam, non me pœnitet; non quia contristati estis; sed quia contristati estis ad pœnitentiā.* Est autem tristitia contristans nos ad pœnitentiam. Necesse est ergo, vt omnis confitens tamquam Iudas, in omni sua purgatione adjungat sibi Esdram cum Simeone, id est disciplinam laboriosæ pœnitentiæ: vt per hoc se probet Machabæum, bellatorem & fortem in agone. Nā & ille antiquus Patriarcha Iudas inutiliter semen fudit, quamdiu cum Sue fuit: sed tunc vtilem fructum fecit, quando Thamar sibi copulauit. Sue quippe cantilena interpretatur. Inutilis autem est copula confessio cum cantilena. Thamar autem amaritudo interpretatur, & fructuosa confessio efficitur, quando cum amaritudine profertur. Ita tamen per pœnitentiam debet homo contristari, quòd de spe veniæ non desinat consolari. Adjungat igitur sibi Annam & Nehemiam, id est gratiam consolantem de venia. Nam Iudas Scharioth ideo medius crepuit, quia Annam & Nehemiam sibi non adsciuit. Consolari noluit, quia desperans laqueo se suspendit. His igitur adjutorijs & exemplis, studeamus non solùm sordes purgare; sed ipsas virtutes studeamus defæcare quia nullus adeò sanctus est, qui non possit sanctior esse. Purgemus non solùm sordes operum, sed & cogitationū. Nec malum solùm purgemus, vt bonum sit; sed & bonum purgemus, vt melius sit. Purgandum est enim primò granum frumenti à stramine, secundò à palea, tertiò à furfure. Post hæc extrahitur simila; sed & ipsa in oblationibus minutatim est diuidenda. Hæ sunt tres illæ purificationes, munditia corporum significata in purificatione templi facta per Iudam, purificatio conscientiæ figurata in eruderatione putei facta per Esdram & Nehemiam: defæcatio virtutum præfigurata in Purificatione Virginis immaculatę celebrata priùs per Annam & Simeonem. Quantæ autem sit difficultatis conscientias emūdare Allophylorum demonstrat importuna vexatio, qui puteos Isaac replebant humo: sed & alij conscientias suas abscondunt, tamquam puteum Helchiæ luto plenum: quorum fæx plerúmque ebullit vsque ad guttur Ieremiæ. Alij verò sordes amouent, & quasi puteos fodientes scrutantur conscientias: sed nec frigidi, nec calidi sunt, sed potiùs tepidi: tamquam puteus in solitudine, ab omni humore spirituali siccatus, ipsum Ioseph plerumque captiuum includit. Alij conscientias suas fodientes, tamquam cisternas adulterinis aquis plenas eas inueniunt; vbi & repertis duabus caudis titionum, Rasin videlicet Rege Syriæ, & Phacee filio Romeilię, scientia scilicet sæculari, & ore loquente sublimia, ignem qui de cœlo descendens tactas oues Iob puerosque consumpsit; vel eum, qui numquam dicit, sufficit, eliciunt. Alij verò, vt dictum est, fodientes puteos, aquas viuas possent inuenire, si viriliter Allophylis vellent repugnare. Alij verò puteum effodiunt, & viuas aquas abundantiæ vel latitudinis cum Isaac felices inueniunt. Aliter igitur illi, aliter illi puteos effodiunt, & de puteis eruderatis ignem accendunt. Nam illi prauitatis exempla vitiosos homines pro stipitibus habentes, & pro prunis exempla vitiorum, alienum ignem accendunt vel subijciunt in altari, videlicet ardorem illicitum, quo à Deo alieni fiunt: nec Nephar celebrant, sed in nefas ruunt. Isti verò Sanctorum vitam præ oculis habentes, pro stipitibus & prunis inter rotas Cherubim sumptis labia mundantes, arundineti sui scintillas accendunt, prout inflammat eas pater luminum, lux de luce, lumen de lumine Iesus Christus, qui cum Patre & cum Spiritu sancto viuit per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Exempla virtutum omnibus hominibus data.*

*August. in Sermon. de Purificat.*
*Deuter. 4.*
*Ioan. 8.*
*Luc. 2.*

*Cōfessio spē debet habere adjunctā.*

*2. Corin. 7.*

*Confessio fructuosa amaritudini juncta esse debet.*

*Tres purificationes, quæ sint.*

*Conscientiæ emundatio difficultatis plena est.*

In eadem

In eadem solemnitate. SERMO II.

Isai. 51. ATtendite ad petram ex qua excisi estis; & ad cauernam laci de qua præcisi estis. Si verum est, imò quia verũ est, quia non est opus, non est ratio non est consilium contra Dnm: à destru- ctione consequentis consequenter potest inferri; quia cum Domino non nisi opus, non nisi ratio, non nisi consilium esse potest. In ipso siquidem & per ipsum, exemplum operis inueniunt pigri, intelligentię rationem perfidi, consilium simplices & seducti. Per ipsum oleaster & oliua, vt fructum operis faciant, simul inserti sunt, simplices & astuti sapientes fiunt, Iudæi & Græci salutis consilium acceperunt. Apud eum enim non est personarum acceptio; quia cujuscumque conditionis sit, cujuscumque generis, cujuscumq; dignitatis vel ætatis, omnes in Christo vnum sunt, qui non vincuntur in malo, sed vincunt in bono malum. Vnde fratres, compendiosum Isaïæ consilium attendentes, ad illum omnes attendamus, & ab ipso salutem expectemus, qui saluat omnes sperantes in se. *Attendite*, ait Isaïas *ad petram*. Petra autem erat Christus. Omnibus enim Propheta loquitur, quia in ea omnes refugium inueniũt. Ipsam rerum naturam perpendite. Nonne ad petram refugit, vt sit securus, sicut columba, sic herinacius? Nidificat siquidem columba in foraminibus petræ: sed etiam ipsa refugium herinacij facta est. Attendat igitur columba ad petram, in qua labores congregat, in qua vacat, in qua nidificat, in qua pullos educat: siue frumentum, siue spina sit, quod laborat, totum sibi & suis vtilescit, si in petra sit. Omnia verò in petra collocat, spinam scilicet, vt necessitatis non voluptatis lectum habeat; frumentum, vt se simul & suos reficiat. Si verò à labore vacare proponit, ad petram refugit, vt secura sit. Sed & si vacando à foramine petræ, vt foris respiciat, caput emittit; à petra tamen corpore non recedit: sed cùm foras respicit, dolet & gemit. Si verò pullus antequam in altum volando se eleuare possit, extra petram minùs cautè exilit, increpans eum strepitu vocis ad petram reducit. In petra igitur pullos pascit, sed parciùs, & à tempore in tempus, & in mensura: ne fortè jecur rumpatur, & ipsa tritici medulla præ nimietate cibi & corruptione carnis cum furfure quasi stercus emittatur. Omnia ergo mensuratè facit, vt auidiùs cibus appetatur; appetitus retineatur, decoquatur, incorporetur, vel emittatur. Furfur siquidem emitti, medulla verò debet incorporari. Talis est columba, de qua scriptum est. *Columba mea in foraminibus petræ, in cauernis maceriæ*. Porrò quæ est hæc columba? Experimento nouit, qui fel amaritudinis non habet, vnde irascatur, nec rostrum, vnde mordeat detrahendo, nec pedes veloces ad effundendum sanguinem operando. Sed qui deuotus est in cogitatione, verax in sermone, simplex opere, columba est. Hæc igitur columba in foraminibus petræ nidificat. Vna est petra, sed multa sunt ejus foramina. Vna est Ecclesiæ domus, sed in domo multæ fenestræ sunt, & ostia multa. Petra Christus, Ecclesia domus; foramina verò siue ostia, diuersus per diuersæ religionis exercitium patens salutis introitus. Sicut enim per foramen in petra, vel per ostium in domo intratur, sic per religionis sanctitatem multiplicem, accessum ad Ecclesiã habemus, vel ad Christum. Ostium siquidem Ecclesiæ, vel foramen petræ ordo conjugatorum est, continentium, seu etiam virginum. Foramina petræ sunt Religio Cisterciensis, Præmonstratensis, Cluniacensis. In foraminibus istis nidificantes columbæ, quandoque frumẽtum, quandoque spinam congregant. Audiant exemplum propositum prælati, audiant & subjecti. Attendant exemplum columbæ in petra nidificantis, vt fiant quasi columbæ in fenestris suis. Vtrumque enim laborare debent, frumentum & spinam. Spinam ad necessitatem supplendam, frumentum ad refocillandam animã esurientem. In spina siquidem sæcularis cura, in frumento ille figuratur, qui frumenti grano se comparat. Quia ergo & ea quæ ad Deum, & ea quæ ad sæculum pertinent, necessaria filijs Ecclesiæ sunt; provt possibile est, laborare debemus; sed necessitatis causa, non voluptatis, illa quæ ad actiuam vitam: illa verò quæ ad contemplatiuam, sola deuotionis causa. Sed & Iacob Patriarcha vtramque, scilicet Liam & Rachelem, sibi copulauit; vtrúmque Iudas Phares & Zaram genuit, vtramq; etiam Christus Martham & Mariam amauit. Quidquid igitur agit & laborat, in petra totum reponat, siue illa quę ad sæculum vel ad Deum pertinent. Alij enim alterum, alij vtrumque pro amore Dei, alij verò pro amore sæculi operantur. Sed si quandoque contemplationis causa vacat à labore, vt sit securus, ad petram refugiat: quia valde est periculosum, aliquid præter Deum cogitare, transitoria cogitando considerare. *Vanitas* siquidẽ *vanitatum, & omnia vanitas, dixit Ecclesiastes*; Si autem vt foris respiciat, extra petram emittit caput, corpore tamen à petra non recedat. Si forte per subitam tentationem, in infimis & caducis mentem ponit, à proposito bonæ actionis non exorbitet; spem inter tentationes in Christo ponens, qui facit in tentatione prouentum. Cogitando namque transitoria, more columbę doleat & gemat; quia nihil est in mundo penitus, nisi dolor & gemitus. Cuncta enim caduca sunt & transitoria. In foramine petræ pullos nutrit, cùm in aliqua religionis districtione verbi Dei frumento subjectos reficit. Sed quia sunt quidam, qui in religionis feruore nouitio inter amaritudines tentationum absque deuotionis, siue contemplationis alis, plusquam oportet sapere, & in magnis & mirabilibus super se ambulare volunt, alta cogitatione petere, cùm nihil præter ima cognoscere sciant; miseriam suã à conspectu cordis eliminant, & fieri volunt majestatis scrutatores, & ea quæ supra ipsos sunt cognoscere volentes, & nondum seipsos cognoscunt: lac nondum sugere sciunt, & jã panem rodunt. Ideo ergo oppressi à gloria, in ipsam plerumque infidelitatem cadunt; quia qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria & meritò. Quia quantò in altum se erigit, tantò grauiùs ab alto cadit. Vbi enim blasphemiæ vermis fidei radicem corrodit, omnes virtutum ramos necesse est exsiccari: vbi blasphemiæ spiritus ædificij nondum bene solidati lædit fundamentum, oportet vt & ipsum labefiat ædificium. Est enim contra legem arare in primogenito bouis, seruare frugum primitias, primogenita retinere, & arborum præputia non circumcidere. A prælatis tales increpandi sunt,

Marginalia: Isai. 51. — Personarũ acceptor nõ est Deus. — Isai. 51. — Cantic. 2. — Vna est Petra Christus sed multa ejus foramina, diuersi introitus in vitam. — Foramina petræ sunt Ordines Religiosi. — Eccle. 1. — Quid sit in foramine petræ pullos nutrire. — Deuter. 15.

quòd nimirum comedunt fructum arboris incircumcisi, cùm intendunt operibus mentis immundæ. In primogenito bouis arat, cùm mens adhuc ex nouitate lasciua profunda rimatur. Primitias frugum & primogenitorum retinent, cùm in initio conuersionis approbant cogitationes suas vel opera. Sed hæc potiùs Deo cōmittenda sunt, & secundùm legis decretum offerenda Deo. Teneant ergo & allidant paruulos suos ad petram, & sicut pullos columbæ in nidulo suo reprimant, ne fortè dum sine alis volare volūt, à petra cadant, & vnguibus milvi pateant. Ibi quippe alendi sunt, sed à tempore in tempus, & in mensura, ne fortè jecur rumpatur, & ipsa tritici medulla quasi stercus vomitu egeratur. Hinc est, quòd in porta Samariæ quarta pars cabi stercoris columbini tempore famis multo vendebatur pretio. Sic nimirum quandoque fit, vt abundantia cibi ipsæ plerūmque deliciæ in fastidium conuertantur. Sed vt subjecti cibum verbi Dei appetant audiendo, retineant intelligendo, decoquant retractando, medullam incorporent operando, furfur emittant, superflua recidendo, & malè dicta corrigendo: necesse est Prælatis, pro modo, pro tempore, pro persona, mensuram tritici erogare subjectis. Vnde illa columbarum columba, quæ rostrum non habuit, vnde morderet, cùm detraheretur ei; nec vngues vnde læderet, cùm occideretur; nec fel, cùm ad amaritudinem prouocaretur; cùm pullos pasceret, ait. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*: ne fortè ex inconsiderata ciborum distributione jecur rumperetur. Cùm igitur prælatus subjectis locuturus, considerat, quid, quibus, quantum, & quomodo Verbum Dei distribuat, vt & carnalibus carnalia, & spiritualibus spiritualia comparet, pro capacitate ingenij, & deuotione, quasi columba in foramine petræ pullos pascit. Vos ipsi filij mei, qui satis inconsideratè, fateor, de ore meo frumentum recipitis, testimonium perhibete, scrutamini conscientias vestras. Quotidie ferè vobis loquimur, quotidie vos admonemus; sed ex ipsa quotidiana consuetudine verbum Dei in fastidium plerisque conuersum est. Certè, si illi qui audiendi verbum Dei vsum non habent, ea quę vos quasi stercus respuitis audirent; multa deuotione, multis lacrymis ea sibi compararent. Exemplum audite. Numquid in tempore famis in porta Samariæ caput asini & quarta pars cabi stercoris columbini multo empta pretio perhibentur? Qui sunt famelici? Qui esuriunt & sitiunt justitiam. Famelici erant paruuli petentes panem, & non erat qui frangeret eis. Hi sūt in porta Samariæ, cùm soliciti de se, mentem incipiunt custodire. Per portam enim initium, per Samariam figuratur custodia, nam Samaria custodia dicitur. In porta igitur Samarię caput asini vendit, qui in custodia mentis inter laboris onera, inter hominum maledicta, inter aculeos tentationum, inter minas potentiæ, exemplum patientiæ foris ostendit; sciens, quia inde dignum pœnitentiæ fructum acquiret. Per caput siquidem asini exemplum patientiæ figuratur. Emit autem asini caput, qui pœnitentiæ causa mentem incipit in patientia possidere. Stercus etiam columbinum famelicus emit, quando ille qui frumento verbi quasi columba pasci solet, tamquam stercus pro consuetudine parvipendit. Et quoniam verbum Dei in historico, morali, allegorico, & anagogico sensu solet diuidi, bene quartam partem cabi columbini stercoris emit ille, qui per alterum istorum quatuor studet & laborat emendari. Attendentes igitur ad petram more columbæ, quidquid cogitatis, non pro vana gloria, non pro humana laude laborate: sed totum pro amore Dei facite. Si verò aliquid præter Deum, vel contra Deum cogitatis, dolete & gemite: frumentum verbi Dei retinete, & facite; nihil vltra quod inspirat Deus, quærentes vel cogitantes. Sed & siquid de sublimitate majestatis diuinę comprehendere cogitando vultis: mentis oculos ab immundis desiderijs mundate: scientes, quia qui mundus est, in immunda mente non habitat. Sic enim ad petram attendit columba. Sed herinacius quid? Petra siquidem refugium herinacijs. Herinacij verò peccatores sunt. Herinacius enim animal est aculeis plenum, quod cùm ab hoste deprehenditur inter aculeos caput abscondit, & quasi securus inter aculeos persequentem expectat. Sed numquid euadit? Numquid non comprehenditur? Nisi ad petram refugiat, non euadit. Ibi profectò securus est. Audiant hoc exemplum peccatores pleni tentationum aculeis; qui latam viam quæ ducit ad mortem incedūt. Morem quippe herinacij tenet peccator, qui caput inter aculeos abscondit, cùm ipsum persecutor apprehendit: quia cùm ab antiquo hoste tentatur peccator, peccatis & suggestionibus suis mente consentit; & inter aculeos in via securus expectat, cùm inter mala quæ facit ab auditione mala non formidat, qua dicturus est Iudex. *Ite maledicti in ignem æternum*. Sed numquid euadet? Non euadet, imò comprehendetur, nisi ad foramen petrę refugiat. Habet enim foramen suum herinacius in petra, sicut & columba. Herinacij foramina Dominicę Passionis sunt vulnera. Cùm igitur peccatorem antiquus persequitur hostis, ad vulnera recurrat Dominicæ Passionis, spem suam illi committens, dicat. Miserere mei, qui passus es pro me. Attendant itaque ad petram herinacius & columba, justus & peccator: quia qui passione sua peccatores redemit, purgatos Religionis districtione sanctificabit. Foramen siquidem columbæ districtio est Regularis disciplinæ; herinacij verò, vulnus passionis Dominicæ. Ergo carissimi, quicumque filij estis matris Ecclesiæ, ad petram attendite, ne fortè cadat ædificium, quando labitur ejus fundamentum. Cùm enim per aliquam diabolicæ suggestionis impulsionem à fidelium mente Christus recedit, pars Ecclesiæ cadit, quia supra petram non erat fundata. Sunt quidam in Ecclesia solo corpore, mente & opere separati. Alij verò, qui cùm ore confiteantur, & corde credant, præputium tamen carnis in præuaricatione portāt. Alij autem doctrinam desiderant, sed pusillanimes & timidi aggredi doctrinæ religionem formidant, eo quod inueniant aliam legem in mēbris suis repugnantem legi mentis suæ. Alij autem, quod appetunt, aggrediuntur; sed contra tentationem impatientes & molles, cùm manū mittunt ad aratrum, retro respiciunt, & reuertuntur. Alij autem cùm in virtutibus & in religione proficiunt, superbiunt & inflantur, inde materiam sumentes superbiendi, vnde potiùs debuerant humiliari. Alij verò vt magis ac ma-

*In primog. bouis arare quid.*

*Sine alis velle volare perniciosū.*

*4. Reg. 6.*

*Ioann. 16.*

*Verbum Dei vilescit apud aliquos, qui sæpe illud audiunt.*

*4. Reg. 6.*

*Quatuor sensus scripturæ.*

*Herinacius in petra tutus, idest in Christo.*

*Matt. 25.*

*Foramina herinacij quid sint.*

*Sunt aliqui in Ecclesia solo corpore*

gis proficiant, innocentiæ & sanctitatis religionem induūt. Primi siquidem sunt hæretici, vel schismatici; secundi peccatores & incircumcisi; tertij justitiam sitientes, sed pusillanimes & timidi; quarti molles, quinti timidi, sexti simplices & religiosi. Attendant ergo schismatici ad petram, quæ vtramque conjunxit maceriam. Attendant peccatores ad petram, qua à præuaricationis præputio circumcidi debent. Attendant qui salutis doctrinam desiderant, ad petram, quæ produxit aquam. Attendant tumidi ad petram, quæ prostrauit Goliam. Attendant molles ad petram, quam Iacob capiti suo supposuit. Attendant superbi ad petram, quæ statuam confregit. Attendant simplices ad petrã, in cujus foramine columba nidificat. *Attendite ad petram.* Petra autem erat Christus. Attendite in diuinitate potentiam, in humilitate subjectionem, in moribus disciplinam, in doctrina scientiam, in omnibus charitatem. Potentiam, qua vos sibi subjecit; subjectionem, qua vos in altum eleuauit; disciplinam, qua vos mirabiliter docuit; scientiam, qua vos verbo erudiuit; charitatem, qua dilexit. Attendite in aduersis, attendite in prosperis. In prosperis justitiam, ne superbiatis: in aduersis misericordiam, ne desperetis. *Attendite ad petram, ex qua excisi estis.* Excisi, non extra cæsi, sed ex ipso, & per ipsum cæsi; quia & à peccato circumcisi, & ab infidelibus diuisi. *Ex qua excisi estis.* A Christo enim deriuati sunt Christiani, tamquam à fonte riui, tamquam à trunco rami, tamquam à Patre filij. Patrem enim multarum gentium constitutus est. Nam per ipsum accepimus spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater. Vnde Propheta quod obscurè præmiserat, declarauit, cùm subjunxit. *Attendite ad Abraham patrem vestrum.* Abraham pater multarum gentium dicitur. Sequitur. *Et ad cauernam laci, de qua præcisi estis.* Quæ est ista cauerna, nisi Eua, de cujus visceribus nati, tamquam de cauerna egressi in hunc lacum miseriæ descendimus? Quia ergo cognito vno contrariorum cognoscitur & reliquum, attendite ad hanc cauernam laci, vt per miseriam quam Eua nobis contulit, misericordiam perpendatis, qua vos Christus liberauit. Ex quantitate siquidem morbi, comprobatur vtilitas medici: ex sapientia discipuli doctrina laudatur magistri. Inde igitur mala quæ per Euam sustinetis, inde bona quæ per Christum consecuti estis, in libra mentis æqualiter ponderate: vt obolismus justitiæ reducatur ad centrum justitiæ. Vel certè per cauernam laci Ecclesiam peregrinantem adhuc in terris significare debemus; de qua filij Ecclesiæ tamquam de matris visceribus longè latéque sunt propagati. Verbo siquidem veritatis de visceribus ejus genuit nos sponsus Ecclesiæ Christus; & per ipsam, præueniente gratia, ab Infidelibus diuisi sumus. Ideo dictum est. *Ex qua præcisi estis.* Præcisi, id est præcedente gratia, per ipsam cæsi, id est diuisi. Attendite igitur ad Ecclesiam, considerantes, quibus ornamentis virtutum sponsus suus eam decorauit, qua dignitate sublimauit, quo perfectionis anulo subarrauit, quo fortitudinis baculo sustentauit, quibus armillis operum consummauit. Attendite & laudate, & illi gratias agite, per quam tantæ sponsæ filiæ meruistis esse. Vel certè per cauernam laci illam significare possumus, de qua, quasi exponendo quod præmiserat, subjunxit Propheta dicens. *Et ad Saram, quæ peperit vos.* Cùm enim dixisset, *attendite ad petram, ex qua excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis*, subjunxit. *Attendite ad Abraham patrem vestrum; & ad Saram, quæ peperit vos.* Subsequens quidem propositio præcedentis est confirmatio. Quia igitur Sara princeps interpretatur, quid per Saram significare possumus, nisi illam, quæ principatum sui, principatum mundi, principatum cœli obtinuit? Principatum quidem sui, quia voluptatibus non consensit. Principatum mundi; quia eam mundi vanitas non seduxit. Principatum cœli; quia ad Filij dextram super choros Angelorum jam ascendit. Hæc est igitur Sara, quæ nos peperit. Nam in illo nobis mater facta est, qui nos fratres vocare non confunditur, vt ibi. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Laci ergo cauerna, quæ nobis emisit agnum, sunt illa Mariæ beata viscera, quæ portauerunt æterni patris filium. Quæ ideo laci dicitur, quia quàvis esset extra mundum per gratiam & deuotionẽ, de mundo tamen erat per naturam. Quoniam ergo per altitudinem virtutum, per patientiam tribulationum, per fortitudinem mentis, per perseuerantiam religionis, virgo gloriosa secundùm Prophetas alto monti, de quo lapis abscisus est sine manibus, vel petræ deserti, de cujus cauerna nobis emissus est agnus, comparatur: attendant alto monti, petræ deserti, cauernæ laci: vt sublimes fiãt in cogitatione, fortes in tentatione, refugij latebras inueniant in aliqua mala suggestione, qui jacent in imo profundi, qui citò consentiunt mundo siue carni, qui patent diabolicæ voluntati. Altitudinem enim in monte, fortitudinem in petra, refugiũ inuenimus in cauerna. Ad vtrumque ergo attentiùs attendamus, ad petram & cauernam, ad Christum & Mariam: vt quod vterque nobis contulit agnoscentes, ingratitudinis vitio non arguamur. Sicut enim duo sunt, quæ nobis ad damnationem obfuerunt, culpa præuaricationis, & pœna retributionis: & hæc duo operati sunt vir & mulier, Adam & Eua; ita duo nobis ad salutem profuerunt, purificatio mentis, & passio redemptionis; & hæc similiter vir & mulier Christus & Maria. Attendamus igitur ad Christum & Mariam; ad petram deserti, & petram desertam: quorum nobis altera emisit agnum, altera nobis nutrit pullos columbarum. Hæc enim secundùm legem Moysi nostræ congruunt purificationi. Scriptum quippe est. *Mulier, quæ suscepto semine pepererit filium, immunda erit septem diebus.* Mulier à mollitie dicitur: nam eo quod mollis sit & fragilis, mulier appellatur. Quid igitur in muliere, nisi molles accipimus, illos nimirum, qui citò diabolicæ suggestioni consentiunt? Quasi semen suscipit mulier, cùm anima mollis & fragilis suggestioni peruersæ consentit: imprægnatur, cùm deliberat: parturit, cùm operatur. Et notandum, quòd quandoque parturit masculum, quandoque feminam. Masculum quippe parit, si in perpetratione peccati aliquid virilitatis admixtum fuerit. Cùm enim aliquis peccare deliberat, & sacer locus, vel sacrum tempus euitatur, vel causa præmittitur necessitatis, siue etiam modus naturalis; parit quidem, quia non resistit; sed masculum, cùm in ipso actu virili-

*Isai. 51.* (left margin, beside "Attendite ad petram")

*Ibidem.*

*Ecclesia est cauerna laci.*

*Isai. 51.* (right margin, beside "Et ad Saram")

*Beata Virgo per Sarã designatur.*

*Psal. 21.*

*Ad Christũ & Mariam attendere debemus.*

*Leuit. 12.*

tatis aliquid fuerit admixtum. Cùm autem nec tempus nec locus perpenditur, sed in causa voluptas sola consideratur, & modus exquiritur, qui extra naturam est, feminam parit: quia in peccati perpetratione nihil laudabile reliquit. Hinc est, quòd satis apertè præcipitur, vt illa quæ feminam parit, duplici pœnitentia puniatur. *Mulier* inquit, *quæ suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus.* Immunda erit, id est immundam se judicabit. Ream enim se & immundam coram Deo debet judicare, quòd gauisa sit in peccati perpetratione. Dies verò exultationem mentis significat: quia sicut dies mundum clarescere facit, sic exultatio cordis & jucunditas mentem lucidam reddit. Sicut ille qui delinquit priùs in suggestione, in delectatione, in consensu, in deliberatione, in opere, & operis voluptate, gaudere solet: sic quando pœnitet, immundum pro his omnibus se judicare debet, dolere tamen, quòd in ijs gauisus sit. Sed quia nihil valet cordis contritiò, nisi subsequatur oris confessio, subjunxit protinus Moyses & ait. *Octauo die circumcidetur.* Quid est peccati circumcisio, nisi confessio? Cùm enim post contritionem & oris confessionem cum hilaritate circumquaque articulos amputamus, vt à morte animæ resurgamus, quasi octaua die masculum nostrum circumcidimus. Octavus etenim dies mentis illuminationem designat, per quam resurgimus à nocte peccati, & à morte inferni. Sed sunt plerique, qui post confessionem non humiliantur, sed negligentiùs agunt: eo quòd sciant esse scriptũ. *Omnia in confessione lauantur.* Propter quod, faciliùs in peccatis incidunt, & recidivum patiuntur. Oportet etiam vt in bonis actibus seruos inutiles se pronuntient, scientes, quia corã illo venturi sunt ad judicium, qui etiam capillos capitis numerabit. Timere etiam debent, si bene fecisse, si totum dixisse se crederent, quod commiserunt. Quis enim fragilitatem suam suspectam non habeat? Quis humanæ negligentiæ læthargum formidare non debeat? Quis omnes * circumferetias quæ adjacent peccato, confiteri non negligat? Vel si confiteatur, quomodo scit, si Deo fuit acceptabilis? Quis enim nouit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Offerebat Abel, offerebat & Cain: sed illius sacrificium accepit, istius autem spreuit. Vterini fratres Iacob & Esau: sed ille electus est à Deo, iste verò reprobatus. Sic etiam duo in domo, duo in agro, & in mola vno; sed vnus assumetur; alter relinquetur. Non tamen hæc dico, tamquam incertus sim, vtrum confessio simplex, pura, & deuota peccatum lauet: sed hoc idcirco dico, quia quando confitemur, nescimus, si in conspectu ejus, qui scrutatur renes & corda, sit tantæ simplicitatis, tantæque puritatis, & tantæ deuotionis confessio; vt oportet, & necesse est. Timor enim in hujusmodi semper est necessarius. Ita tamen peccator post confessionem timeat, vt non desperet: & sic speret, vt timeat; & de compositione actuum suorum solicitior fiat: quoniam qui sacrificiũ Cain spreuit, pœnitentiam Mariæ suscepit: & qui verba Pharisæi respuit, orationem Publicani non despexit: & Ieremiam & Ioannem in vtero sanctificauit, qui in vtero matris Esau odio habuit: & qui Iudæ confessionem non suscepit, post adulterium & homicidium, peccatum Dauid per confessionem lauit. Timeat quidem de justitia, gratuletur de misericordia; exultet vt timeat; sic timeat, vt exultet: formidet, ne superbiat; gaudeat, ne desperet. Hinc est illud, quod subinfertur. *Triginta tribus diebus maneat in sanguine purificationis.* Licet enim inter impares computetur iste numerus, tamen secundus & compositus ab arithmeticis perhibetur. Sunt etiam & alij impares, qui primi & incompositi sunt. Quis igitur in impari primo & incomposito figuratur, nisi ille, qui per incompositionem actuum suorum ab æqualitatis & justitiæ regula discedens, adhæret illi, qui de terra est terrenus, per inobedientiæ præsumptionem? *Primus Adam*, ait Apostolus, *de terra terrenus, secundus de cœlo cœlestis.* Inæquales primi & incompositi sunt, qui inæqualitatem & cordis injustitiam, & per incompositionem sui veterem induũt hominem cum actibus suis. Per inæqualem autem secundum & compositũ illi figurantur, qui licet ab æqualitatis regula per injustitiæ vitium discesserunt, ex ipso tamẽ timore peccati de compositione actuum suorũ soliciti sunt, vt ipsum induere mereantur, qui de cœlo cœlestis est. Est enim secundus de cœlo cœlestis. Triginta ergo & tribus diebus manet in sanguine purificationis, qui per cordis illuminationem & operis compositionem purificatur ab inæqualitate præuaricationis, induens novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Sed quia mens per fidem illuminatur, & per contritionem cordis religio vera componitur, satis apertè subjunctum est. *Et offeretur pro eo agnus, siue duo pulli columbarum.* In agno hoc ille figuratur, qui coram tondente se obmutuit; & cùm in cruce pateretur, non operuit os suum: primò inter manus Simeonis, & secundo in crucis vertice pro mundi salute oblatus. Et notandum, quòd quotidie per manus sacerdotis in altaris sacramento longè differentiùs offertur. Sed quia ex ipso & per ipsum pendet tota nostræ salutis intentio, pro nobis & à nobis per sacramentum altaris offeratur, ipsumque nobis incorporemus: vt nos vnum corpus cum ipso simus & per ipsum suo conformemur simplicitatis exemplo. Exemplum quippe nobis dedit per vitæ innocentiam, vt & nos ita faciamus. Si enim simplex & innocens non fueris, non prodest tibi, sed obest, quod pro te Christus est oblatus. Cum agno siquidem offerre debes pullos columbarum, in quibus gemina significatur simplicitas, actus scilicet & cogitationũ. Igitur carissimi, si purificari, si mundari volumus, attendamus ad Christum, & ad matrem Christi; ad petram & cauernam laci; ad petram desertam, & petram deserti. Petra siquidem deserti virgo Maria fuit, quæ orta est de tribu Noëmi. Vnde dictum est. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Petra verò deserta Christus dicitur, de quo scriptum est. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Attendamus igitur ad Mariam, ipsam in mulieribus benedictam confitentes. Attendamus & ad Christum, ipsi gratias agentes, qui pro nobis oblatus secundùm humanitatem, & secundum diuinitatem obtulit nos Deo Patri, qui viuit & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Marginalia: Leuit. 12. — Ibidem. — Post confessionem negligentia cauenda. — * Vel, circũstantias. — Nescimus, an confessio nostra sit satis pura. — Leuit. 12. — 1. Cori. 15. — Leuit. 12. — Sacrificium Eucharistiæ — Virgo est petra deserti. Isai. 16. — Psalm. 117.

*In eadem solemnitate.* SERMO III.

Matt. 13. Luc. 10. Cupiditas hydropisis est. Deuter. 6.

SIMILE *est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit, & præ gaudio vadit & vendit omnia quæ habet, & emit agrum illum.* Teste, dilectissimi, veritate, vnum est necessarium: sed cæca & crudelis, & omnium vitiorum hydropisis humana cupiditas, mentem hominis in multa diuidit, & distrahit in diuersa, quoties ab vnitate recedit. Quæ vnitas? *Audi Israël, Deus tuus, Deus vnus est.* Ideo vnus, quia per partes diuidi non potest, non enim corpus est: nec etiam per affectus, quia anima non est. Nec vnus ab vnione dicitur: quia collectio multorum siue massa nõ est. Sed ab hac vnitate multa diuidunt; & hanc vnitatem tamen non diuidunt. Multa ab vnitate diuidunt: quia multa cum vnitate non cõueniunt. Nam vnum esse non potest res quæ in multa diuiditur, sed vnitatem non diuidit; quia cùm simplex & vna sit, diuisionem non habet. Ab hac igitur vnitate mentem primò diuidit diuisionum mater cupiditas, quæ in tot mentẽ dilacerat, in quot affectionum diuersitates variando multiplicat. Nunc enim voluptatis, nũc honoris, nunc diuitiarum affectibus, ab vnitatis stabilitate mentem mouet. Sola quippe cupiditas duo diuisionis inuenit verba, *meum* scilicet & *tuum*; quæ charitas in hoc quòd sua non quærit, omnino detestatur. Hæc quando mentem afficit, hydropisis more eò plus sitit, quò bibit. Incrementum pecuniæ dat incrementum malitiæ. Quantò pecunia major acquiritur, tantò major habendi voluntas habetur. Vnde Poëta.

Iuvenalis

*Crescit amor nummi, quantũ ipsa pecunia crescit.*

Sed in hoc cæca dicitur, quòd appetit non appetenda; & non appetit appetenda. Nam si vel appeteret appetenda, vel non appeteret euitanda, non cupiditas dici deberet, sed charitas. Eò igitur crudeliùs in mente sæuit, & domicilium suum eò detestabiliùs dissipat & incendit, quantò quis ejus tyrannidem affectuosiùs amplexatur, aut recipit. Propter hoc dilectissimi fratres, hoc detestabile mortis venenũ Isaïas merito redarguit, dicens. *Væ qui agrum agro copulatis vsque ad terminum loci.* Quid est vsque ad terminum loci? Vsque ad agrum qui termino loci finitur. Vsque ad terminum loci dicitur, vt agrum illum excludat, qui termino loci nec clauditur, nec circumscribitur, nec difinitur. Hic enim est ager, de quo Salomon in laude sponsæ meminit, dicens. *Considerauit agrum, & emit eum.* Hic est ille plenus ager, de quo Isaac in laude filij loquitur, ita dicens. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Hic est ager, in quo seuit idem Isaac, & inuenit centuplum. Hic est ager lentis, in quo Semma Ararites viriliter stetit, cùm fugeret populus Israël, & ipse stans viriliter expugnauit Philistæos. Hic est ager, quem vænalem fecit Anameel filius Sellum patrueli suo Ieremiæ. Qui quamvis esset in periculo mortis, vtpote qui erat in luto carceris vsque ad guttur, nec agri posse se fieri possessorẽ vsque ad annos septuaginta cognosceret, agrum tamen adeò affectauit, vt emeret; sciens quia non poterat ab expectatione sua confundi. Igitur vel quod exercitio laboris emitur, regnum cœlorum; vel in qua per laborem passionis salutem generis humani Christus operatus est, caro figuratur. Ager enim dicitur ab agendo; qui ager lentis dicitur, quia passibilis fuit. In quo Semma Ararites stetit, quando factus est obediens patri vsque ad mortem. Vnde Semma interpretatur obediens: qui bene Ararites, id est montanus dicitur: quia in assumpta carne clarificauit eũ pater claritate quam habuit, priusquam mundus fieret. Vnde Apostolus. *Propter quod illum Deus exaltauit; & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Cùm igitur fugeret populus, eo quòd non esset qui faceret bonum, iste solus torcular calcauit, & percussit Philistæos; quia solus spirituales prostrauit inimicos. Hunc agrum Anameel, id est gratia Dei, scilicet misericordia Iesu, vænalem fecit Ieremiæ: quia gratiâ siue misericordiâ Dei præueniente, & laboris exercitio subsequente tanti beneficij particeps efficitur, quicumque in altitudine vitæ spiritualis exercetur. Felix qui agrum suum huic agro copulat, vt vnum sit in Christo, & Christus sit vnum in ipso; vt sic copulet agrum agro, qui nullo clauditur loco. Nam de hoc agro Salomon ita dicit. *Præpara opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum.* Sed *væ* illi, ait Isaias, *qui agrum agro* copulat *vsque ad terminum loci*; id est vsque ad agrum, qui clauditur termino loci: qui ager ostenditur in parabola seminatoris & seminis, quia ager est mundus. Qui enim mundum sibi, vel se mundo, per amorem jungit, væ illi: quia qui voluerit esse amicus mundi, ait authoritas, inimicus Dei constituetur. Ex supradictis igitur authoritatibus tria nobis agrorum genera proposuit sermo diuinus; mundum, hominem, Christum. Et bene agris comparantur, quia nec mundum, nec Christum, sed neque seipsum, nisi laborando & agendo potest quis possidere. Sed qui mundo vtitur, abutitur: qui Christo, fruitur: qui seipso, vtitur quidem; sed nec fruitur, nec abutitur. Nam seipsum diligere in Deo & propter Deum, Deum verò propter seipsum, mundum verò diligere non debet, nisi fortè propter Deum in aliquo diligatur; quando scilicet vel in immensitate potentia, vel in pulchritudine sapientia, in vtilitate benignitas Dei commendatur. Alioqui vti debemus tamquam non vtentes, tamqnam nihil habentes, & omnia possidentes. Et si aliter vti mundo volueris, abuteris. Quæ enim major potest esse abusio, quàm vt seruias ei, qui factus est ad seruiendũ tibi? Factus est enim mundus, vt seruiret homini; homo verò, vt seruiret creatori: ita tamen, vt quod mundus homini, vel homo impenderet creatori, totum humanæ deseruiret vtilitati. Deus enim bonorum nostrorum non eget. Item duo bona dedit Deus homini ab initio: vnum visibile, alterum inuisibile: vnum gratis, alterum meritis. Gratis mundum, meritis cœlum. Nihil enim boni aut mali egerat Adam, quando dedit ei Dominus mundum, & omnia quæ fecerat in mundo. Vnde piscibus, auibus, & bestijs factis, adduxit ea ad Adam. vt videret quid vocaret ea, vt tamquam sua nominibus ea discernere sciret. Voluit etiam, vt per obedientiæ meritum bonum sibi inuisibile compararet. Sed mira res, imò miserabilis. Libenter emit homo, quod gratis datur: gratis autem vult habere, quod non nisi emendo acquiritur. Sed quid emere volumus, fratres?

Isai. 5. Genes. 27. 2. Reg. 23. Ierem. 32. Philip. 2. Prouer. 24. Isai. 5. Iac. 4. Christus agro comparatur. Emere volumus, quod gratis datur & gratis possidere, quod emendũ est.

Numquid in eo videtis agrum hominis pigri, quem totum repleuerunt vrticæ? Numquid spinosa vel petrosa, vel pedes in vijs conculcantium semina? Numquid consideratis montes Gelboë, super quos nec ros nec pluuia venit? Nonne videtis animas, sicut terram sine agua, Deo? Numquid terram conspicitis, quæ non satiatur aquis; imò & illam, quæ imbrem super se venientem non recipit? Sed nunc innatas agrorum possessiones inspicite, & demũ illatas. Infecta est terra corruptionibus. Seminat homo bonum semen, & vitio terræ pullulant cum bono semine zizania. Habet hoc vitium quandoque intus, quandoque foris, quandoque intus & foris: & quandoque inficit semen in radice, quandoq; spinas inficit sterilitate. Quandoque fit non ex vitio terræ, quòd germinet zizania, sed ex aliunde innata passione. Inimicus enim homo facere solet hoc, vt superseminet zizania, cùm dormit dominus agri. Quòd si fortè domino suo, juxta quod seminatum est, ager bene respondeat; dormire nesciunt, qui agrum non suum de nocte demetunt. Propterea imitantur Cain fratri suo suggerentem ire in agrum, videoque eum in filijs suis offerentem, quæ de auaritia congregant & rapina. Propterea residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ bruchus, residuum bruchi rubigo. Quàm detestabilis labor, fruct⁹ modicus, vtilitas breuis; vt in omnibus tam inutiliter, quàm mirabiliter homo seipsum destruat ac consumat. Si carnales oculos aperis, hæc videbis, si spirituales, detestabilius inspicies. Nonne otiositas prouocatrix est sanguinum? Hic est ager pigri plenus vrticarum. Nonne diuitiæ generant solicitudinum spinas, duritia & obstinatio petras, instabilitas vias? Sunt etiam in mundo superbi, qui prædicationis imbrem, tãquam montes Gelboë suscipere dedignantur. Sunt auari, qui tamquam terra quæ non satiatur aquis, non saturantur diuitijs. Inueniuntur etiam qui intus inficiuntur per intentionem; quorum tamen operatio foris bona. Sunt qui secundùm actionem corrupti sunt, & tamen intentio bona. Sunt etiam qui foris per actionem infecti sunt. Multoties verò cum dormit per negligentiam homo, hostis antiquus post fidei, vel alterius boni susceptionem seminis, vitiorum superseminat zizania. Inuidet & major frater minori, hoc est caro spiritui; vel pro vitulo saginato, vel quia laborat in agro. Quia enim caro mundum diligit, salutem animæ postponit. Ideo autem carnem & spiritum quasi fratres dixerim, quia vterini sunt; non ex vno patre, siue ex vna matre trahentes originẽ: quia cùm caro infundatur & coaguletur ex semine, spiritus à Deo formatus ex nihilo informata carne formãdo absque mora infunditur, & infundendo formatur. Formatis siquidem membrorum lineamentis, post quadraginta & sex dierum spatium infundendo formatur, & formata statim infunditur anima. Non enim ex traduce est anima, sed caro. Vnde Propheta. *Qui fingit sigillatim corda eorum* Et alibi. *Pulvis in pulverem reuertetur: & spiritus redeat ad Deum qui fecit illum.* Et rursum Moyses. *Si quis percusserit mulierem pragnantem, & fecerit abortivum, si formatum non erat, mulctetur pecunia: quòd si formatum, reddat animam pro anima.* Ex vno tamen vtero ambo prodeunt in lucem: & quasi fraterna societate quasi ex vno vtero simul egrediuntur. Sed in hoc carnem majorem natu dico, quia primò in liquorem infunditur, & membrorum lineamentis formatur: & sic anima à solo creatore Deo facta de nihilo, formatæ carni in vnum hominem vnitur. Inuidet ergo major minori: quia cùm caro mundi hujus delicijs intendit, bonum animæ paruipendit. Sunt præterea quatuor genera tentationum, quę erucæ, locustæ, brucho, rubigini comparantur; videlicet diu deliberata & occulta, subita & aperta, diu deliberata & aperta, subita & occulta tentatio. Si enim subitò mentem subuertere non potest, non ideo minùs instat inimicus; sed paulatim mentem velut parietem inclinat, & depellit vt maceriã: & quod apertè rapere non potest, furatur occultè; vt sit nunc serpens vectis, nunc tortuosus, nunc dici possit antemos, nunc diclux, & se esse bestiam manifestet, cujus numerus est sexcenti sexaginta sex. Quia igitur, vt dictum est, terra non solùm infecta, sed etiam interfecta in sanguinibus, & contaminata est in operibus vetustatis, nouis superuenientibus vetera projicientes nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas. Nouale dicunt homines agrum, qui post factam runcationem, stipularum incensionem, lętaminis respersionem, arationem, seminationem, occationem, ab omni noxia vetustate purgatus, in fœnore fructus multiplici sui respondet semini possessoris. Tale nostrum, de quo dixeram, ager lentis, ager Ananehel. Sed cùm nihil aliud sit runcatio, quàm tribulorum siue spinarum extirpatio: videtur quòd ibi tribuli siue spinæ fuerint, quæ extirpatæ sint. Non enim extirpari potuit, quod ibi non fuit. Sed si, vt dictum est, per agrum Christi carnem accipimus, & per spinã peccatum: videtur, quòd illa caro aliquando obligata fuerit peccato, quod postea fuerit extirpatum. Quid est ergo quod legitur, quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore ejus: quia actuali peccato obligata non erat, sed fortè originali? Sed si hoc est, quomodo in lumbis Abrahæ decimatus non fuit, sicut Leui decimatus fuit: si caro ejus ibi obnoxia peccato fuit, sicut & caro Leui? Propterea quidam putauerunt carnem illam, quæ assumpta est à Verbo, ab ipso primo parente vsque ad susceptionem sui à Verbo, liberam ab omni peccato fuisse, & mundam deductam, ita vt numquam sub peccato fuerit, sed à peccato non solùm liberatam, sed liberam. Sed per quas rimas ita descenderit, non inuenio: cùm non descenderit, nisi per concupiscibiliter natos. Propter hoc catholicæ veritatis assertio, filium Dei, qui pro peccatoribus natus est, de carne obnoxia peccato carnem asserit assumpsisse. Quæ quidem à peccato libera fuit; sed ideo libera, quia liberata: ideo libera, non quia sub illo numquam fuerit; sed quia sub illo aliquando esse desijt. Sed quando? Post Virginis conceptionem. Nam & ipsa, quoniam ex consensu maris & fœminæ concupiscibiliter concepta est, in peccatis concepit eam mater sua. Sed post conceptionem mundata & sanctificata est in vtero matris, vt sancta nasceretur, quæ concepta fuerat in peccatis. Nam si de Ieremia, vel de Ioanne Baptista hoc verum ideo credimus, quia futura erant vasa electio-

*Matt. 13.*

*Quinam Cain imitentur.*

*Mundus est ager habens vitiorum spinas, petras, &c.*

*Caro & spiritus sunt quasi fratres vterini.*

*Psal. 32.*

*Eccle. 12.*

*Exod. 21.*

*Quatuor genera tentationum.*

*1. Petri 2.*

*Quorumdam opinio de carne Christi improbabilis.*

*Catholica assertio.*

nis, in quibus Deus abscondi debebat per inhabitantem gratiam; multomagis vas illud singulare mundari debuit, in quo filius Dei latere voluit, non solùm per inhabitantem gratiã, sed per carnis vnionem: in quo Deus hominẽ assumpsit; hominem dico, id est, hominis naturam, non hominis personam, sed hominem in personam: ita vt in Deum transiret, non naturæ versibilitate, sed Dei dignatione: quia nec Deus est mutatus in humanam substantiam, assumendo hominem; nec homo in diuinam, cùm glorificatus est in Deum. Propterea ergo mundata fuit, vt mundam sibi de carne munda carnem assumeret, qui mundi sordes tergere disponebat. Propterea nec in conceptione, nec in natiuitate aliqua mundatione caro assumpta indiguit: quia ex ipso matris vtero, in matre virgine munda fuit. Quia ergo hoc solùm ejus ibi fuit, quod inde futurum ejus fuit; Leui decimari debuit, & hoc Christus non debuit: quia per propagationem originis Leui naturã & culpam habuit in lumbis Abraham; Christus verò solam naturã, quę decimatione non eguit. Oblatio enim non pro natura, sed pro culpa offertur: quia si culpa non esset, natura oblatione opus non haberet. Hæc est agri runcatio; mundatio scilicet Virginis, & sanctificatio, quæ nascendo liberum arbitrium, sicut omnis rationalis creatura, suscepit. Et quia liberum arbitrium habuit, & nondum liberatum, ad vtrũque flecti potuit. Quia verò mortalis erat per naturam, infirmitatem habebat ad malum: & quia mundata per gratiam, adjutorium habuit ad bonum. Vnde & peccare per infirmitatem potuit, & per gratiam non peccare. Vnde & tantò gratiosior fuit, quantò sanctior: quia transgredi potuit, propter infirmitatem; & nõ est transgressa, propter gratiam adjuvantem. Sicut igitur Virgo ab originali peccato fuit mundata in vtero matris per gratiam operantẽ; ita quoque nata munda ab actuali per gratiam cooperantem. Actuali dico criminali, vel fortè veniali, ligno, fœno, & stipula. Fortè aliquæ fuerunt in ea vel tenues cogitationes, vel suggestiones absque consensu, cum quibus charitas habitare non dedignatur. Imò sicut stipula vel aquæ gutta addita camino, ita est charitas adjuncta hujusmodi veniali peccato. At postquam Spiritussanctus, qui ardor est Patris & Filij, superueniens ipsam obumbrauit; & Filius Dei, qui est ignis consumens, intus eam fœcundauit: sic omnes stipulas venialis peccati penitus incendit, vt libero arbitrio remanente, imò potiùs liberato & confirmato, non peccare potuit, & non potuit peccare. Nam sicut Angeli vel Sancti jam confirmati, libero non carent arbitrio, & tamen peccare non possunt, quia nullus eos ad hoc cogit, sed nuda liberalitate rata & confirmata hoc faciunt; ita & beata Virgo propter gratiæ priuilegium singulare in hac carnis fragilitate ita beatificata fuit, vt spontaneo motu animi ducere nec peccare vellet, nec peccare posset: & hæc est agri stipularum incensio. Talem igitur & tam gloriosè mundatã salutauit Agelus dicens. *Aue gratia plena.* Et paulò pòst. *Ecce concipies in vtero*, &c. Sed virgo de verbis Angeli non diffidens, sed facti modum quærens, respondit. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ac si alijs verbis dicat. Quomodo ager fertilis esse poterit, nisi priùs aperiatur; nisi primò naturæ debitum ei impendatur? Quomodo ergo fiet, quoniam virum non cognosco? Sed quid quæris virgo? Quæris gratiæ modum in facto, siue miraculum, seu consuetudinem, aut naturam? Si modum gratiæ quæris; *Spiritussanctus superueniet in te*, qui omnes agri stipulas incendet, & nouabit nouale suum, novum faciens super terram, quia tu circumdabis virum. Si verò miraculum, descendet ros in vellere carnis, & area sicca remanebit. Producet virga nucem absque radice: inflammabitur igne cœlesti rubus, & non comburetur. Quòd si talem in rebus consuetudinem quæris, vitrum carnis sine læsione vitri sol justitiæ penetrabit: quia nec vitrum corrumpetur, nec solis claritas minuetur. Si verò similem quæris in rebus naturam; sicut ex vino bibiones, ex aqua papiliones, ex arborib⁹ aues, apes ex fauo, teredones ex ligno: sed etiam sicut vultures absque commixtione maris, aut seminis infusione imprægnantur & concipiunt; ita & tu absque maris commixtione, vel infusione seminis, concipies & grauida eris. Nihil igitur, quod huic facto debeat obuiare. Ridiculosum quippe valde esset, vt quòd alijs dare posset, sibi conferre non posset. Solummodo ad obedientiam cor aperi, & fœcunda eris, vt sit fertilis ager. Sermo enim Dei viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti cor aperiet, vt agri sit aratio cordis apertio, & fœcundaberis illo semine, quod promissum est Abraham. *In semine tuo hereditabunt omnes gentes.* Et iterum Isaias. *Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus.* Ergo agri satio fuit Filij missio, siue incarnatio. Quid igitur Angelo Virgo respondit? *Ecce*, ait, *ancilla Domini.* Quàm conuenienter & verè dixisse potuisset. Ecce regina mundi, imò regina cœli: quæ dixit, Ecce ancilla Dñi. Sed sic aspergit agrum suum humilitatis lętamine, de quo legitur in Euangelio. *Sine, vt hoc anno fodiam circa eum*, id est ficulneam, *& mittam stercora.* Idem enim est stercus, lætamen, & fimus. Dicitur enim stercus, quia sternitur; fimus, quia fit imus; lætamen, quia germina reddit læta. Sub hoc ergo lætamine semen occatũ est. Occatio seminis est absconsio Verbi. Semen est Verbum Dei, occare autem operire est. Semen occatum Verbum est absconditum. Hoc igitur semen thesaurus est, de quo scriptum est. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Scriptum est enim. *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis.* Et alibi. *Prope est Verbum in ore tuo.* Nihil est ergo aliud verbum in ore sapientis, quàm thesaurus desiderabilis in ore sapientis. Thesaurus ergo verbum est. Sed aliud est verbum in ore carnis, aliud in ore cordis. Illic verbum intrinsecum & absconditum; ibi verbum extrinsecũ & manifestum. Nam de ore cordis scriptum est. *Os justi meditabitur sapientiam.* De ore summi Patris, hoc est de ore cordis hoc verbum eructatum est. *Eructauit*, ait, *cor meum verbum bonum.* Quid est cor Patris? Quod alibi dicitur vterus Patris. In hoc vtero absconditum Verbum Patris eructatum est in vterum Virginis, & rursum ibi absconditum est. Sed in vtero Patris ideo absconditum, quia incomprehensibilis est sapientia Patris. Sapientia quippe Patris Verbum Patris. In vtero verò matris absconditũ,

*Verbum assumpsit naturam humanam, nõ personam humanam.*

*Hebr. 7. Leui decimatus est in Abraham, non Christus.*

*B. Virgo liberum arb. habuit ad bonum & malum.*

*Liberum arbit. Virginis in gratia tandem confirmatum.*

*Luc. 1.*

*Luc. 1.*

*Figura & exempla conceptionis sine semine.*

*Genes. 22.*

*Isai. 1.*

*B. Virgo Regina mundi & cœli.*

*Luc. 13.*

*Prouer. 21.*

*Rom. 10.*

*Psal. 36.*

*Psalm. 44.*

*Verbum in Patre abscõditum & in Virgine.*

*Christus nec omnino manifestari nec abscondi voluit.*

ne cognosceretur à perfidis Iudæis. Si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sicut tamen nec omnino manifestari voluit, sic nec penitus abscōdi: quia & aliquo modo manifestari voluit, ne infidelitas inueniret locum; & tamen abscondi, vt fides haberet meritum. Ergo sapiētia quæ in sui natura īmutabilis erat, sub nostra mutabilitate voluit abscondi: vt per assumptā mutabilitatē ad īmutabilitatem mutaremur, vel vt meliùs dicā, immutaremur. Mutabuntur enim perfidi, sed non immutabuntur: quia in illo non mutabuntur. Vnde Apostolus. *Omnes quidem resurgemus; sed non omnes immutabimur.* Tunc autem immutabimur, non solùm quando nostrum corruptibile induet incorruptelam, vel mortale immortalitatem; sed quando absorpta erit mors in victoria. Propterea, vt dictum est, sapientia Patris immutabilis, in sua diuinitate, mutabilis esse voluit in nostra humanitate. Vnde in suo immutabilis, in nostro mutabilis. In suo ideo immutabilis; quia nec augeri nec minui poterat, nec mutari. Augeri quidem non poterat, quia immensa est: minui verò, quia simplex & vna est. Mutari autem loco non poterat, quia vbique est: nec tempore, quia æterna est: nec cogitatione, quia sapientissima est: nec affectu, quia optima est. Nam si propter nominum varietates mutari videatur in rebus humanis; vt nunc propter præsentia scientia, nunc propter futura præscientia, nunc propter facienda dispositio, nunc propter saluanda prędestinatio, nunc autem prouidentia propter subjecta dicatur; non ideo fit, quòd ipsa mutetur in rebus: sed quia res esse suum mutant in ipsa, vel saltem sub ipsa. Mutabilis tamen facta est in nostra humanitate, vel secundùm mutabilitatem cohærentiæ, aut discohærentiæ, vel adhærentiæ, vel inhærentiæ. Mutabilitas cohærentiæ, quando res rei alterius generis ita cohæret, vt eam mutet & ipsa mutetur: vt cùm cibus incorporatur, cibus mutatur in carnem, & caro mutatur in fortiorem. Vel quando res rei ita cohæret, quòd ipsa non mutat, & illam mutat: sicut sapientia cùm accedit animæ, mutat in melius animam, quod facit eam sapientiorem, ipsa verò non mutatur. Vel certè, quando res ita rei cohæret, quòd ipsa quidem mutatur, & illam non mutat: sicut humanitas diuinitati cohærens, diuinitas humanitatem mutauit, quia digniorem & meliorem fecit; ipsa verò non est murata. Mutabilitas verò discohærentiæ est, quando res quæ vna est, in aliam ita mutatur, vt mutetur pariter accidens & subjectum; quod factum est, cùm aqua mutata est in vinum. Ibi enim sic vinum transiuit in aliud, vt & color & sapor aquæ transiret in colorem & saporem vini, & ipsa aquæ substantia in substantiam vini. Vnde quando res aliqua ita transit in aliam, vt remanente subjecto mutentur accidentia, quod fit, quando fœnum transit in vitrum, ibi sola accidentia mutantur, scilicet fœneitas, vt ita dicam, in vitreitatem, sed eadē remanet fœni substantia; vel quando res aliqua ita transit in alteram, vt ipsum subjectum mutetur, sed non accidentia; vt cùm panis fit corpus, vel transit in corpus Christi, substantia panis transit in substantiam corporis Christi; sed accidentia, id est rotunditas panis, sapor vini, non mutātur. Non sunt accidentia hæc in subjecto: quia alia hæc, alia accidentia subjecti. Ibi enim non est panitas, sed, vt ita dicam, carnositas. Mutabilitas inhærentiæ, quando anima diuersis affectibus mutatur; vt nunc gaudeat, nunc doleat; nunc timore, nunc afficiatur amore. Secundùm hos affectus in humanitate nostra mutabilis facta est sapientia Dei. Scriptum quippe est. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Et in Euangelio. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Item. *Cœpit Iesus pauere & tædere.* Et alibi. *Desiderio desideraui, hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Sic assumptus homo per mutationes inhærentiæ variatur. Mutabilitas adhærentiæ est, cùm per diuersas passiones exterior homo variatur. Vnde & de illo assumpto homine scriptum est. *Iesus autem, cùm jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriyt.* Et iterū. *Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Et Isaïas. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Ecce quomodo mutabilis. In quibus omnibus abscōditus erat filius Dei. Propter hoc Psalmista dicit. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Et Ieremias. *Verè tu es Deus absconditus.* Ergo *simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro,* &c. Absconditus vt dictum est, vel quia incomprehensibilis diuinitate; vel quia mutabilis humanitate inuentus est fidelibus. Sed qui sunt, qui inuenerunt? Qui hodie Christo obviam venerunt. Solemnitas hæc hypapanti Domini, id est obviatio Domini vocatur: quia hodie Simeonis & Annæ solēnis memoria celebratur, qui Christo obviam venerunt in templo; quando parentes ejus tulerunt eum, vt sisterent, id est offerēdo eum Domino præsentarent. Et satis dignè. Nam Simeon obediens, Anna gratia interpretatur. Gratia quippe mentem mouet ad fidem, obedientia motam promouet ad operationem. Gratia mentem mouet, vt velit, obediētia promouet per gratiam cooperantem. Gratia dat lumen fidei, obedientia virtutis augmentum. Sic honestè procedentes in hac processione viri seorsum, Simeon & Ioseph, & mulieres Anna & Maria, in medio templi misericordiam suscipere meruerunt. Nam, sicut dictum est, Anna gratia, Maria illuminans, Simeon obediens, Ioseph augmentum interpretatur. Et quoniam fides alia cognitione magna, & affectu parua; alia affectu magna, cognitione parua; alia verò cognitione & affectu magna; illam Deus fidem approbat, quæ affectum cognitioni maritat. Nam prima quidem sapientium est, scilicet à sapere, secunda sapientium scilicet à sapore; tertia sapientium, in quorum cordibus sapidū reddit quod sapiunt, cognitio fidei & affectus. Prima fuit Philosophorum, qui cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis; & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Secunda fuit Chananeæ & Centurionis; de quorum altero dictum est. *O mulier, magna est fides tua.* De altero verò. *Non inueni tantam fidem in Israël.* Tertia fuit Annæ & Simeonis, qui vtroque modo fidem habuisse probantur: quia scriptum est. Simeon in manibus infirmitatem accepit; sed majestatem intus agnouit. Ecce cognitionis magnitudo. Quem videns, benedixit Deum & dixit. *Nunc dimittis*

*Immutabilitas Dei quoad locum & tempus, &c.*

*Transsubstātiationis assertio.*

*Accidentia in Euchar. sine subjecto.*

*1. Cori. 15.* — *Psal. 18.* — *Matt. 26.* — *Marc. 14.* — *Luc. 22.* — *Matt. 4.* — *Ioan. 4.* — *Isai. 53.* — *Psal. 29.* — *Matt. 13.*

*Festum Purificationis Hypapanti dicitur.*

*Quænam fides Deo magis probetur.*

*Matt. 15. & 8.* — *Luc 2.*

*Luc. 2.* *Domine servum tuum in pace.* Ecce affectus. Similiter & Anna Prophetissa superueniens, loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israël. Vnde & in inuentione thesauri notatur affectus, cùm dicitur. *Et præ gaudio vadit & vendit*, &c. Amoris affectus nescit otiosus esse, sed procedit foris ad effectũ. Propterea vadit, vel viam mandatorum, vel viam veritatis, vel excellentiorem viam charitatis. Necesse est enim ire per viam veritatis, qua inducitur incipiens in omnem veritatem: secundò per viam mandatorum, qua deducitur proficiens per vias rectas: ad vltimum per viã charitatis, qua perfectus ad Deum perducitur, qui est charitas. Sic enim incipiens, proficiens, & perfectus, per viam veritatis, per viam mandatorum, per viam charitatis eundo inducitur, deducitur, perducitur. Propterea vadit & vendit sua. Ideo vendit sua, vt expeditior sit ad currendum. Quis enim currere potest oneratus? Propterea sua vendit, vt emat agrum illũ. Quid est quod vendit? Temporalia, naturalia, gratuita. Temporalia dico, seipsum cum rebus suis. Primò se, & postea sua. Necesse est, vt seipsum abneget sibi. *Qui amat*, ait Dominus, *animam suam, perdet eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* De rebus quoque scriptum est. *Qui non abrenuntiauerit omnibus quæ possidet, non est me dignus.* Naturalia sunt memoria, voluntas, ratio, intellectus: & hæc impendere necesse est, vt ager possideatur. Quod enim memoriæ, quod voluntatis, quod rationis, quod tandem intellectus est, ad obtinendum agrum impendere debes. Gratuita sunt, fides, spes, charitas: quæ omnia in emptione agri sunt offerenda. Quidquid es, & quidquid habes, totum da. Quanti sunt hæc? Omnia in comparatione agri, quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputanda sunt. Propter hoc sapiens vadit & vendit omnia quæ habet, & emit agrum illũ. Emit homo agrum, vt possideat thesaurum; quia nisi mediante agro non peruenit homo ad thesaurum. Non enim bene conueniret possessori possessio tanta tantillo, nisi per pretium agri nostræ congruum paupertati. Meminisse debetis, superiùs me dixisse, per thesaurum diuinitatem, per agrum humanitatem figurari. Humanitatem dico, corpus & animam assumptam à Verbo. Duo ergo sunt extrema, & contradictoriè opposita, Deus & homo. Deus enim in sui natura immortalis, impassibilis est, & justus: homo verò in natura sua per peccatum infecta & corrupta, passibilis, mortalis, & injustus. Vt igitur hæc duo extrema sibi valde & omnino contraria vnirentur, interposita sunt duo media, caro Christi & anima: vt sicut in quatuor elemẽtis duo extrema, terra & ignis, quæ sibi valde sunt opposita, (quia cùm ignis sit subtilis, acutus, mobilis, terra palpabilis, obtusa, & immobilis,) mediãtibus alijs duobus elementis, scilicet aëre, quod multam habet cum igne conuenientiam, quia est subtilis, mobilis, sed non acutus: multam etiam cum terra, quia obtusus: & aqua cum aëre conuenit, quia mobilis, & cum terra, quia obtusa & impalpabilis, quæ cum quibusdam ligantur numeris, vt scriptum est, *Qui numeris elementa ligat*; sic & illa duo extrema, Deus & homo, duobus medijs sunt vnita, & eisdem numeris ligata, & in eisdem elementis figurata. Quid enim obest, si per ignem Deum figuramus? *Deus enim noster ignis consumens est.* Per terram verò de terra factum hominem, per aërem verò animam; quia mundi animam aërẽ Philosophi vocauerunt. Per aquam verò caro Christi non immeritò figuratur. Nam & ipsa per aquam crassam, quæ in puteo inuenta est, designatur. Deus ergo, vt dictum est, in sui natura impassibilis, immortalis, & justus, animã assumpsit immortalem quidem & justam, sed passibilem, quam mediam esse voluit inter carnem assumptam & Deum; quia aliquid habebat Deo conueniens, scilicet immortalitatem & justitiam; & aliquid cum carne, scilicet passibilitatem. Assumpsit enim carnem passibilem, mortalem & justam; & ipsam mediam esse voluit inter hominem & animam: quia aliquid habebat conueniens cum anima, id est passibilitatem & justitiam, & aliquid conueniens cũ homine, passibilitatem & mortalitatem. Homo enim vt dictum est, passibilis, mortalis, & injustus est. Hinc est, quòd Ecclesia, cujus caput dicitur Christus, homo corpus, tabernaculo comparatur. Christus quidem caput est Ecclesiæ, Christum dico totum in duabus naturis, & tribus substantijs: cujus sanctum sanctorum diuinitas, sanctum anima, atrium interius caro assumpta, exterius verò pœnitentium massa. Velum verò inter sanctum & atrium interius mortalitas; inter atrium verò interius & atriũ exterius, injustitia. Nam animam immortalem & justam & passibilem diuidebat passibilitas ab immortali, justa, & impassibili. Corpus verò passibile, justum, & mortale, diuidebat ab anima justa, passibili, & immortali, mortalitas. Hominem verò peccatorem passibilem, mortalem, & injustum, diuidebat à carne mortali passibili & justa, injustitia. Sed passus est Christus, & scissa sunt tabernaculi vela à summo vsque deorsum. Tunc enim anima illa desijt esse passibilis, caro mortalis, homo injustus. Per passionem quippe Christi, homo & impassibilitatis & immortalitatis & justitiæ meritum acquisiuit; sic vt per illius effusionem sanguinis vniri possit cum immortali, impassibili, & justo. In conditione ergo rerum præcessit tantæ rei sacramentum, in Ecclesia res & sacramentum, in homine & Christo res & non sacramentum. In conditione præcessit figura, in Ecclesia subsecuta est imago, veritas completa est in homine & Christo. Vt sic conjungantur extrema, necesse est operam dare, quomodo jungantur media. Quod tunc dignè fiet, si sit anima nostra similis regno cœlorum, & illud regnum cœlorum simile sit thesauro abscondito & inuento. Vnde sciendum, quòd cùm anima per diuersos affectus variatur, diuersas in se figuras, imò in diuersas se figuras transformat. Nam cùm per motus bestiales bestijs se conformat, comparatur iumentis insipientibus; & similis facta est illis. Cùm verò in sordibus vitiorum se deformat, moram faciens, & habitans vbi sedes est Satanæ, glareis cocyti se comparat. Cùm verò à seruitute peccati se excusat, & seipsam per sapientiam regit, & fortitudine regnat, & fit sapientiæ sedes, tunc similis est regno cœlorum. Dicit enim authoritas. *Anima justi sedes est sapientiæ.* Et sapientia ait. *Cœlum mihi sedes est*, ex quo Gregorius probat, quod cœlum est

*Matt. 13.*
*Amor non est otiosus.*
*Se & sua debet homo dare pro thesauro cœlesti.*
*Ioann. 12.*
*Luc. 14.*
*Thesaurus est diuinitas Christi, ager humanitas.*
*Boët. de Consol.*
*Deuter. 4.*
*Partes Tabernaculi Christo adaptantur.*
*Anima in varias figuras per diuersos affectus transformatur.*
*Isai. 66.*

anima justi. Dicitur enim cælum, quasi caëlum, id est casa elios, id est domus solis, quia anima per inhabitantem gratiam solis justitiæ domus efficitur, vt scriptum est. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit:* vnde non immeritò cœlo comparatur. Et quoniam diuersi gradus & varij sunt virtutum profectus, non regno cœli, sed regno cœlorum similis efficitur. Nam cùm diuersis tribulationibus siue tentationibus turbatur, similis est cœlo condensitatis, quod aëreum dicunt. Vnde propter superuenientem imbrium condensitatem; tenebris cōparat eum Apostolus, vbi ait. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum.* Sed quia Domino dicente scriptum est, *Cum ipso sum in tribulatione*, in illa tribulationum condēsitate similis fit thesauro abscondito, necdum inuento. Cùm verò post tentationes per deuotionem incipit serenari, cœlo serenitatis, quod æthereum dicunt, comparatur. Et in hoc etiam similis est thesauro non abscondito, sed inuento. Cùm autem stabilitate solidatur, vt semper det operam, qualiter aquæ diuidantur ab aquis, id est cura spiritus à cura carnis, tunc comparatur cælo chrystallino, quod firmamentum appellant; & tunc etiam similis efficitur homini, qui sua vendit, vt thesaurum emat, quia inferiora contemnit, vt superiora possideat; & temporalia parvipendit, vt cœlestia acquirat. Cùm autem per desiderium magis ac magis feruescit, ita vt in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione & auiditate in illa æterna patria conuersetur, similis efficitur vranico cœlo, quod dicitur empyreum: & per hoc etiā fit ei similis, qui laboribus & desiderijs & suspirijs thesaurū inuentum emit. Tandem verò cùm post transitorios agones ad brauium supernæ vocationis, id est vsque ad cœlum trium hierarcharum subleuatur, tunc empto thesauro fruitur, quia vnum erit in Deo, & Deus vnū in ipso; immortalis, impassibilis & justus, cum immortali, impassibili & justo, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Ioann. 14.

Homo diuersis cœlis quomodo similis.

Ephes. 6.

Psal. 90.

SERMO. *In Dominica Septuagesimæ.*

Potiùs in Dominica Quinquagesimæ, vel Quadragesimæ; vt constat ex toto discursu.



POENITET *me fecisse hominem.* Non est arbitrandum, dilectissimi, quòd aliquid mutabilitatis aut injuriæ cadat in illum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obvmbratio. Omnia quidem cum tranquillitate judicat; & tamen eum iratum plerùmque scriptura prædicat. Sed hoc ipsum per causam dicitur, vt nos ira sua dignos ostendat. Hinc est, quod dicitur. *Pœnitet me fecisse hominem.* In hoc tamen verbo, juxta duos intelligentiæ modos, justitia & pax osculatæ sunt. Iustitia quidem, si sic intelligatur, *Pœnitet me fecisse hominem*, ac si dicat: faciam, quod homo pœnitens facere solet, quia delet, quod fecit. Pax verò, si sic accipiatur, *Pœnitet me fecisse hominem,* id est pœna me tenet de homine quem feci; quasi dicat, hominem tenet culpa pœnæ: me verò tenebit pœna culpæ. Ipse fecit, & ego feram; ipse rapuit, & ego persolvam. Ideo feram quod fecit, quia pro eo feram, quem feci. Quis enim quod suum est paruipendat? *Quæ mulier habens dragmas decem, si perdiderit vnam ex eis, nonne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat? Aut quis homo habens centum oues; & si perdiderit vnam ex eis, nonne dimittit nonagintanouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat? Ecce ego ipse requiram oues meas: & visitabo illas, sicut visitat pastor gregem suum.* Non incumbit homini, siue Angelo, quia prauitas inuenta est in vtroque. Propter hoc tristis est anima mea vsque ad mortem: quoniam si iratus est homo super hedera, pro qua non laborauit, multò justiùs debet esse tristis noster Ionas super hedera quam fecit. Et meritò Ionæ Dei filium comparamus; quia sicut Ionas in ventre ceti fuit tribus diebus & tribus noctibus; sic & filius hominis in corde terræ. Hinc est, quòd cùm generatio praua & adultera signum quæreret, non est ei datum, nisi signum Ionæ. Hic igitur Ionas plantauit hederam, cum fecit hominem, quem discretionis furcâ & baculo rationis sustentans in hoc eum à terra subleuauit; quia os homini sublime dedit. Cui etiam intelligentiæ virorē tribuens, vmbram dilectionis inuenit. Vnde scriptum. *Deliciæ ejus sunt, esse cum filijs hominum.* Sed vermis tandem hederæ radicem corrosit, ventoque vrente & calido flante, arefecit. Quis, putatis, est vermis iste? Ille est, de quo loquitur Isaïas. *Et vermis eorum non morietur.* Vermis horribilis est ille serpens antiquus, qui nimirum radicem hederæ corrosit, dum primum hominem fraude circumuenit. Ab ipso enim tamquam à radice homines vniuersi tamquam rami sunt exorti. Sed quomodo? *In ascensu,* inquit, *diluculi.* Diei nomine quandoque praua delectatio actionis accipitur, vt ibi. *Pereat dies in qua natus sum.* Hujus diei crepusculum est negligentia mentis, nox offuscatio cordis, diluculum consensus suggestionis; diei claritas dilectio operis. In ascensu igitur diluculi radicem hederæ vermis corrupit, quando per consensum suggestionis protoparentem hostis antiquus infecit. Vel quoniam per radicem hominis capilli designari solent, & per capillos cogitationes mētis, hederā in ascensu diluculi percussit, quando, per consensum cogitationis homines ab auctore suo alienauit. Et tunc hederā arefecit: quia charitas humore subtracto hominem sicut terram sine aqua fecit. Meritò ergo vterque Ionas, spiritualis scilicet & materialis, vno dolore tactus doluit. Nam vtriusque jactura, hujus per sacramentum rei, illius per rem sacramenti, vna fuit. Itaque quo dolore doleat vterque, videamus. Dic nobis, Iona, dic nobis, putas bene irasceris tu? *Irascor,* ait, *vsque ad mortem.* Et tu Domine Iesu, bene irasceris tu? *Tristis est,* inquit, *anima mea vsque ad mortem.* Certè bene irasceris; quia bona est ira, quæ tali ac tanta misericordia subleuatur. Bene inquam irascitur; quia cùm iratus est, misericordiæ recordatur. Irascere ergo vsque ad mortem, bone Iesu, & te pœniteat: qui si te contristaui ad horam, jam non me pœnitet. Non est enim nobis salus vlla, sine morte tua pretiosa: morte tua salutari mortem occidisti. O felix culpa, quæ tantum ac talem meruit habere Redemptorem.

Genes. 6.

Pœnitere dupliciter potest intelligi.

Luc. 15.

Ezech. 34.

Iona Christus in quo comparetur huic.

Isai. 66.

Dæmon vermis est horribilis.

Iona 4.

Iob 3.

Iona 4.

Matt. 26.

Verba Ecclesiæ in benedict. cerei Paschalis.

O necessarium Adę peccatum, pro merito damnationis misericordiam consecutum. O beata ira, qua sic Dei filius mortem pertulit, vt gratiam pro pœna redderet, & per gratiam nobis gloriam ampliaret. Hoc igitur dolore cordis tactus intrinsecus, pium patris, & non dirum affectum magistri nobis Deus ostendens, ait: *Pœnitet me fecisse hominem.* Ac si dicat. Video omnem hominem viam suam corrupisse, subjectumque diabolicæ voluntati, nec eripi posse, nisi me pœniteat, id est nisi mihi pœna incumbat. Ideo me pœnitet, & meritò: feci enim illum. Sed quæ pœna illi incumbat, videamus. Pœna natiuitatis, pœna laboris, pœna mortis. Hæc enim tria per culpam homo meruerat; scilicet cum labore nasci, laborare, & mori: & in his tribus filius hominis diabolum vicit, quia vt sua daret, nostra suscepit. O pœnitentia pia, non crudelis; fructuosa, non sterilis; voluntaria, non necessitatis. Crudelis enim fuit in Iuda Scariote, sterilis in Esau & Saüle, necessaria verò est in quolibet peccatore. Solius autem voluntatis fuit pœna Saluatoris, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore ejus. Hæc igitur est ira Ionæ, imò columbæ. Ionas enim interpretatur columba: quæ cùm fel in corde non habeat, nec dentes in rostro, vel vngues in pedibus vnde lædat, solo vocis strepitu patefacit iram, hostem circumuenit in comminatione. Hæc est ira Ionæ, quæ subuertendam prædicat Niniue: vel ira columbæ, quæ clausis in arca ramum præsentat oliuæ. Verba fortè videntur dissona, sed vtriusque sententia vna. Quid enim est subuerti Niniue? Illud, quod fuerat, desinere esse. Quid enim fuit? Ciuitas sanguinum, plena vitijs, diuina consolatione penitus indigna. Hoc desijt esse; quia præsentauit eis Ionas, vel certè columba, ramum oliuæ. Quid est ramum oliuæ? id est de abundantia diuinæ misericordiæ; quando declinauit à malo quod fecerat, & bonum fecit, à quo declinauerat. Sed quando? Post quadraginta dies. Sic enim scriptum est. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Sed quomodo post quadraginta dies? Post pœnitentiam. Post quadraginta namque dies ramum oliuæ columba præsentauit, & Ionas subuertendam Niniuen prædicauit. A malo enim declinare non possumus, vel diuinæ misericordiæ participare, nisi priùs præterita peccata per pœnitentiam lugeamus. Et bene per quadragenariū pœnitentia designatur; quia sicut de quadraginta quinquagenarij fructus colligitur, & per pœnitentiam remissio peccatorum acquiritur: per quinquaginta designatur remissio peccatorum, vnde etiam Iubilæus, id est remissiuus dicitur. Neque enim filij Israël terram promissionis acceperunt, nisi priùs per desertum annis quadraginta affligerentur. Sic Elias antequam ad montem Dei perueniret, quadraginta diebus jejunauit. Moyses quoque vt secundò legem acciperet, quadraginta diebus abstinuit. Dominus quoque Iesus, vt neminem à pœnitentia quadragesimali excludi debere ostenderet, quadraginta diebus & totidem noctibus iejunauit. Ideo si de malo volumus conuerti in bonum, sicut Niniuitæ; si diuinæ participes esse misericordiæ; si cum Elia diuinæ contēplationis montem ascendere: si, cum Moyse secreta Dei cognoscere; tandem si cum ipso Saluatore

*Genes. 6.*

*Triplex hominis pœna ob peccatu.*

*Quid sit Niniuen in bonum subuerti.*

*Iona 3.*

*Numerus quadragenarius commendatur.*

*Matt. 4.*

Angelorum consortium suscipere: oportet nos decimari pœnitentia quadragesimali. Nam in istis sacris temporibus, cùm sit pars anni decima, quasi pro decimis dare nos ipsos Deo debemus. Iejunemus igitur à vitijs, à sæcularibus negotijs; jejunemus ab alimentis, & immundis desiderijs: in his enim quatuor tota consistit afflictio pœnitentialis. Est enim jejunium communis omnium membrorum satisfactio, vt scilicet satisfaciant membra secundùm peccata quæ commiserunt: & dicitur jejunium à iejuno, quod est quoddam hominis intestinum, quod eo mortuo vacuum reperitur. Similiter & nos à vitijs vacui, tam corpore quàm anima debemus reperiri. Est autem triplex iejunij auctoritas, ab antiquitate temporis, à qualitate loci, ab institutione præceptoris. Ab institutione præceptoris, quia à Deo; à qualitate loci, quia in paradiso; ab antiquitate temporis, quia à mundi exordio. Vnde dictum est. *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Eua quamdiu abstinuit, virgo fuit, & in paradiso permansit: violato verò iejunio carnis pruritum sensit, & in paradiso non remansit. Adam similiter violato iejunio in mundi miseriam corruit. Item à temporibus & personis ostenditur authoritas ieiunij; quia ante legem à Moyse, sub lege ab Elia, à Christo sub gratia. Moyses siquidem post iejunium locutus est cum Deo, Elias post iejunium in cœlo raptus est curru igneo. Sic Ierosolyma tempore Ezechiæ Regis per jejunium liberatur, centum octoginta quinque millibus vna nocte interfectis: vnde fœtorem mortuorum Rex Sennacherib ferre non valens cum decē tantùm militibus fugit in Niniuen, vbi quadragesimo die à proprijs filijs occisus est. Sed & Iona prædicante per ieiuniū venia præstatur Niniuitis. Sed & Iosue filius Naue per iejunium solis & lunæ cursū temperauit, & Gabaonitas superauit. Notandum, quod iejunium aliud corporis, siue carnis, aliud mentis. Carnis, quando quis abstinet à cibis, ne nimis caro pinguescat; sed non est virtutis. Mentis, quando quis iejunat à vitijs, vel ne caro pinguescat luxurijs. Item aliud iejunium institutionis, aliud deuotionis. Aliud parcitatis, aliud dispensationis. Item iejunium aliud rationale, aliud irrationale. Item iejunium aliud qualitatis, aliud numeri: aliud summę exactionis, aliud alteritatis. Aliud solius charitatis, aliud solius necessitatis, aliud vanitatis siue simulationis. Iejunium institutionis est, vt in quadragesima, & cætera ieiunia à Sanctis Patribus instituta. In veteri siquidem lege sancti Patres decimas & primitias de omnibus rebus suis Domino offerebant. Et nos similiter debemus decimas Deo offerre, non solùm de rebus nostris, sed etiam de nobis ipsis, iejunando. Vnde pro decima dierum quadragesima fuit instituta, vt de trecentis sexaginta sex diebus, qui sunt in anni circulo, non solùm decimam, sed & decimam decimæ persoluamus, & prò duobus diebus non decimatis, vt voluit Augustinus, in vigilia Paschæ missa de nocte celebraretur. Vnde in collecta dicitur. *Deus qui hanc sacratissimam noctem.* Sunt etiam institutionis iejunia, ieiunia quatuor temporum, quę Calixtus Papa constituit, scribens in hunc modum. *Benedicto fratri & Coëpiscopo. Iejunium, quod ter in anno apud nos fieri didicisti, conue-*

*Iejunium ex tribus cōmendatur.*

*Genes. 2.*

*Exod. 25.*

*4. Reg. 2.*

*4. Reg. 19.*

*Diuersæ jejunij species, seu fines.*

*Quadragesima jejuniū est decima anni.*

*Callistus Epistol. 1. decret.*

nientiâ nunc per quatuor tempora fieri decernimus: vt sicut annus voluitur per quatuor tempora, sic & nos quaternum solemne agamus jejunium per anni quatuor tempora, juxta Prophetæ Zachariæ vocem dicentis. *Iejunium quarti*, &c.

Zachar. 7. Nam Iudæi quater in anno ieiunant: videlicet ante Pascha, ante Pentecosten, ante Scenopegiam, ante Encænia. Vel ideo, quia antiqui quater in anno ieiunabant quadraginta dies, vt nos in loco vnius quadragesimæ saltem tres dies ieiunemus. Vel quater in anno fiunt hæc ieiunia, ad significandum quatuor, quæ fiunt quatuor temporibus, Conceptio Domini in vere, Natiuitas in hieme; Conceptio Ioannis in autumno, Natiuitas in æstate. Vel quia significantur quatuor tessaredecades, id est quatuor Domini generationes. Tessare quippe quatuor, deca decem. Sic enim quatuordecim sunt generationes ab Abraham vsque ad Moysen, sic quatuordecim sunt septimanæ à primo die Martij vsque ad secundum Iunij: & sic curre per singula. Antiqui enim sic ieiunare solebāt. In Martio fiunt, vt in nobis marcescant vitia. In æstate, videlicet in septimana Pentecostes, quando Spiritus sanctus aduenit, fiunt; vt super nos Spiritus sanctus adueniat. In Septembri etiam, quando fructus terræ colliguntur, fiunt, vt in gratiarum actione fructus bonorū operum persolvamus. In Decembri, quando herbæ moriuntur, fiunt, vt nos mundo mortificemus, & renasci Deo mereamur. Ieiunia veris prima dicuntur, quia primo mense fiunt: ieiunia æstatis quarta dicuntur quia quarto mense fiunt, id est Iunio: ieiunia Augusti septima, quia in septimo mense fiunt, id est in Septembri: ieiunia hiemis decima, quia decimo mense fiunt, id est Decembri. Vel certè has ieiuniorum distinctiones, iuxta vaticinium Zachariæ, quamdiu in luctu, & quasi exules sum', celebrare debemus. Nam quia Sarazar & Rogūmelech quæsierant per legatos, vtrum mense quinto & septimo ieiunare deberent, tandē ex persona Domini respondit Propheta. *Iejunium quarti, jejunium quinti, jejunium septimi, jejunium decimi erit domui Iudæ in gaudium & lætitiam, & solemnitates præclaras.* Quòd autem Propheta ieiunium quarti posuit, factum est propter historiam: quia tradunt Hebræi, quòd quarto mense, videlicet Iulio, Moyses de monte descendens tabulas fregit, & iuxta Ieremiam tunc muri ciuitatis primò rupti sunt. In quinto, id est in Augusto, propter exploratores terræ sanctæ in populo orta est seditio, & iussi sunt montem non ascendere; sed per quadraginta annos errauerunt in deserto; ita vt exceptis duobus, videlicet Caleb & Iosuë, morerentur in eo omnes. In hoc etiam mense priùs Nabuchodonosor, postea Titus, templū in Ierosolymis destruxit, & vrbem Bethel cepit, ad quam multa millia Iudæorum confugerant: & ipsum templum aratum est. In septimo occisus est Godolias, & tribus Iudæ, & reliquiæ Ierusalem dispersæ. Decimo Ezechiel in captiuitate positus, & populus captiuorum audiunt templum subuersum. Hæ sunt causæ luctus & ieiuniorum. Talibus ergo ieiunijs Ecclesia imitatur sanctos Patres. Sed quòd loco quinti ponit Ecclesia ieiunium primi, fit per significationem. Primò enim necessarium est nobis, vt nostram cohibeamus sensualitatem, quæ quinque sensibus subsistit: deinde carnis nostræ lasciuiā, quæ constat ex quatuor elementis: tertiò necesse est, vt cohibeamus spirituales affectus, qui septem effluunt vitijs spiritualibus. Cohibere etiam nos debemus à vanitatibus mundi, quibus inobedientes fuimus mandatis, quæ sub denario decalogi continentur.

*Iejunia quatuor temporum.*

*Zachar. 7.*

*Exod. 32.*

*Ierem. 41.*

SERMO. *In Quadragesima.*

DVCTVS *est Iesus in desertum à Spiritu*, &c. Quamdiu in agone contendimus, & inter pericula naufragamus; magna nobis solicitudine opus est, fratres mei. Quis enim inter tot pericula hominum, pericula dæmonum, pericula ex carne, pericula ex mundo, pericula ex cogitatione; fortitudinem, multitudinem, astutiam inimicorum, & eorum curam pervigilem non formidet? Ipsi plures, & nos pauci: nos inermes, ipsi armati. Ipsi ex antiqua acie iā instructi: nos ex religionis feruore nouitio multùm instruendi. Non ergo glorietur miles accinctus, æquè, vt discinctus: quia quamdiu viuimus, sine periculo esse non valemus. *Militia enim est vita hominis super terram.* Numquā excludi potuit à filijs Israël Chananæus: multum fuit, si fieri potuit tributarius. Hostis siquidem antiquus etsi nobis interdum cedit, à nobis tamen numquam recedit; sed semper nobiscum incedit. Si enim non præcedit nos, vt ipse videatur: à latere tamen fit mendax spiritus, vt hominem cautiùs persequatur: vel certè à tergo sequitur, vt penitus non cognoscatur. Præcedit enim nos, cùm per apertam & violentam malitiam nos peruertit. Quod bene in Sedechia præfiguratum est: cuius filios Babilonij coram oculis eius interfecerūt. Babilonij enim sunt maligni spiritus, qui filij sunt confusionis; quia nos ita plerumque confundunt, vt nobis videntibus & scientibus, virtutes, quæ quasi filij de matre ratione debent propagari, destruāt, & extinguant. Plerumq; enim scis quia peccas, quia male facis, quia Dominum offendis: & ita tamen præuaricator es, vt iam te continere non possis. Sic peccauit Adam; quia vt ait Apostolus, non est seductus: sed Eua seducta est. Eua enim verum esse credidit, quod ei serpens promiserat versipellis, *Eritis sicut Dij.* Sed hoc Adam falsum esse cognouit: & tamen ne Euam offenderet, de manu illius fructum vetitum accepit & comedit. Vnde cum peccatum tribus modis fieri soleat, ex infirmitate, vt peccatum Petri; ex ignorantia, vt Pauli; ex industria, vt hoc peccatum: Adam tantò grauiori pœna puniri debuit, quantò coram Deo culpa grauior fuit. *Servus enim qui scit voluntatem Domini sui, & non facit, plagis vapulabit multis. Qui verò nescit, vapulabit paucis.* A latere verò comitatur, cùm hominem ex vitio collaterali persequitur. Omnis siquidem virtus inter duo vitia coarctatur. Vnum quod oppositum est virtuti: alterum verò quod est collaterale ei. Misericordia enim inter truculentiam & segnitiem posita est: ita quòd truculentia opposita est, collateralis verò segnities est. Similiter fortitudo inter pusillanimitatem & obstinationem: ita quod pusillanimitas ei opponitur, collateraliter autem obstinatio comitatur: & sic de virtutibus vniuersis cognoscere, difficile non erit. Cùm igitur hostis

*Matt. 4.*

*In multis periculis continuè versamur.*

*Iob 7.*

*Hostis antiquus numquam recedit à nobis.*

*4. Reg. 25.*

*1. Timot. 2.*

*Genes. 3.*

*Luc. 12.*

*virtus inter duo vitia posita est.*

*Varia dæmonis artes*

hostis antiquus, aliquem virtute præditū affligere molitur, nihilque suam per oppositum vitium præualere videt industriam, sed se deprehensum, & expulsum esse cognoscit; non ideo refugit, aut minus instat: sed ad callidiora collateralis arma vitij seipsum conuertit. Quod bene figuratur in zelo Pauli; quem vtique habebat, sed non secundùm scientiam, cùm acceptis literis veniret Damascum, vt si quos viæ veritatis viros inueniret, occideret. Summam siquidem religionem æstimabat, persequi Ecclesiam Dei: vnde & misericordiam consecutus est, quia in ignorantia fecit. Ecce quomodo à latere diabolus incedebat, quia crudelitatem sub iustitiæ feruore celabat. Si verò nec sic se posse præualere perspexerit; tunc quasi à tergo insurgit, cum in ipsa virtutis operatione fraudulenter, à modo, à loco, à tempore, à persona facit eum excedere, quem persequitur. Nam ipsa virtus, pro vitio debet reputari: si modus, si locus, si tempus, si persona, solicitè non consideretur. Vnde & in lege præcipitur, vt artus hostiæ super struem lignorum ordinentur. Si enim rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti. Si offers munus tuum ad altare; & recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersùm te, & non recōciliaris ei; sic offerēs, nihil tua tibi prodest oblatio: etsi bonum sit offerre Deo. Debuisti enim munus tuum dimittere, & reconciliari fratri tuo. Quia ergo tempus non obseruasti, peccasti. Ecce quantæ prouidentiæ, quantæ circumspectionis & cautelæ, necessaria est nobis docilitas. Apertè siquidem mala per prouidentiæ virtutē debem⁹ præuenire: collateralia per circumspectionem: ipsam verò virtutum operationem per discretionis cautelam. Plerumque enim cùm scrutari conscientiam mentemque discutere satagimus, vt virtutes à vitijs separemus: nisi cauti bene fuerimus, ipse discussionis labor discutientis corrumpit consciētiā. Egressa est Dina, vt videret mulieres alienigenas; & corrupit eam Sichem: blanditijs, vt ait scriptura, virginem deliniens: Quid enim in Dina, nisi conscientia figuratur? Quæ bene Iacob filia dicitur; cùm ad vitia discutienda luctatur: Iacob enim luctator interpretatur. Hæc enim videre mulieres alienigenas egreditur, cùm ad mala quæ fecit agnoscenda, extra se per cogitationem euagatur. Sed cùm ex ipso discussionis labore vana gloria subripit, eo quòd se cautam esse agnoscit, blanditijs Sichem virginem corrumpit. Nam quid in Sichem qui interpretatur humerus, nisi labor: & quid in blanditijs, nisi vana gloria figuratur? Et bene virginem, quia sterilem, & per vanam gloriam à mercede laboris vacuatā. Vnde & Beatus Gregorius exponens, parabolam de decem virginibus, ait, *Ex hodierna sancti Evangelij lectione compellor dicere, vt bona quæ agitis, cum magna cautela faciatis: ne per hoc, quod à vobis rectum geritur, fauor, aut humana gratia requiratur.* Quinque enim earum fuerunt fatuæ, quia per appetitum laudis factę sunt steriles à virginitatis mercede. Ideo dico vobis fratres, vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Vigilate cum solicitudine, orate cum deuotione. Quis enim potest à tentatione esse securus: cum à Diabolo ad tentandum ducitur ipse Christus? Vbi percutitur Dominus, securus erit seruus? Natat elephas, quomodo

*Actor. 9.*

*Matt. 5.*

*Quomodo aduersus mala muniri debeamus*

*Gen. 34.*

*Greg. hom. 12. in Euangel.*

*Nemo à tētatione securus.*

pertransibit agnus? Vsque ad caput redundant aquæ; quis poterit transuadare? Hæ fortè sunt aquæ; quas Propheta pertransire exhorruit, cùm eas quæ vsque ad talos & renes, & genua pertingebant, transierit. Neque enim timendū est, si eas quæ vsque ad talos, ad renes, ad genua redundant, oporteat pertransire: sed eas sine formidine & periculo non intramus, quas capiti supereminere videmus. Aquæ certè tentationes sunt; de quibus dicitur per Prophetam. *Salvum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Quæ vsque ad talos Ecclesiæ redundant, cùm maligni spiritus, illos qui inferiores & subditi in Ecclesia sunt, tentare festinant. *Sancti enim ludibria, & verbera experti insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt.* Ad genua verò perueniunt, cùm illis molestias ingerunt, qui per disciplinam sciunt extendi, & per fraternæ passionis compassionem incuruari. Vsque ad renes crescunt, cùm Doctores Ecclesiæ, qui verbo prædicationis filios ex ea gignunt, molestijs incessanter affligunt. Cùm igitur hæc omnia futura in Ecclesia præuideret Propheta; quòd tentari, quòd persecutionem pati deberet subditi, Doctores, & Prælati, & omnes qui piè viuere volunt in Deo: non ideo tamen legem Domini dereliquit, vel in manus hominum incidere formidauit: sed cum filijs Israël Babilonicæ captiuitatis persecutionem pertransiuit. Sciebat enim filios Israël peccasse, & per dignū pœnitentiæ fructum culpam perpetratam diluere debere. Sed cùm vsque ad caput Ecclesiæ aquas succrescere videret, transuadare non potuit: quia humana ratione causam ante tempus inuestigare non valuit: quare Christus tentatus est, qui Deus erat, & peccatum non fecit. Sciebat fortè, quia sic oportebat fieri: & hoc est quòd ad aquam peruenit: sed hæc de Deo mirabiliter expauescens, nulla sibi, sed omnia voluntati Dei commisit. Ideo dictum est, quod aquas non transuadauit. Illa fortè tria difficilia fuerunt sibi: sed quartum penitus mente comprehendere difficilimum fuit. Quia ergo sine tentationibus esse non possumus, cùm tentatus fuerit ipse Christus: circa tentationes necesse est vigilemus: quia nihil est, quod saluare nos possit, si solicitudo non aderit. Quis semivivū sanabit; si Samaritanus pertransit? Quis resistet Berothit. filijs; si purgās triticū ostiaria dormit? Quid enim in ostiaria designatur vel Samaritano, nisi custos animi solicitudo? Samaritan⁹ enī custos interpretatur. Nihil enim est, quod hosti antiquo resistere possit, si custodia mentis per negligentiam dormit. Hęc est enim ostiaria, quæ triticum purgat; cùm virtutes à vitijs, tamquam grana à paleis, per discretionem examinat. Ne igitur moriamur cum Isboseth in stratu nostro, vigilet ostiaria domus in tritici purgamento. Si enim in examinatione virtutum & vitiorum negligentes fuerimus, oportet, vt occidat animum per cogitationem hostis antiqu⁹. In ipsa tamen solicitudine nobis cauendum est; quia per inconsideratam solicitudinem immoderatus conflictus solicitum pusillanimem reddit & pauidum: vel tentationis victoria per solicitudinem impetrata præsumptuosum. Quomodo resistere Petrus potuit, vbi eum calefacientem ad prunas ostiaria Cayphæ circumvenit? In frigore siquidem pavor; in ostiaria

*Ezech. 47.*

*Psal. 68.*

*Quando aquæ ad talos, vel ad genua perueniant, &c.*

*Hebr. 11.*

*Solicitudo nobis necessaria.*

*2. Reg. 4.*

Caiphæ inconsiderata solicitudo figuratur. Cũ igitur animum super fidei petra fundatum de peccatis suis inconsiderata solicitudo facit pauidum, ita quòd per cogitationem desperat, ostiaria Caiphæ profectò Petrum frigescentem circumuenit. Si vero per solicitudinem in conflictu vincis, & ex victoria præsumptuosus efficeris: tãquã Eleazar Matathiæ filius ab elephãte quem occidis, occideris. Occidis enim hostẽ, cùm solicitudine non piger prauam superas cogitationem. Sed cùm de victoria superbis; quasi sub cadente cadis. Dico enim, quia plerúmque melius est, vitio succumbere, vt inde humilieris: quam operari virtutem, vt inde superbus efficiaris. Cùm enim per opus vitij Diabolo succumbis, & postea humiliaris: quasi Samson cæcus, & moriens hostes occidis. Vnde dictum est. *Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier.* O felicem illam, dico Samaritanam, quæ Dominum Iesum super puteum sedentem inuenit: & de puteo aquæ salientis in vitam æternam sterilem hydriam fœcundauit. Samaritana siquidem custodia dicitur, Iesus Saluator, Iacob luctator interpretatur. Fons igitur Iacob, nostri conflictus, nostræque tentationis fontem insinuat. Cùm enim cupiditas circa diuitias, circa dignitates, circa voluptates versetur; & hæc tria, quasi riui de fonte cupiditatis emanent: cùm de aliquo trium istorum tentaris & pugnas; non ad rivum, sed ad fontẽ Iacob peruenisti. Si verò contra totam simul cupiditatem confligis, in hydria cordis de fonte Iacob deuotionis aquam deportare venis. Cùm igitur mentem custodis; quasi Samaritana es. Quando pugnas & vincis, Iesum super fontem reperis. Et cùm animum fœcundat gratia spiritualis, hydriam replet aqua sapientiæ salutaris. Vt igitur tali solicitudine cautiores sitis, vigilate & orate, ne in tentationẽ intretis. Sicut enim superiùs diximus, vsque ad caput peruenerunt aquæ, & transvadari non possunt; nisi eas diuidat, qui pallio Eliæ diuisit Iordanis fluuium: & virgâ Moysi, mare rubrum: his etenim duobus tota tentationis aqua diuiditur & dissipatur. Scitis, quia ad hoc fieri solet pallium, vt ventis & pluvijs exponatur. Bene itaque per pallium patientia, per virgam Moysi, lex Domini immaculata intelligitur. Per virgã ergo & pallium aquæ diuiduntur: quia cùm lex Domini immaculata conuertit animas, & per patientiam possidemus conuersas, omnes riuuli tentationis exsiccantur. Ideo orate, ne intretis, ne inducamini in tentationem. Sic enim magister sapientiæ nos docuit orare. *Et ne nos inducas in tentationem.* Inducas, non ducas. Periculosum enim est induci, sed non periculosum duci. *Ductus est enim Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à Diabolo.* Ductus est, non inductus. Alij ducuntur, alij inducuntur, alij perducuntur. Ducuntur per suggestionem, inducuntur per consensum, & deliberationem: perducuntur per operis perpetrationem. Qui igitur sola suggestione tentatus est, non consensu, non operatione, bene ductus est; non inductus, vel perductus. Ductus est ergo Iesus in desertum. Sed quare? Quia mori pro nobis venit, & potentiæ suæ sacramentum illi celauit, qui per manus Iudæorum de morte sua tractare disposuit. Sic Tobias pedem tinxit in Tigride: vt piscis citiùs accederet. Sic mutauit Dauid

*Ioann. 18.*
*Superbi per Eleazarum figurantur.*
*Mach. 6.*
*Eccli. 42.*
*Ioann. 4.*
*Fons Iacob nostri conflictus fontem denotat.*
*4. Reg. 2.*
*Exod. 14.*
*Matth. 6.*
*Matt. 4.*
*Qui ducãtur, inducãtur, & perducantur.*
*Tobi. 6.*

faciem suam coram Achis, vt cautiùs hostes contereret. Sic vni de filiabus Philistinorũ copulatur Samson; vt ipsos Philistæos tutiùs cõprehenderet. Pedem enim denudauit in Tigride, cùm humanitatis suæ veritatem Christus demonstrauit in tentatione. Faciẽ coram Achis Dauid immutauit, cùm Christus diuinitatis suæ potentiam coram diabolo celauit. Vnam de filiabus Philistinorum sibi Samson copulauit, cùm in sole iustitiæ humanitatis nostræ miseria, per tentationis signum innotuit. Sed quare? Vt piscis, vt hostes, vt Philistæi comprehenderentur. Vt enim versutia diaboli, qui antiquus est hostis, comprehenderetur; humanitatis veritatem in tentatione Christus demonstrauit. Diuinitatem celauit; humanitatis nostræ miseriam assumpsit. Ideo *ductus est Iesus in desertum à spiritu.* Hic quærendum est, vt ait Gregorius, à quo spiritu Iesus ductus sit in desertum. Et bene, quatuor enim genera sunt spirituum: Spiritus scilicet mundi, Spiritus Dei, spiritus hominis, & spiritus diaboli. Spiritus Dei benignitas deuotionis; spiritus mundi, ventus vanitatis: spiritus hominis, intellectus rationis: spiritus diaboli, intentio malę voluntatis. Isti igitur quatuor spiritus & in aliquo differunt, & in aliquo conueniunt. Differunt enim ventus vanitatis, & intellectus rationis, quia vbi vnus inspirat, alter expirat. Conueniunt autem spiritus mundi, & spiritus diaboli: quia vbi vnus aspirat alter suspirat. Simili modo intellectus rationis, & benignitas deuotionis. Ab hoc igitur quadruplici genere spirituum, duci solemus in quatuor genera desertorum. Primum est cœlestis patria: vnde & Pastor bonus nonaginta nouem ouibus in deserto relictis, ad illam quæ errauerat, descendit. Secundum est vita religiosa: de qua scriptum est. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum?* Tertiũ verò mundus est, de quo dictum est. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto?* Quartum desertum, infernus est. Vnde & hircus emissarius in desertum secundum legem Moysi mitti iubetur. Quocúmque ergo vadis, ab aliquo supradictorum spiritum duceris. Tendis ad cœlum, inspirat benignitas deuotionis, expirat intentio malæ voluntatis. Tendis ad infernum, inspirat intentio malæ voluntatis. Desideras locum religiosum; suspirat intellectus rationis, inspirat benignitas deuotionis. Tendis ad mundum: aspirat ventus vanitatis, inspirat intentio malæ voluntatis. Quia igitur & partim conueniunt, & partim differunt; sciendum est, quod ad inuicem relati spiritus illi, alter alteri contrarius est: alter subalternus, alter contradictoriè oppositus. Benignitas deuotionis comparata vento vanitatis, contraria est. Quod ex signis vniuersalibus ad se cõtrarijs dignoscere possumus. In illa enim beatitudo vera est, in isto verò, nulla beatitudo vera est. Intellectus verò rationis intentioni malæ voluntatis comparatus, subcontrarius est. Cùm enim per intellectum rationis ad vitam religiosam deducimur, ad vitam peruenimus beatitudinem: & si non certã, vel plenam. Quamdiu enim in agone sumus, dubium est, vtrum ad brauium peruenire valeamus. Et ideo si vera beatitudo in religione est, certa tamen non est. Rursus, cùm in religione sumus, molestijs & tentationibus incessanter fatigamur. Vnde plena beatitudine caremus;

*1. Reg. 21.*
*Iudic. 16.*
*Matt. 4.*
*Greg. hom. 16. in Euang.*
*Quatuor sunt genera spirituum.*
*Quatuor item desertorum genera.*
*Cantic. 3. & 8.*
*Vt differant & conueniant prædicti spiritus.*

quia plena beatitudo erit, vbi omnis miseria cessabit. Cùm verò per intentionem malæ voluntatis ad infernum ducimur, per omnia nos miseros & infelices credere debemus. Ibi ergo quædam beatitudo est, & non omnis. Ibi verò non quædam beatitudo est. Benignitas verò deuotionis intellectui comparata rationis, vel certè ventus vanitatis intentioni malæ voluntatis, subalternus est. In benignitate enim deuotionis, quæ ducit in cœlum, omnis beatitudo est. In intellectu verò rationis quæ facit religiosum, quædam beatitudo est. Similiter in vento vanitatis, nulla beatitudo est: in intentione malæ voluntatis, non quædam beatitudo est. Benignitas verò deuotionis, qua ducimur in cœlum, intentioni malæ voluntatis, qua ducimur in infernum, comparata, contradictoria est. Illic enim omnis beatitudo est: ibi vero non quædam beatitudo est. Ex propositionum igitur istarum differentijs siue conuenientijs, quædam ambiguitas fieri solet in cordibus nostris: cùm ab aliquo spirituum ducimur in aliquo desertorum. Est enim ambiguitas quasi quoddam biuium, in quo sedet Rex Babilonis, quærens diuinationes, & miscens sagittas. Cùm enim spiritus Dei in altum te eleuat, vt ascẽdas de virtute in virtutem, Rex Babilonis sagittam tibi jacit in die volantem; cùm in profectu tuo eleuaris per vanam gloriam. Cùm verò per intellectum rationis religiosam vitam desiderasti per vitium pusillanimitatis imminet tibi periculum nocturni timoris. Si verò per ventum vanitatis hujus mundi gloriam concupiscis: sagittat te diabolus à negotio perambulante in tenebris. Cùm autem per intentionem malæ voluntatis non formidas aggredi miseriam pœnæ gehennalis; à dæmonio proculdubio meridiano vexaris. Vnde & quia Dominus Iesus Deus & homo erat, à spiritu duplici ducebatur in deserto duplici; à spiritu scilicet Dei, & à spiritu hominis: ab intellectu rationis, & affectu benignitatis. Vnde & Elisæus dicebat Eliæ. *Oro, vt spiritus tuus duplex fiat in me:* id est vt tali benignitate deuotionis, tantóque rationis abundem affectu, sicut & tu. Hoc igitur spiritu duplici duct⁹ est Iesus ad religionis perfectionem, & cœli altitudinem. Vnde cùm iejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, diabolus à timore nocturno tentans eum, dixit. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Et iterum gloriam mundi demonstrans, ait. *Hæc omnia tibi dabo; si cadens adoraueris me.* Si verò ex benignitatis cogitatione & auiditate cœli altitudinem peteret, à sagitta volante in die persequitur illum, vbi ait. *Si filius Dei es, mitte te deorsum* Sed Dominus relinquens exemplum posteris, in omnibus tentationem vicit, in omnibus superauit: vt per ipsum & in ipso victores existant, qui eum sequi volunt ad gloriam.

*Oppositio beatitudinis & miseriæ, &c.*

*Ezech. 21.*

*Christus à duobus spiritibus ductus in desertum*

*4. Reg. 2.*

*Matt. 4.*

*Ibidem.*

*In Ramis Palmarum.* SERMO.

PVERI *Hebræorum tollentes ramos olivarum, obviaverunt Domino dicentes hosanna filio Dauid,* &c. Non omnes qui sunt ex Israël, hi sunt Israëlitæ: quoniam eorum qui sunt ex Israël, aliqui obviam venerunt Domino cum gladijs & fustibus: alij vero cum Palmis & floribus. Alij ad ridendum; alij ad irridendum. Alij clamantes, crucifige, crucifige: alij verò, hosanna in excelsis. De quibus dictum est. *Pueri Hebræorum,* &c. Hebræi transeuntes interpretantur. Ergo Hebræi sunt, qui hic ciuitatẽ manentem non habent, sed futuram inquirunt. Hebræi sunt, qui vel immolando agnum, vel offerendo hœdum, phase, id est transitum faciunt. Hebræi sunt, qui Pascha, id est transitũ hujus vitæ celebrant in azymis sinceritatis & veritatis. Hebræus est, qui in confessione laudis transeundo de veteri lingua Adam ad nouam Apostolorum linguã, fit Idithum, id est, transiliens. Hebræus est, qui in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione & auiditate ad cœlestem patriam transitum faciens, fit Galilæus, id est transmigrans. Isti Hebræi filios habent: non genere, non cogitatione, sed prædicatione; de quibus Apostolus ait, *Per Evangelium enim vos genui:* vel imitatione, de quibus dictum est, *Patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Istorum est tollere ramos oliuarum. Oliua grecè, misericordia latinè dicitur. Rami igitur oliuarum, diuersæ sunt species misericordiarũ: quos tunc tollimus, cùm multiplicium exempla misericordiarum mente colligimus. Magna est misericordia Dei, quòd fecit nos: major, quòd regit nos: maxima, quòd redemit nos: affluens quòd reuocat indignos; superaffluens, quòd salvat injustos. Tantò verò securiùs omnis homo clamat, *Hosanna filio Dauid,* id est Christo clamat, *salva obsecro,* quantò deuotiùs misericordiæ Dei memor erit. Ad hos igitur oliuarũ ramos colligendos hodiernæ festiuitatis priuilegia nos inuitant. Primò, quia eo die introierunt filij Israël terram promissionis: & transierunt Iordanem sicco vestigio. Nam ita contigit quòd eo anno tot fuerunt dies vsque ad Pascha, quot sunt ab hac Dominica, & erat luna decima; sicut eo die quo Dominus passurus venit Ierusalem. De hac enim die præceperat Dominus in lege. *Decima die mensis primi tollat, vnusquisque agnum per familias & domos suas, & seruabitis eum vsque ad quartumdecimũ diem ejusdem mensis; immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam.* Et notandum, quòd post decem plagas, quas fecerant Moyses & Aaron coram Pharaone, datum fuit præceptum, & satis dignè. Affligi enim potuit decem plagis: sed victus non est, donec immolatus est agnus. Pharao quippe diabolum insinuat, Ægyptus mundum, filij Israël ad vitam præordinatos, captiuitas Ægypti, servitúsque filiorum Israël, miseriam hujus mundi, in quo palea vanitatis, lutum voluptatis, later cupiditatis, oculos excæcant hominum. Virga Moysi legis disciplinam: Aaron ejusdem legis sacerdotium: decem plagæ decem præcepta. Vnde è regione se contingunt. Primum siquidem præceptum est de colendo vno Deo: prima plaga aqua in sanguinem versa. Aquam autem in sanguinem vertere, est doctrinam spiritualẽ in carnalem mutare. Aquam in sanguinem verterunt, qui commutarunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinẽ corruptibilis hominis. Secundum præceptum est. *Non accipies nomen Dei tui in vanum.* Secunda plaga est ebullitio ranarum, in quibus vanitatis garrulitas figuratur. Accipit autem nomen Dei in vanum, qui veritatem, quæ Deus est, in garrulitatis

*Matt. 21.*

*Quinam veri Hebræi sint.*

*1. Cori. 4.*

*Ezech. 18.*

*Exod. 12.*

*Quid Pharao, Ægyptiaca servitus, &c. designent.*

*Exod. 20.*

*Ibidem.*

vanitatem mutat. Tertium præceptum est sanctificatio Sabbati: in quo mentis quies, quam bona conscientia facit, figuratur. Tertia plaga cinyphes facti sunt. Sunt autē ciniphes muscæ minutissimæ inordinatè volantes, & inquietissimæ: Sic sunt phantasmata tentationū, quę mentem remouent à quiete. Quartum præceptum est, *Honora patrem tuum & matrem tuam*: quarta plaga est cœnomyiarum emissio. Est autem cœnomyia musca canina: canū verò est parentes non agnoscere. Vnde cæci nascuntur. Quintum præceptū est. *Non mœchaberis*: quinta plaga est mors in pecoribus: dicit verò Gregori⁹. *Computruerunt iumenta in stercore suo. Iumenta in stercore computrescere, est in fœtore luxuria vitam finire.* Est igitur mors in pecorib⁹ luxuriæ fœtor in illis hominibus, qui comparati sunt jumentis insipientibus, & similes facti sunt illis. Sextum præceptum est. *Non occides*: sexta plaga, vesicæ turgentes assumptæ de camino, in quibus inflata superbia figuratur, orta de incendijs inuidiæ. Scriptum verò est. *Paruulum occidit iracundia, & stultū superbia.* Vesica igitur turgens mors animæ est. Septimum præceptum est, *Non furaberis*: septima plaga, grando in fructibus. Nemo verò habet inuentum lucrum, sine iusto damno. Dum furaris, acquiris vestem, amittis fidem: lucrum visibile, damnum invisibile. Qui ergo malo desiderio extrinsecùs furantur, iusto desiderio intrinsecùs grandinantur. Et cùm ex furto pecunia multiplicatur, diuitiæ spirituales minuuntur. Octauum præceptū est, *Non dices falsum testimonium*: octaua plaga emissio locustarum. Est autem locusta animal dente noxium: falsus verò testis nocet mordendo, & consumit mentiendo. Nonum præceptum est, *Non concupisces vxorem proximi tui*: nona plaga, dēsę tenebræ. Et verè densæ sunt tenebrę, maximè injuriam patienti, vxorem alterius appetere. Verè qui hoc patitur, cæcatur furore: quia nihil tam dolet patiens: nihil tam nollet pati, faciens. Decimum præceptum est, *Non cōcupisces rem proximi tui*, decima plaga est mors primitiuorum. Qui res alienas appetunt; esse morientibus heredes volunt. Et qui vult in aliquo fieri heres, nō vult, vt ille, cujus rem concupiscit, habeat heredes, in quibus nihil carius primogenitis est. Iure ergo in primogenitis punitur, qui cupiendo res alienas, quasi juris vmbram perquirit: & quæ meliora sunt cordis primogenita, fidem videlicet, perdit. Sicut ergo dictum est, decē plagę decem præceptis comparantur. Sed sicut Pharao decem plagis non est adeò victus, vt dimitteret populum: ita lex illa non adeò diabolum vincere potuit, vt homo rediret in paradisum: sed postquàm agnus immolat⁹ est, Pharao dimisit populum, & omne primogenitū Ægypti mortuum est, imò & Ægyptij in mari rubro perierunt, & filij Israël transierunt. Post effusionem quippe sanguinis Christi, deletum est originale peccatum, tamquam primogenitum: & efficaciam accepit baptisma, vt per ipsum prærordinati ad vitam, id est filij Israël euaderent Pharaonem, id est diabolum: & Ægyptij, id est actualia peccata finem acciperent in baptismo. Hoc etiam est, quòd decima luna venit Ierusalem, luna enim defectum figurat. Bene ergo decima luna venit, qui in defectu decalogi venit operari salutem nostram in medio terræ. Pueri autem Hebræorum & plebeculæ Ierosolymorum, & turba multa, quæ venerat ad diem festum, tollentes ramos oliuarum, processerunt ei obviam: & qui præibant, & qui sequebantur, clamabant, osanna filio Dauid: & est *osanna*, verbum Hebræum, ex corrupto & integro. *Osy* enim *salva* sonat, *Anna* est interjectio obsecrantis sicut *Pape* admirantis. Quæ quia in latino nō habetur, posuit pro ea Hieronymus, *Obsecro*, & est sensus; clamabant, *Osanna filio Dauid*, id est clamabant, dicentes filio Dauid, *Osanna*, id est, *salva obsecro*. Significat autem illa processio, quod nos qui filij sumus Hebræorum, id est transeuntium; scilicet eorū qui hic ciuitatem manentem non habent, sed inquirunt futuram, de quibus erat Apostolus, qui ait. *Per Euangelium omnes vos genui.* Et alibi. *Ipsius sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis.* Quorum alij veteris legis patres, tamquam præeuntes: alij noui testamenti, tamquam sequentes cum operibus miserationum, tamquam cum ramis oliuarum portemus in corporibus nostris stigmata Iesu, per proximorum compassionem & proprij corporis passionem. Qua autem ratio ne versus illi, quorum est exordium. *Gloria, laus*, &c. in illa processione cantentur, sciendum est. Quidam Theodulphus nomine, Floriacensium Abbas, & Aurelianensium Episcopus fuit tempore Ludouici Pij; qui cùm apud Imperatorem Ludouicum falsò accusatus fuisset multis criminibus, Andegauis est exilio relegatus. Et dum in custodia teneretur, contigit, vt ibidem die Palmarum veniret jam dictus Imperator. Et dum secus domum, qua custodiebatur idem Theodulph⁹, processio pertransiret; facto silentio præsente Imperatore, versus illos per fenestram decantauit: quibus verbis Imperator emollitus, eum à vinculis præcepit absolui, & priori gratiæ redonauit. Et propter hoc traxit in consuetudinem Ecclesia Gallicana, vt in illa processione clausis ianuis in signum carceris Theodulphi, qui eos composuit, singulis annis decantarentur. Nec vacat à mysterio: nam quòd Sacerdos extra villam procedit, Christum caluariæ locū figurat ascendentem: quòd autem eum populus comitatur, illos significat, qui improperiū Christi portant extra castra. Quòd duo clerici hymnum cantant, Ecclesiam triumphantem, quæ de Angelis completur & hominibus insinuat; quæ Deum laudat, & in passione Filium clarificat. Quòd autem respondet foris populus, Ecclesiam militantem figurat, quæ in ejusdem filij laude, ratione ejusdem passionis, consentit. Quòd verò ianuæ clauduntùr, tempus illud præfigurat, quod erat ante Christi sanguinis effusionem: solus enim sanguis Christi cœli nobis aperuit portas. Bene ergo tunc clauduntur: quia Christi sanguis sexta feria post illam Dominicam fuit effusus. Processione autem de qua locuti sumus, illa scilicet, qua pueri Hebræorum processerunt Christo obuiam, completâ, intrauit Iesus in templum: & ostendit ruinam vrbis, pro qua fleuerat, maximè ex sacerdotum culpa processuram. Sacerdotes enim auaritiæ suæ consulentes in porticibus templi hostias vendebant, vt paratas eas inuenirent, qui de longinquo venientes offerre volebant. Sed & nummularios ibidem statuebant, à quibus si deesset, mutuò, sub capite vel pecuniam

Exod. 8.
Decem præcepta, decem plagæ Ægypti.
Exod. 20.
Ioël 1.
Gregor. 24. Moral. c. 8.
Iob 5.
Exod. 20.
Ibidem.
Exod. 12.
Matt. 21.
1. Corin. 4.
Ephes. 2.
Theodulph. author hymni, Gloria laus, &c.
Ritus processionis palmarū quid designet.


accipere nt. Et ne fortè aduenientes de paupertate se possent excusare; vel etiam, quia lex præcipiebat, ne à fratribus suis vsuras acciperent: cogitauerunt, vt facerent collybistas. Collybia enim apud eos dicuntur vilia munuscula, vt ciceris, & vuæ passæ, & pomorum diuersi generis. Sed & hoc Ezechiel prohibet dicens. *Vsuram & omnem superabundantiam non accipies.* Propter hoc Iesus flagello facto de funiculis, ejecit vendentes & ementes: & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Hoc signum & alia vice fecerat similiter ante Pascha: scilicet illo anno quo baptisatus est, & Ioannes incarceratus. Quærebant ergo ab eo Pontifices, & admirantes dicebant. *Quod signum ostendis nobis, quòd hac facis?* Quasi, significas ne aliquid in opere inusitato? Vere signum est quod facit: ô si scirent Pontifices hujus temporis, signum quod facit Iesus, quantum formidarent, quod factum est: qui enim sunt emptores & venditores columbarũ, nisi Giezitæ & Simoniaci: qui spiritualia volũt pretio comparare? Venditores enim Giezitæ sunt: qui cum spiritualia tamquam columbas vendũt, lepram mẽtis non immeritò sicut Giezi incurrunt. Emptores autem Simoniaci sunt: quorum pecunia sicut & Simonis, cum ipsis est in perditionem. Qui autem vendunt, & qui emunt, vnum sunt. Omnes nummularij, omnes ejectione digni. Intelligant ergo signum Pontifices, qui dicunt. *Quod signum ostendis?* Eliminat eos ab Ecclesia. Quid est ab Ecclesia eliminare? Idem quod excommunicare. Hoc ista die, hoc & altera fecit. Repetitio, confirmatio est. Sicut cum excommunicamus, in vltimo dicimus, fiat, fiat. Non ergo per vicariũ, sed per seipsum repellit eos à templo, id est à consortio fidelium, Pontifex ille magnus & Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Et quod hoc dignè faciat, ostendit flagellum factum de funiculis. Nam pro funiculis peccatorum, quibus circumplexi sunt, multa sunt eorum flagella. Nec prætereundum est illud admiratione dignum; quod dominica, quæ prima dies est, in qua Pater cœpit operari creationem mundi: Filius aggreditur laborem passionis, & per totam hanc hebdomadam, salutem nostram operatus est, & die septimâ cessauit, & in sepulchro quieuit. Vnde & tota septimana ideo pœnosa vocatur: quia per totam illã laborauit Dominus recreando: sicut per primã mundi hebdomadam creando. Nam cùm ista prima die cum tanta claritate aggreditur opus salutiferæ passionis; dignitati illius respondet, in qua dixit, *fiat lux, & facta est lux.* Vnde tradunt quidam, quòd cùm ejiceret vendentes & ementes, quidam fulgor radiosus egrediebatur ex oculis ipsius: quo territi Sacerdotes & Leuitæ, non poterant ei resistere. Erat enim lux lucens in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt: sed potiùs à luce comprehensæ euanuerunt: quia sustinere nequiuerunt lucis splendorem, id est Deitatis terrorem: quę est in Christo Iesu Domino nostro; qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Ezech. 18. Ioann. 2. Matt. 21.*

*Bis ejecit Christus è templo vendentes & ementes. Ioann. 2.*

*Symoniacos designant Giezi & Simon.*

*Christus Dominica laborem Passionis aggressus.*



## Sermo. *In Cœna Domini.*

Homo *quidam fecit Cœnam magnam*, &c. Ille inquam homo, de quo scriptum est. *Homo est, & quis cognoscet illum?* Ille igitur homo, Deus & homo, discipulis suis, hodie prandium simul & cœnã fecit. Sed quoniã dignior cœna prandio fuit: tota solemnitas, cœna Domini meruit appellari. Prandium verò dico, in quo typicum Pascha comedit dicens. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequã patiar: dico enim vobis: quia jam non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Et accepto calice gratias egit, & dixit. *Accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis, non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Et sic terminato typico pascha surrexit, & lauit pedes discipulorum. Et hoc facto iterum recubuit, & dedit eis corporis & sanguinis sui sacramentum: quod typico pascha dignius iudicauit, cùm dixit. *Hoc facite in meam commemorationem.* Illud enim prandium fuit, istud cœna. Hæc sunt hodiernæ solemnitatis priuilegia; nec ista solum, sed alia multa: de quibus aliqua, quæ necessaria sunt ad salutem, vestrę charitati credimus intimanda. Hodie siquidem recipit Ecclesia pœnitentes: quos prima die ieiuniorum ejecerat. Hodie consummato veteri testamento, novum incœpit. Hodie consecratur oleum, non solum ad sanandum infirmos, vel illuminãdum catechumenos & neophytos; sed ad confirmandum & roborandum baptizatos. Hac igitur die dixerunt discipuli ad Iesum. *Vbi vis paremus tibi comedere pascha?* Et respõdit. *Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo amphoram aquæ portans: sequimini eum, & quocúmque introierit; quærite à Domino domus locum ad preparandum: & ostendet vobis cœnaculum grande, & ibi parate.* In superiori parte domus Palestini faciebant cœnaculã, inferiùs autem cubicula. Quod Marcus dicit lagenam, Lucas amphoram; vnus expressit genus vasis, alius modum. Hujus ergo diei vespere discubuit cum discipulis suis: & propter hoc diem istum cœnam Domini appellamus. Cœna facta lauit pedes discipulorum: in cujus ablutionis memoriam lauare solemus pedes pauperum. Et hoc facto iterum recubuit, & docuit, quòd exẽplum per hoc factum eis dederit, scilicet vt mutuò sibi seruiant, & mutuo sibi dimittant injurias, & mutuò peccantibus subueniant. Et nota, quòd ex eo quod dixit. *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet: vos autem mundi estis sed non omnes*, colligitur, Apostolos jam baptisatos fuisse. Tunc turbatus spiritu ait: *vnus vestrum me tradet.* Turbatus est, id est misericorditer Iudæ compassus. Cúmque inquirerent discipuli, quisnam esset, ait. *Qui intingit manum mecum in catino, hic me tradet.* Alter Euangelista dixit, *in parapside*: sed in hoc quod catinus dicitur, ostenditur vas fuisse fictile, in hoc hoc quod parapsis, ostenditur quod vas illud paria latera habebat. Apsis enim est extremitas: vnde parapsis vas pares habens extremitates: vel vt quidam dicunt, quadraturam laterum notat hoc nomen parapsis. Erat autem hoc vas appositum, ad hoc, vt succus agrestium lactuearum, qui necessarius erat ad esum agni, ibi poneretur. Et ideo dixit, *intingit*. Sed cum om-

*Luc. 14.*

*Solemnitas Cœna Domini vnde dicta.*

*Luc. 22.*

*1. Cori. 11.*

*Quæ specia liter fiant die cœnæ.*

*Matt. 26. Luc. 22.*

*Marc. 14.*

*Ioan. 13.*

*Marc. 14. Matt. 26.*

*Catinus & parapsis idẽ.*

nes duodecim, in vase illo intingerent, nec per hoc quod dixerat Iesus, certificatus est Petrus, quis esset: innuit Ioanni qui supra pectus ejus recubuisse dicitur; (sed aliter non dicitur recubuisse super pectus ejus, nisi quod inclinatus recumbebat ante pectus Iesu,) vt secretò quæreret ab eo, quis esset. Cui Dominus voce submissa ait: *Cui intinctum panem porrexero:* & dedit Iudæ buccellam intinctam. Inde est, quòd Eucharistia non datur intincta, & etiam pro illorum hæresi tollenda, qui dogmatisant Christum totum esse simul sub vtraque & non sub vna tantùm specie, & tunc introiuit Sathanas in cor Iudæ. Non tunc primò; sed vt proprium possideret. Et exiuit continuò: vt quod pepigerat Principibus sacerdotum, adimpleret. Et tunc illo egresso, dedit discipulis sacramentum corporis & sanguinis sui. Vnde & in canone illo die ita dicitur. *Qui pridie quàm pro nostra omniumque salute hoc est, hodie pateretur,* &c. Sed quod ante Eucharistiæ perceptionem Iudā exijsse diximus, videmur contradicere Lucæ, qui post calicem, traditorem commemorat. Sed fortè Lucas de traditione recapitulat. Hilarius namque super Matthæum probat, non interfuisse Iudam. Nam Iesus eos, qui secum bibebant calicem; dixit etiam secum bibituros in regno Patris: ad quod Iudas indignus erat. Etiam de bibentibus nullum excepit, Vbi ait. *Pro vobis effundetur.* Nam aliorum fecit exceptionem, Vbi ait, *pro multis.* Quod si dicatur, quòd Iudas acceperit: verba Hilarij oportet determinare: quia simul fieri potuerunt, quæ simul dici non possunt. Nam ordo Euangelij non repugnat, Dominum distribuisse sacramētum corporis & sanguinis sui antequam per buccellam tinctam suum exprimeret proditorem. Et nota, quòd post ablutionem pedum, quæ facta est inter typicum Pascha & nouum, volunt quidam cœnandum esse: vnde & ipsam cœnam Domini appellant. Ad cujus rei euidentiam, sciendum quòd cœna Domini partim vetus erat, partim noua: nam postquam discipuli ejus parauerunt Pascha, & Dominus cum eis discubuit, ait. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Desiderat, juxta auctoritatem, typicum Pascha mā ducare primò, & sic passionis suæ mundo mysteria declarare: vt jam adueniente veritate, vmbram cessare doceat. Vnde subjungitur. *Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Quasi dicat. Non vltra Mosaycum Pascha celebrabo, donec Ecclesia, quæ est regnum Dei, impleatur. Sequitur. *Et accepto calice, gratias egit, & dixit. Accipite & diuidite inter vos.* Hic calix ad vetus etiam Pascha pertinet: de quo & subjungitur. *Dico enim vobis, non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat.* Sicut ergo typicum esum agni, panisque azymi: sic & typicum potū Paschæ, se non bibiturum dixit: donec ostensa resurrectionis gloria, regnum Dei, id est fides mundi adueniat. Cœnam ergo Domini, neque in vino, neque in azymis, sicut nec in esu agni, quem Dominus hic terminauit, nemo reducat: alioquin iudaïzat. Extrema pars cœnæ, quæ ita nouo debetur homini, quemadmodum prima veteri, qua Dominus sui sacramenta corporis & sanguinis distribuit, ipsa sæpius est iteranda, seu repetenda, auctore Domino, qui ait. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et quis aliter representare audebit: nisi quomodo Dominus ipse tradidit? Si ergo vetustas repetitur, cur non perfectè, vt & agnus azymis atque vino societur? Sed & esum carniū in iejunijs sumi horres. Ergo iejunaturus bis edere quare non horres? Dupliciter itaq; te præuaricatorem constituis, dum non præceptum iejunij tempus obseruas. Cùm ergo dixit Dominus, *Hoc facite in meam commemorationem*, instituit hoc sacramentum. Hinc est, quòd cùm in hac die omnes horæ sint flebiles: sola missa solemnis est, in concentu & in ornatu. Et sicut die quinta in hebdomada mundanæ creationis, genus ex aquis ortum partim gurgiti remissum, partim in aëra leuatū est, vt stirpe vna perdita, diuersa caperent loca: ita feria quinta hujus hebdomadæ, qua sumus recreati, sacramenta vnius ejusdemque salutis partim nos deprimunt in tristitiam, partim leuant in gaudium. Vnde & cum tantâ gaudij spiritualis missa hæc celebranda est solemnitate, vt quisque Pontifex quicquid sui est officij, debeat, hac die ex integro perficere: hoc est pœnitentes Ecclesiæ restituere, oleum benedicere, Chrisma conficere, Gloria in excelsis cantare. Dicitur autem Chrisma græcè, vnctio latinè: vnde Christus vnctus, & chrisma vnguentum dicitur. Fit autem de fructu & pinguedine oleæ cum mixto balsamo: cujus arbor odorifera & præcipua inter aromaticas arbores. Est autem chrisma signum Spiritus sancti, cujus & virtutem continet. Spiritus enim sanctus diuinæ substantiæ pinguedo est, ita vt quicumque ex eo refectus fuerit, dicat, *Impinguasti in oleo caput meum.* Et odor balsami in oleo suauitatem ejusdem significat Spiritus sancti, quam quicumque accipit, & discretionis bono odore allicitur, dicere potest cum Apostolo. *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.* Hujus igitur olei chrismalis vnctio: principalis vnctio ideo dicitur, quia ad ejus vnctionem principalis spiritus tribuitur, id est septiformis Paraclitus. Hac verò die, id est decima quarta luna non immeritò consecratur: quia hac die jussus est agnus immolari ad vesperam, & sanguine ejus vterque postis liniri, & superliminare domorum in quibus edendus erat agnus, vt eo signo viso exterminator Ægypti domos intactas præteriret: ita ex ipso chrismate ideo exprimitur signum crucis Christi; vt exterminator diabolus, in domibus animarum corporúmque nullum nocendi jus habeat, & hoc illius typici agni sanguine, quo postes signabantur, fuisse præfiguratum. Sed cùm vnctio ista, vsque in Sabbatum sanctum in baptizatis expectetur, quæritur quare ipsa nocte, in qua comedendus erat agnus ista sacræ chrismatis vnctio baptisatorū frontibus non imponitur: cùm illa nocte, id est quartadecima die primi mensis, id est hodie; & agnus immolari, & postes domorum cū superliminari ex præcepto Domini debeant deliniri. Illa enim vnctio, vt dictum est, fuit signū hujus chrismatis vnctionis. Respondem⁹, quòd rectè quidem fieret, si paschale conuiuium isto die Ecclesia celebraret: sed quia paschalis gaudium solemnitatis vsque in diem tertium, quo Dominus resurrexit differre decreuit, vt interim luctui intendat illo die, quo passus est: ita & differendam censuit baptismalis chrismatis vnctionem vsque in Sabbatum, quæ nobis est

Ioann. 13. — Ibidem. — Sententia Hilarij Cōment. in Mat. c. 30. — Matt. 26. — Luc. 22. — Ibidem. — 1. Cori. 11. — Missa solēnis est in die Cœna. — Chrisma fit ex oleo & balsamo. — Psal. 22. — 2. Corin. 2. — Exod. 12. — Cur vnctio differatur vsque ad sabbatum.

vespera paschalis conuiuij. Et tunc signatis frontibus baptizati tendant ad Deum, Pharaonem, id est diabolum fugientes per mare rubrũ baptismi; vt sic baptismalis linitio, & paschalis agni convivium, sicut in antiqua lege præfiguratum est, secundùm quod sanguine agni postes liniebantur, simul celebrentur. Quod si quæras, cur non ipsa consecratio dilata sit, dicimus, quòd ideo scilicet, quod ab hac quinta feria, vsque ad vesperam sabbati, qua hora vtẽdum est chrismate, vacamus à missarum solemnijs. Ipsum vero chrisma non nisi inter missarũ solemnia, & loco quo pacem accipimus, fas est consecrari. Notandum verò, quòd oleum tribus de causis consecratur: quia vel ad salutem infirmorum: salutem dico tam corporum, quã animarum; ad illuminandum catechumenos & Neophytos: vel ad confirmandum, vel ad corroborandum baptizatos. Vnde dicitur oleum infirmorum, oleum catechumenorum & oleũ chrismatis. Et pulchrè satis mysterio, quia hæc olei tria genera figurata sunt in aromatib⁹ illis, quæ tres illæ mulieres, scilicet Maria Magdalena, & Maria Iacobi & Salome emerunt, vt venientes vngerent Iesum: vel in signum illius trinæ vnctionis, quo corpus Christi adhuc mortale primò fuit inunctum, à Maria Magdalenæ, sexta die ante Pascha in domo Simonis Leprosi, aperto alabastro vnguenti nardi pistici: secundò quando corpus ejus jam mortuum Ioseph decurio ab Arimathia, id est à Ramata, (quæ fuit ciuitas Helcanæ patris Samuëlis:) qui erat in occulto discipulus Iesu, & Nichodemus qui venerat ad eum nocte, ferens secum myrrhæ & aloës quasi libras centum, inunxerunt. Tertiò in signum illius singularis vnctionis & inuisibilis, qua pater vnxit eum oleo lætitiæ præ consortibus suis. Vnde ait *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me.* Nam cùm ipse sit, de quo dictum ad Dauid: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam;* bene hæc tertia ejus vnctio in trina vnctione Dauid præfigurata est. Prima quippe vnctio Dauid facta est in domo patris sui Isai, à Samuële. Secundò vnxerunt eum viri Iuda super tribum Iudę tantũ in regẽ. Tertiò inunctus est super vniuersum Israël. Primam vnctionem in signum regni non in rem signi: secundam in rem signi, sed in partem solicitudinis: tertiam accepit in plenitudinem potestatis. Prima ergo vnctio incipientis, secunda proficientis, tertia plenè regnantis, & in regno confirmati, sunt. Secundum hæc tria cœlestis medicus juxta cujusque statum præparat hominibus medicinam: necesse enim erat, vt secundùm statum quo corpus mortuum erat propter peccatum: secundùm quem etiam homo poterat peccare, & non poterat non peccare: qui status fuit post peccatum & ante reparationem: propter quod Christus mortuus est pro peccatis, præpararetur oleum infirmorum, contritio scilicet pœnitentialis, tamquam myrrha & aloë: quibus corpus Christi mortuum inunctum est. Nam sicut myrrha & aloë amaritudinibus suis vermes expellunt: ita contritio & pœnitentia quamvis amaræ sint, fugant tamen vermes vitiorũ, & liberant ab operibus mortuis. Item quia post reparationem & ante confirmationem, corpus hominis quasi mortale, nec jam mortuum, sed in parte resuscitatum; nec tamen penitus: quia in hoc morti addictum, quod peccare potest: in hoc verò resuscitatum, quòd ab intus homo per gratiã potest non peccare; necesse est, vt vnctio nardi pistici, quo corpus Christi adhuc mortale inunctum est, caput Christiani, id est mentem ejus perungeret: videlicet amor initialis per nardum pisticum figuratus. Amor enim initialis est, mixta cum pauore dilectio: pixtis enim mixtum dicitur. Est igitur nardus pisticus vnctio mixta, id est dilectio mixta pauore. Et est amor initialis, in quo quidem initium virtutis est, sed non perfectio. Qui bene catechumenis conuenit, qui catechumeni & per fidem illuminati sunt; sed nondùm per baptismum renati. Initium autem virtutum fides, baptismus vero submersio vitiorum, & munditia virtutum. Item, baptizatis quasi ad robur & confirmationem necessaria est vnctio chrismatis, amor videlicet filialis: quo filij Dei corpus inunctum est: qui etiam quasi filijs consolator datus & custos collatam à patre conseruet hereditatem: quia parum aut nihil prodest, si quisquam parentum magnam parvulo conferat hereditatem, nisi prouideat & tutorem. Nã ipse consecrationis modus & ordo, in illa trina consecratione hujus trini profectus insinuat dignitatem. Cùm enim oleum infirmorum benedicitur, nec in capite verba salutationis, hoc est, Dominus vobiscum, nec oremus, nec in fine concluditur sicut & cętera orationes in quarũ fine dicitur, *per Dominum*, &c. Sed infra orationem illam in qua dicitur, *per quem hæc omnia Domine semper bona creas*, concluditur. Nam in vltimo antequam hoc dicatur, decenter ab Acolyto oblatum submissa voce Pontifex audientibus tantum modo circumstantibus, debet primo oleum exorcizare, & postea benedicere, & benedictionem suam terminare, *In nomine Domini nostri Iesu Christi.* Et tunc incipiat, *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas*, &c. Olei autem catechuminorum & chrismatis cõsecratio habent officium per se. Primo enim exorcizatur: deinde ad *Dominus vobiscum & sursum corda:* benedictio chrismatis inchoatur. Duo siquidem Acolyti, duas accipienres ampullas quæ oleum, quo chrisma & oleum catechuminorum contineant inuolutas, cum sindonibus de albo serico, ita vt videri possint à medio, deferre debent decenter ante Episcopum, projectis sindonibus super scapulam sinistram, ita vt redeant ad scapulam dexteram; & à dextris possint dependentia detineri: & sic fiat processio hoc ordine. Primò ambulent duo Acolyti cum candelabris & ardentibus cereis: portentur duæ cruces, & inter illas chrismale oleum: dehinc portentur duo thuribula, & inter illos medium oleum catechuminorum: dehinc feratur Evangelium, vt impleatur omne bonum. Tunc subsequantur duodecim Presbyteri, qui procedant bini & bini: tandem subsequantur duo pueri concinentes hymnum. *O Redemptor.* Signum est hoc totum magni mysterij. Ampulla quippe cum chrismate quodam modo figurat corpus sumptum de virgine continens in se corporaliter Spiritus sancti plenitudinẽ: quod antequam transiret ad altare crucis, aliquo tempore erat coopertum, & aliquo nudum. Quando enim quasi rex non esset portabatur in Ægyptum: quando portatus est in templũ, quando subditus erat Marię & Ioseph,

*Oleum tres ob causas consecratur*

*Marc. 16.*

*Ioann. 12.*

*Ioan. 19.*

*1. Reg. 1.*

*Isai. 61.*

*Psalm. 131.*

*Trina vnctio Dauidis cujus rei typus.*

*Amor initialis quid sit.*

*Ritus consecrationis olei.*

quasi coopertum latebat: in miraculis verò, in prædicatione, & ostensione suæ majestatis, quodammodo nudũ erat. Hęc igitur bene inter duas cruces portatur, quia Christus & per proprij corporis passionem, & per proximi cõpassionem mediator Dei & hominum sustinetur: sed & inter duo thuribula altera portatur ampulla; quia per deuotionem & contritionẽ spiritus ratio quasi media saginatur. At postquã benedicta fuerit, & ab altari reddita, à Põtifice & à ministris altaris visibilis & nuda salutatur. Hoc significat, quòd postquam ab altari crucis transiuit, præsentiam suam corporalem discipulis suis, quorum typum gerunt duodecim Presbyteri, qui assistunt, exhibuit; & eos suæ resurrectionis testes esse voluit. Quod autẽ alijs inuisibilis & cooperta ad salutandum defertur, significat, quod in cœlum Christus rediens inuisibilis factus est hominibus. Quòd autem sindonem illam, qua tegitur ampulla, album & sericum esse diximus; ad hoc dictum est, quod serica habeamus à vermibus: figuratur quoque caro Christi, sub qua diuinitas latuit, quæ in hoc naturam vermis habuit: quod sicut sine peccati contagio, ita & sine corruptione libidinis natus de virgine fuit. Vnde in psalmo ait. *Ego sum vermis & non homo.* Qui etiam vermis bene in illo figuratur, quẽ Rhamis vocãt Iudęi, dicentes: quòd ejus sanguine facilè lapides secabantur, cùm poni deberent in templo Salomonis: & ideo malleo non indigebant lathomi. Quod si ita verum est, nostræ fidei satis arridet mysterium: hujus siquidem vermis sanguine à corruptibili massa præcisi sunt lapides viui in templum sanctum, quod est Ecclesia: nec postea necessarium fuit, vt audiretur legis austeritas, tamquam malleus: quia sui sanguinis effusione suscitauit de lapidibus filios Abrahæ super fundamentum Apostolorum & Prophetarũ, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Quod autem sindon de læua transfertur ad dexteram, hoc insinuat, quòd per nubem incontaminatæ carnis suæ, facta est mutatio dexteræ excelsi, quæ præfigurata est per Patriarchã nostrum Iacob: qui filij sui nomen Benoni mutauit in Benjamin. Benoni quippe filius doloris, Benjamin verò filius dexterę interpretatur. Hoc ergo Christi contulit humanitas, vt filius doloris, id est filius iræ, lucta suæ passionis, (vnde Iacob luctator interpretatur,) esset filius dexteræ, id est filius gratiæ: vt qui ex merito nostræ prauitatis digni fuimus illa terribili voce, quæ statuendis à sinistris dicetur, scilicet. *Ite maledicti in ignem æternum*, cum filijs statuendis ad dexteram, audituri simus. *Venite benedicti*, &c. Vnde bene hoc eodem die quo Iesus traditus est, Pontifex apertis ianuis occurrit pro foribus Ecclesiæ pœnitentibus, qui facti fuerant per peccatum filij iræ, dicens. *Venite, venite, venite filij, audite me; timorem Domini docebo vos.* Et vt in persona Domini vox illa Pontificis proferatur, ostendit Psalmi titulus, qui sic inscribitur: *Psalmus David, cùm mutauit vultum suum coram Abimelech, & ferebatur manibus suis & dimisit eum & abijt.* David quippe, qui vel manu fortis, vel vultu desiderabilis interpretatur: Dominum Iesum significat, qui coram Abimelech, qui interpretatur patris mei regnum, scilicet coram Iudæis, hodie immutauit vultum suum, id est sacrificandi ritum; quando immolato jam Paschæ veteris agno sumens panem & vinum, ferebatur in manibus suis dicens. *Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus.* Vox igitur Pontificis, vox est inuitantis amici: vox inquam Christi, qui ad convivium corporis & sanguinis sui nos invitat dicens: *venite filij*, & vt magnus & capax suscipientis sinus aperiatur, omnes januæ patẽt Ecclesiæ: quasi dicat Pontifex aquiloni, da; & austro, noli prohibere. Quod autem surgens à cœna Iesus lauit pedes Discipulorum, à mysterio non vacat: quamvis sufficere videatur humilitatis exemplum, quod in illo facto demonstratur. Surrexit à cœna, id est, à convivio paternæ gloriæ; & posuit vestimenta sua, quia semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, & terrena carne nostra quasi linteo, cujus materia nascitur è terra, præcinctus, sanguinem suum sicut aquam effusam in pelvim effudit: & inde lauit pedes nostros, id est actus nostros; sicut de quibusdam scriptum est. *Lauerunt stolas suas in sanguine agni*, exemplum nobis tribuens, vt & nos ita faciamus: quia sicut ipse pro nobis animam suam posuit, sic & debemus pro fratribus animas ponere. Quia vero in vespera traditus est Dominus: nec fuit ei in illa captione species, neque decor, sed æstimatus est vir despectus, & virorum novissimus, ideo in vespera denudantur altaria, & ab apparatu suo & decore spoliantur: lavantur vino & aqua, in signum quòd in passione sua sanguine redemptionis, & aqua baptismi nos lauit: flagellis tũdũtur, in signum, quòd ipse pro nobis flagellis fuit cęsus. Campanæ non pulsantur: quia fidei præcones, id est Apostoli, non solùm conticuerunt sed relicto eo, omnes fugerunt. Vnde princeps Apostolorum Petrus, à cujus ore primò veritatis exivit preconium, dicens. *Tu es Christus filius Dei vini*, vocem illam repressit, conticuit, Christum reliquit, tertiò negauit.

*Christus verme significatur, quo fit sericum.* — *Psal. 21.* — *Fabula Iudæorum.* — *Ephes. 2.* — *Genes. 35.* — *Qui fiat Christianus ex Benoni Benjamin* — *Matt. 25.* — *Psal. 33.* — *Ibidem.* — *Matth. 26.* — *Isai. 43.* — *Ablutio pedũ mysticè explicata.* — *Apocal. 7.* — *Matt. 16.*

### *In die Sancto Pascha.* SERMO L.



CANTATE *Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.* Psalmus David. Psalmus iste attribuitur David, quia mirabilia fecit: vultu siquidem desiderabilis & manu fortis: sic enim interpretatur David, qui Goliam interfecit, leonem devicit, vrsum prostravit, quando coram Abimelech faciem suam immutauit; quando coram servis ejus impegit in ostia portę, manibus suis se portavit, & saliva defluxit per barbam: vel quando nudatus vestibus suis, saltavit coram arca Dei: in ijs omnibus verè mirabilia fecit. Ipse est enim David, qui speciosus forma præ filijs hominum: vultu desiderabilis, in quẽ ipsi Angeli prospicere desiderant. Bene faciem suam immutavit: quando reputatus est leprosus, & percussus à Deo & humiliatus, opprobrium hominum & abjectio plebis, eo quod non erat ei species neque decor. Tympanizavit autem, quando pellis carnis suæ in ligno crucis extensa fuit, velut in tympano: ita vt dinumerari possent omnia ossa ejus, sicut ait. *Dinumerauerunt omnia ossa mea*: id est dinumerabilia fecerunt. Impegit autem in ostia portę, quando portas contrivit æreas, & confregit vectes ferreos; & tamquam alter Samson portas Gazæ in montis supercilio transportavit.

*Psalm. 97.* — *Psal. 21.* — *Iudic. 16.*

*Præsentia Christi in Eucharistia. Matth. 26.*

Se etiam portavit in manibus suis; quando corpus suum tenens in manibus, discipulis ait: *Accipite & comedite ex hoc omnes.* Defluxit etiā saliua per barbam, quando loqui quasi quædā infantula videbatur sapientia capitis jam defluxa, quando dicebat. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

*Ioan. 6.*

Nudatus quoque vestibus suis coram arca saltauit, quando consortio discipulorum spoliatus, solus torcular calcauit: & vt vilior videretur plusquam factus fuerat, coram Deo se humiliauit. Licet ergo Michol derideat, videlicet Synagoga; licet cōtemnat Achis, id est populus Gentilis: Iudæis quippe scandalum fuit Christus, Gentibus autem stulticia; vos dilectissimi, qui creditis hæc omnia facta fuisse virtute Dei & sapientia, *Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.*

*2. Reg. 6. & 1. Reg. 21.*

*Psal. 97.*

Quid enim mirabilius; quàm quòd Rex Regum, & Dominus dominantium in crimen lesæ Majestatis sustinere voluit pro veste purpuram, pro corona spinam, pro sceptro arundinem, pro vnctione myrrham, pro throno crucem? Sed hæc omnia in argumentum & testimonium Iudaïcæ damnationis facta sunt; & ad gloriam nostræ salutis. Quasi enim quædam testimonia nostræ salutis fuerunt hęc omnia: quia in hoc quod purpura vestitus est, palam fecit, quia ipse est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra. Edom filius populi mei interpretatur; Bosra tribulatio: vnde Bosra, quæ est in Edom, tribulationes filij populi sui significat, id est tribulationem, quam intulerunt ei filij populi sui, id est Iudæi. Induunt eum purpura, & dicunt. *Quare rubrum est indumentum tuum?* Et cum manifestasset eis causam, dicens, *Torcular calcaui solus*, intelligere voluerunt: sed in contemptum calcationis suæ eum purpura vestierunt. Gens misera, gens attrita fonte: nonne sic oportuit, vt tunica Ioseph tincta sanguine Patri præsentaretur? Quomodo liberari possetis ab Ægyptijs, nisi vterque postis sanguine liniretur? Dedistis pro corona spinam. Bene dedit terra vestra, quod habuit, nondum à maledictone purgata. Spinas & tribulos habuit; spinas dedit. Miseri, nonne sic oportuit Deum in rubo apparère? Nonne sic debuit aries inter vepres cornibus hærere? Arundinem dedistis pro sceptro: apertissimè demonstrantes, quòd opus illud, quod erat in manibus Iesu, regni vestri sceptrum fecit arundineum & fragile: & ad scribendam damnationem vestram, ne possit deleri, scriptori, qui attramentarium habebat in lumbis, arundinem præparastis. Pro vnctione dedistis myrrham; non intelligentes, quòd Mardochæus sic introducere debuit Edissam in domum Assueri. Mardochæus enim myrrha munda, Edissa misericordia, Assuerus beatitudo interpretatur. Myrrha igitur ista, qua eum vnxistis, misericordiam in domum beatitudinis introduxit: vt non jam justitia, scilicet Vasthi vastans omnia, sed misericordia dignitate regia fungeretur. Vnde alibi ait. *Manus mea distillauerunt myrrham.* Dedistis pro throno crucem: quia sic oportuit, vt lignum in panem mitteretur. Hoc est enim lignum, quod amaritudinem Mara dulcorauit: per quod duritiæ vestræ ferrum natauit: propter quod subleuandum Angelus in piscinam descendebat: & ligno per Angelum aquam movente, sanus erat qui prior

*Testimonia nostræ salutis sunt, quæ Christus passus est.*

*Isai. 63.*

*Ezech. 9.*

*Cantic. 5.*

*Exod. 15. 4. Reg. 6. Ioan. 5.*

descendebat, à quacumque detinebatur infirmitate. Præuiderat enim Regina Saba, quòd regnum Iudæorum deberet destrui per hoc lignum: & hoc Salomoni mandauit: vnde Salomon sub piscina Syloë lignum hoc abscondit; & cùm tempus passionis appropinquasset, Angelus Domini cœpit paulatim lignum mouere; ex cujus motione piscina mouebatur, & per ligni virtutem, & ejus motionem, sanabatur qui descendebat in piscinam. Mouit ergo Angelus lignum istud, ita quòd ipso die passionis supernatauit: vnde populus, cùm Iesus duceretur ad mortem, lignum quasi inutile, & haurientibus nocivum, amouit à piscina, & ad crucis patibulum præparauit. Impletum enim fuit, quod dixerat Nichaula, quòd lignum illud regnum Iudæorū destrueret. Ergo dilectissimi, *Cantate Domino canticum novum, quia hæc mirabilia fecit.*

*Vide notas nostras, si lubet.*

Quid enim mirabilius: quàm quòd impassibilis pati, immortalis mori, justus pro injustis, amicus pro inimicis, pro servis Dominus, pro tantillis tantus dignatus est crucifigi? Defectus nostræ mortalitatis sustinuit: ita tamen quòd qui videret eum hominem ex infirmitate, Deum crederet ex potestate: vt intelligeremus ipsum hujusmodi defectus assumpsisse voluntariè, non necessitate. Qui enim legitur timuisse, armatis se sponte obtulit dicens. *Ego sum: si me quæritis, sinite hos abire.* Et qui dixit, *Tristis est anima mea vsque ad mortem,* ipse etiā dixit. *Nunc clarificatus est filius hominis.* Et qui dixit, *Abba pater, si fieri potest, transeat à me calix iste:* ipse Petro dixit: *Mitte gladium in vaginam Calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum?* Et qui ad inferna descendit, ipse Latroni dixit, *Hodie mecum eris in paradiso.* Et qui dixit. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Ipse etiam dixit. *Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei.* Manus quoque quæ clavo fuit affixa, solo tactu sanauit auriculam Malchi. Et cùm ignominiosè pendebat in cruce, terram concutiebat, Solem obscurabat, frangebat lapides, aperiebat monumenta, mortuos suscitabat. Et satis dignè: quia ipse est, qui respicit terram, & facit eam temere. Maximè tunc moueri debuit: quando inclinato capite eam respexit. Ideo terram mouit & conturbauit: quia terrena corda & facto mirabili terrore concutiebat. Solē obscurabat, quia is claritatem dabat, & adueniente lunæ synodo patiebatur eclypsim. Luna siquidem Ecclesia est, quā fœdere sanguinis & aquæ fluentium de latere suo sibi vniuit: cujus causam homines terreni considerare nescientes, mirati sunt, quòd obscuratus esset sol meridie: nescientes, quòd sol justitiæ recto diametro erat in synodo lunæ, videlicet Ecclesiæ suæ. Frangebat lapides: quia etiam dura infidelium corda ad pœnitentiam mouebat. Vnde Centurio. *Verè filius Dei erat iste.* Aperuit monumenta: quia Pharisæorum spurcitiæ manifestatę sunt: de quibus dictum est. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ deforis sunt pulchra, intus verò omni spurcitia plena.* Mortuos suscitauit, quia non tam corporis quam animę, morte sua mortem occidit: corporis quidem, quantū ad omnes spe, quantum ad plures re: animæ verò quantum ad sufficientiam, & si non ad efficientiam. Sufficiens autem hostia fuit: quæ potuit omnes liberare; et si non omnes inde sint

*Ioann. 18.*

*Matt. 26.*

*Ioan. 13.*

*Marc. 14.*

*Ioann. 18.*

*Luc. 23.*

*Matt. 26.*

*Tempore Passionis sol erat lunæ oppositus, sed non Christus Ecclesiæ.*

*Matt. 27.*

*Matt. 23.*

effectum consecuti. Accipiat igitur Maria tympanum & tympanizati nostro Dauid cum gaudio occurrat dicens. *Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est,* quia mirabilia fecit : equum enim & ascensorem projecit in mare. Iustum est enim, vt Maria illuminata, sic enim interpretatur; Maria cum Christo moriente mortificationis assumat tympanum: quia morte sua mortis destruxit imperium. Cùm enim ipse projectus est in mare; equum & ascensorē projecit in mare. Christus siquidem tamquam alter Ionas fugere volens in Tharsis, nauem intrans obdormivit: sed mare turbatur, suscitatur tempestas, nauis titubat, nautæ murmurant, & excitato Iona, dicunt ei, *Quid fecisti?* Quibus Ionas ait. *Si propter me orta est hæc tempestas mittite me in mare.* Projectus est in mare & facta est tranquillitas magna: qui projectus in mare, equum & ascensorem dejecit in mare. Ionas quippe qui dolens vel columba interpretatur Christum significat, qui cùm dolores nostros portaret: nec rostrum habuit, vnde malediceret, cum malediceretur, nec vngues, vnde lederet cùm lederetur: nec vocē amaritudinis cùm ad iracundiam provocaretur. Hic igitur cùm multas mundi tribulationes explorasset, & jam tempus aduenisset quo debebat transire de hoc mūdo ad patrem, tamquam fugiens ad cœlestis gaudij explorationem properabat. Hoc est quod fugere voluit Ionas in Tharsis sed intrauit nauem, quia vt prędicaret venit ad Sinagogam: sed cùm defectus humanos ibi assumpsisset, quasi in naui dormiuit: vnde Iudæi humanitatis ejus defectus, non diuinitatis gloriam attendentes, mare turbant, mundum suscitant. Vnde dicunt. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit, & totus mundus vadit post ipsum?* Tempestas suscitatur, tum vt capiant eum in sermone, tum ejus operibus detractātes, dicentes in Beelzebub principe dæmoniorum, eijcit dæmonia. Nauis titubat, Synagoga vacillat: alij dicebant, *quia bonus est alij non, sed seducit turbas.* Nautę murmurant, Scribæ scilicet & Pharisei dicentes. *Non est hic homo à Deo qui sabbatum non custodit.* Dicunt enim, *quid fecisti?* Es-ne Verbum caro factum? *Quousque animas nostras tollis? si tu es Christus, dic nobis palam.* Dicit eis Ionas. Si propter me orta est hæc tempestas, id est si non potest transire calix iste, nisi bibam illum, mittite me in mare, id est mittite me in amaritudinē mortis. Projectus est in mare: quia cum quadam abjectione opprobrium hominum factus, & abjectio plebis. Projectus est in mare: qui mortis amaritudines pro nobis sustinuit: mortis tamē transitoriæ, per quam Diabolum & satellites ejus projecit in amaritudinem mortis, sed perpetuæ. Hæc sunt mirabilia quæ fecit in depositione animę; qui potestatem habuit deponendi animā suam, & iterum sumendi eam. Sed quia mirabilia cognouimus, quæ fecit in depositione animæ suæ: jam ea videamus, quæ fecit in assumptione. *Potestatem,* inquit, *habeo ponendi animam meam: & iterum sumendi eam.* Res mirabilis atque inaudita: à sæculo enim non est auditum, quòd quis se suscitauerit. Suscitavit Elias filium Sareptanæ; filium Sunamitis Elisæus; alij alios: sed nulli seipsos. Sed quid vtilitatis in ista suscitatione Christi sit, demonstrant apparitionum signa, quibus se discipulis præbuit manifestum. Surgens enim mane prima Sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenę, tāquam magnæ infirmæ, tamquam magis egrotę: & ne rediret ad vomitum, & ad antiquum Dei contemptum, ne retro respiceret, quæ manum jam miserat ad aratrum, visitavit eam in spiritu timoris, quando aparuit ei Angelus: cujus species erat sicut fulgur & vestimēta ejus sicut nix Et quoniam timor numquam malus est, nisi quando nimius est; temperauit eum spiritu pietatis: quando iterum ei in horto apparuit, & oculo pietatis eam respiciens ait, *Maria.* Spiritu verò scientiæ visitauit Cleophā, & socium ejus, quando incipiens à Moyse & Prophetis, cœpit eis prædicare: quod sic opportuit Christum pati, & introire in gloriam suam. Vndecim verò discipulos congregatos in domo, in spiritu fortitudinis visitauit, quādo ianuis clausis intrauit ad ipsos, & ait eis, *Pax vobis.* Confidite, quia ego vici mundum. Ad mare Tyberiadis Petrum & Ioannem spiritu consilij visitavit, quando ipsis in vanum laborantibus tota nocte, dixit. *Mittite in dexteram nauigij rete & inuenietis.* Thomā verò qui dixerat, *nisi videro fixuram clauorum,* &c. visitauit in spiritu intellectus: quando post dies octo iterum ianuis clausis venit ad discipulos: & Thomæ dixit. *Infer digitum tuum in latus meum: mitte manum tuam in loca clauorum, & noli esse incredulus sed fidelis.* In spiritu verò sapientiæ apparuit recumbentibus discipulis, quibus exprobrauit incredulitatem ipsorum, & duritiā cordis, & ait. *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.* Hæc sunt mirabilia, quæ fecit in assumptione animæ suæ. Cantate ergo canticum novum: quia mirabilia fecit. Sed quid est Canticum? Canticum est exultatio mentis in vocem prorumpentis. Quia ergo in voce exultationis & confessionis sonus est epulantis: cantemus canticum, quibus datum est, hodie epulari. Pascha enim immolatus est Christus, sicut dicit Apostolus. *Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur.* Pascha nostrum Christus est, agnus scilicet qui tollit peccata mundi, quem nobis incorporare debemus, vel laborare potiùs, & orare, quomodo nos incorporet sibi. *Caput,* ait scriptura, *cum intestinis & pedibus vorabitis.* Caput diuinitatem significat, pedes humanitatem: intestina verò éa quæ pertinent ad animam. Fuerunt enim hæretici qui Christum Dei filium confessi sunt: sed ipsum hominem factum non crediderunt. Isti caput agni sine pedibus & intestinis comederunt. Alij verò ipsum purum hominem fuisse dixerunt: quia mortuum eum viderunt: sed eum nec resurrexisse, nec Deum fuisse crediderunt. Isti pedes & intestina vorabant: sed caput obmittebant. Alij verò Deum & hominem fuisse crediderunt; sed tamen diuinitatem pro anima ipsum habuisse mēriti sunt. Isti caput & pedes vorabant, sed intestina dimittebant. Nos verò qui eum verum Deum, & verum hominem, ex anima rationali & humana carne subsistentem confitemur, caput cum intestinis & pedibus voremus: id est cum aviditate non in ventre, sed in mentem Pascha nostrū traijcere satagamus: vel quia pascha transitus interpretatur: tāquam inuitati ad cœlestes nuptias transeamus, de tenebris ad lucem, de infidelitate ad fidem, de vitijs ad virtutem, de

Exod. 15. — Iona 1. — Christus per Ionam præsignatus. — Ioan. 6. — Ioann. 7. — Ioann. 9. — Ioann. 10. — Ibidem. — 3. & 4. Reg. 17. & 4. — Solus Christus seipsum suscitauit. — Marc. 16. — Apparitiones Christi diuerso spiritu factæ. — Ioann. 20. — Luc. 24. — Ioan. 20. — Ioann. 21. — Marc. 16. — 1. Corin. 5. — Exod. 12. — Quomodo comedendus verus Agn.

morte ad vitam, vel de mundo ad Patrem: vt ſic in voce exultationis & confeſſionis in primo celebremus Paſcha hiſtoricum, in ſecundo allegoricum, in tertio tropologicum, in quarto anagogicum. Cantemus ergo canticum, & novum: propter promiſſum, propter ſignum, propter præceptum. Propter promiſſum, quia vetera tranſierunt, & ecce noua facta ſunt omnia. Vnde non jam nobis vetera vel temporalia, ſed noua & ſpiritualia ſunt promiſſa. Exuite igitur veterem hominem, fratres chariſſimi: & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt. Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas. Cantate & canticum novum, propter novum ſignum. Novum enim fecit Dominus ſuper terram; non ſolùm quòd mulier circumdedit virum: ſed quòd vir ille ſuſcitauit ſe ipſum. Cantate etiam canticum novum, propter novum præceptum. *Mandatum*, inquit, *novum do vobis, vt diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Quantum dilexit nos? Vſque ad mortem, mortem autem crucis. Ad hanc enim dilectionem inuitat nos ipſum ſignum crucis. Crux enim habet duo brachia extenta. Extendamus igitur ad dilectionem amicorum & inimicorum vtrúmque brachium, dextrum ſcilicet & ſiniſtrum: longitudinem habentes in perſeuerantia vſque ad mortem; & ſolo Dei intuitu nos diligentes, habeamus ſublimitatem: & cum ijs omnibus humilitatis habentes profundum. Sic crucem Domini bajulemus & commoriamur ei, vt à morte tam animæ quàm corporis reſurgere mereamur; ipſo adjuvante, ipſo patrocinante, ipſo auxilium miniſtrante, qui viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

*Quadruplex Paſcha*

*Ioan. 13.*

## *In die Sancto Paſcha.* SERMO II.

*Exod. 34.* *Hebr. 7.*

NON *coques hœdum in lacte matris ſuæ.* Apoſtolo teſte, nihil ad perfectum adduxit lex; ſed propter trangreſſiones data eſt; donec plenitudo legis, non per verbum legis, ſed per legem Verbi, daretur in plenitudinem temporis. Ecce quod in exitu Iſraël de Ægypto, immolari præcipitur agnus Paſchalis. Et hoc ritu. *Non comedetis, ait, ex eo crudum quid, nec coctum aqua: ſed aſſum tantum igni. Caput cum inteſtinis & pedibus vorabitis; & ſanguine ejus ſuperl minare domus, & vtrumque poſtem linietis. Et ſecundum hunc ritum accipietis & hœdum.* Vnus autem ritus eſt agni pariter & hœdi: vnus ritus, vna legis ſanctio, vna fides ejus, qui venit in ſimilitudinem carnis peccati: & qui peccatū non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore ejus. Vna fides ejus, qui cum peccatoribus venit conuerſari: & conſtanter tamen dixit. *Quis accuſabit me de peccato?* Vnus ritus ejus, qui teſte Apoſtolo pro nobis factus eſt peccatum, vt de peccato damnaret peccatum: & ejus, qui fuit agnus ſine macula: agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Nihil ergo crudum de agno paſchali vel hœdo edere debemus, cùm corpus ejus ſuſcipimus: ſed in ſacramentis rerum res ſacramentorum cognoſcamus. Sunt enim ibi duo ſacramenta, & duæ res. Sacramentum quippe eſt, viſibilis forma panis & vini: ſacræ rei illius inuiſibilis, videlicet corporis agni immaculati, qui voluit fieri hoſtia pro peccatis noſtris, cùm in cruce pependit: & idē corpus de virgine natum, verum in veritate ſigni, quod etiam eſt ſignum veritatis, ſacramentum eſt illius corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia. Eſt igitur ſacramentum, & non res, viſibilis forma panis & vini: ſacramentum & res, corpus de virgine natum: res, & non ſacramentum, corpus ejus quod eſt Eccleſia. Qui igitur ſacramentum ſine re ibi credit eſſe, crudum comedit; quia nihil ibi ſpirituale credit, ſpiritus enim ignis eſt. Qui rem & ſacramentum eſſe credit, ita quòd remanente panis & vini ſubſtantia, credat eſſe verum corpus Chriſti, ſicut quidam hæretici mentiti ſunt: corpus quidem accipit, ſed ſemicrudum. Qui verò per ſuſceptionem rei & ſacramenti membrum Eccleſiæ ſe efficit, Chriſti corpus accipit, & ſancti Spiritus igni coctum. Sequitur. *Non coctum aqua.* Aſſata per ignem fortiùs aſtringuntur: elixa verò per aquam faciliùs diſſoluuntur. Aqua igitur coctum comedit, qui ſumendo corpus Chriſti diſſolui, & per partes poſſe diuidi, ſuſpicatur: vel illam vnionem Dei & hominis in paſſione ſolutam arbitratur. Et quia nihil phantaſticum in illo ſacramēto credere debemus: ſciendum eſt, quia verè frangitur ibi, quod videtur, & non eſt; non quod eſt, & non videtur. Frangitur forma viſibilis, non res inuiſibilis. Non frangitur ſubſtantia, ſed accidens, quod nec in ſubjecto eſt, nec ſubjicit. Mira res, ſed tamen vera, nec multum mirabilis, ſi cujus ſit, attendamus. Cùm hæc attendis & miraris: attende cujus ſit corpus, & non miraberis. Ipſum eſt enim corpus illud, quod de Virginis vtero per clauſam januam exiuit. Ipsū eſt, quod ad diſcipulos clauſis ianuis intrauit. Ipſum ſuper mare ſiccis veſtigijs ambulauit: ipſum contra naturam nubes ſuſcepit & leuauit. Hanc igitur ſpeciem panis & vini in corpus Chriſti tranſubſtantiatam miraris? Numquid ipſe eſt, qui coram Petro & Iacobo & Ioanne transfiguratus eſt? Numquid ipſe eſt, qui cum duob⁹ diſcipulis eūtibus in Emmaüs, peregrini formam ſuſcepit? Illas transfigurationes non miraris: & propter hanc obſtupeſcis? Verbum per quod omnia facta ſunt, & omnia poteſt, iſtud non poteſt? Verbo, quo dixit, & facta ſunt, hoc dixit, & factum non erit? Veritas eſt: verba ejus ſpiritus & vita ſunt. Si hæc ſpiritualiter & cum charitate intelligis, verba ejus ſpiritus & vita ſunt, & tibi ſunt: ſi hæc non charitativè, ſed carnaliter intelligis, verba ejus nihilominus ſpiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſūt: ſed fomentum damnationis & mortis tibi ſunt. Para igitur mentem, non dentem; crede, & mā-ducaſti. Totus igitur ſumitur Chriſtus & totū. Totus in perſona: totum in natura. *Caput*, inquit ſcriptura, *cum pedibus & inteſtinis vorabitis.* Non dixit, pedes cum capite vel inteſtinis: non dixit, inteſtina cum pedibus, vel capite vorabitis. Qui enim dixit, quod eſt: remouit quod non eſt. Quia igitur caput Chriſti Deus, per caput ſublimitas divinitatis accipitur: per pedes verò humilitatis humanitas deſignatur. Vnde Ioannes dignum ſe non arbitrabatur, ſolvere corrigiam calciamentorum ejus: id eſt, non arbitrabatur ſe dignum aperire ſacramenta humanitatis ejus. Inteſtina verò ſunt anima, & animæ virtutes & potentiæ: quas Chriſtus habuit, pro vt decuit, & oportuit. Fuerunt ergo hæretici, qui ipſum purum hominem aſſerebant: ſed Deum eſſe negabant. Hi pedes & inteſtina vorabant, ſed caput obmittebant. Fue-

*Exod. 12.*

*Ioann. 8.*

*Sacramentum & res ſacramenti quid ſint.*

*Errant, qui panem in Euchariſtia manere putant.*

*Transſubſtantiationis aſſertio.*

*Ioan. 6.*

*Exod. 12.*

*Ioan. 1.*

Varij errores contra Incarnationem Christi.

sunt alij, qui ipsum Deum esse crediderunt, sed eum veram carnem, sed quasi phantasticam vt sic videretur ab hominibus; accepisse negabant: isti caput & intestina vorabant, sed non pedes. Fuerunt alij, qui ipsum Deum esse, & veram carnem accepisse confessi sunt: sed ipsum animam habuisse negauerũt, sed ipsam pro anima diuinitatem: isti caput & pedes, sed non intestina vorabant. Nos autem qui ipsum Deum & hominem verum, ex anima rationali & humana carne subsistentem confitemur, caput cũ pedibus & intestinis vorare tenemur: vorare, id est cum omni auiditate sumere. Quicquid enim Dei est, cùm auiditate faciendum est: propter hoc ait Psalmista, *voluntariè sacrificabo tibi.* Nota ordinẽ verborũ. *Caput cũ ped.* Non ait pedes cũ intestinis, vel intestina cum pedibus. Nã separationem carnis & animæ, cùm mortuus esset in sepulchro, confitemur. Sed talis fuit vnio Dei & hominis, quòd nec à carne in sepulchro: nec ab anima separari potuerit in inferno. Et totus erat in sepulchro, sed propter carnem: totus in inferno, sed propter animam: totus vbique, sed propter diuinitatem. Totus dico, sed non totum. Sed numquid verum dixit, qui dixit. *Hely, Hely, Lamasabacthani? Hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Ait enim super hoc Ambrosius. *Clamabat homo separatione diuinitatis moriturus.* Hinc est, quod Hesychius super Leuiticum, de duobus hircis loquens quorum alter immolabatur, alter verò à populis abire permittebatur in solitudinem, dixit, *Immolata est humanitas quasi hircus: sed diuinitas quasi alter hircus, abijt in solitudinem, id est in cœlum: vt portaret peccata nostra, non vt haberet, sed vt consumeret.* Sed hoc intelligendũ est, quantum ad defensionem, quantum ad protectionem; non quantum ad vnitionis solutionem. In hoc enim eum diuinitas dereliquit, quia protectionem cohibuit: vt potestatem haberet inimicus, quia consummaret passionem. Nam si defendere eum diuinitas voluisset, inimicus eum occidendi potestatem nõ habuisset. Et si mortuus non fuisset; salutem nostram operatus non esset. Vt igitur homo saluaretur, oportuit, vt Christus moreretur. Sed mori non poterat: nisi potestatem occidendi eum inimicus haberet. Potestatem habere non posset; si eum diuinitas defendere voluisset. Ergo in hoc eum diuinitas deseruit: quod ipsum non protexit: sed vnionẽ non soluit. Verba quidem notanda sunt. Non enim ait, *derelinques*, sed *dereliquisti.* Viuus hoc dicebat, ergo jam viuum diuinitas dereliquerat: ergo nec tunc Deus erat: quod nefas est credere & dicere. Sed in hoc eum dereliquerat, quòd Pilatus, quòd Iudæus, occidendi hominem illum potestatem à Deo acceperat. Nam cùm mala voluntas ab homine, vel à diabolo sit; omnis tamen potestas, siue bona sit, siue mala, esse nõ potest, nisi à Deo. Hinc est quod Dominus ait. *Non haberes in me potestatem; nisi tibi datum esset desuper.* Sequitur. *Et linies sanguine agni superliminare, & vtrumque postem.* Hinc est, quòd Dominus Angelo, qui atramentarium scriptoris habebat in lumbis, dixit. *Signa Thau, in frontibus virorum gementium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in Ierusalem.* Quod Dominus in fronte per Prophetam, hoc idem Dominus in superliminari dixit per legislatorem: sed hoc

Psal. 53.

Matt. 27.

Hesych. li. 5. in Leuit. habet sensum horum verborum.

Quo sensu Christus à Patre fuerit derelictus.

Potestas mali à Deo est.

Ioann. 19.

Exod. 12.

Ezech. 9.

idem signum ipse Boëtius in inferiori margine vestis philosophiæ depictam cognouit. Quia idem est, & sanguinem positum in superliminari, & Theta depictum in inferiori. Sed & ipse Gedeon, trecentos milites, qui ad bella procederent, à dextris statuit, & elegit: significans sanguinem agni ponendum, & Thau in dextro poste depingendum. Nam numerus ille, qui per figuram Theta figuratur, firmissimum est conscientiæ munimẽ, tam ad omnia, si terreant, aduersa; quã si adulẽtur prospera. Si scenicæ vitiorũ meretriculę te reuocent ad tẽporalia: si te in peccatis securum reddat inordinatæ spei præsumptio falsa signa Thau, pone sanguinem passionis in conscientiam; quoniã & Samson vicit in asini mandibula. Nihil est enim, quòd non vincat frequens ruminatio passionis, & patientiæ Christi. Sequitur. *Et comedetis panes azymos cum lactucis agrestibus.* Non omne fermentum abijciendum est; nam mulier sapiens fermentũ posuit in farinæ satis tribus: sed à cibo animæ spirituali abijciẽdæ sunt, vel aperta malitia, vel religio simulata. Nã de primo dicit Apostolus. *Expurgate vetus fermentum:* de secundo Dominus in Euangelio: *Cauete à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Propter hoc azyma sinceritatis ponit Apostolus, contra maliciam: veritatis, contra religionem simulatam. Lactucas etiam agrestes comedere tenemur, & non domesticas. Nam sicut alia lactuca domestica est, alia agrestis, ita quædam est amaritudo agrestis quædam domestica: per lactucã enim, quia amara est, amaritudo figuratur. Sed sicut melle silvestri Ioannes vtebatur in deserto, ita & nos lege præcipimur vesci lactuca agresti. Nec mel domesticum Ioannes, nec legislator lactuca domestica præcipit vesci: quia vtrumque abominabile est apud Deũ. Nam dulcedo domestica est inter prospera gratulari: lactuca domestica est inter aduersa, amaricari: sed mel siluestre est, gratulari si pungant aduersa, lactuca agrestis est, si decipere volunt prospera. Propter hoc ait Ieremias: *pone tibi amaritudines.* Hanc lactucam comedebat Propheta, quando dicebat. *Ecce in pace amaritudo mea est amarissima.* Et iterum alius Propheta: *Ingrediatur putredo in ossibus meis & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis.* Sequitur. *Renes vestros accingetis.* Necesse est, vt pruritum carnis humanæ, vel præcingat virginitas, vt exinaniat; vel accingat continentia, sic vt cohibeat: vel ordo cõjugalis ordinatè succingat: nec enim peccatum est, si non causa coïtus, sed causa prolis sponsus spõsam ordinatè cognoscat; vt sic ex illa cognitione filius quæratur: qui per vndam baptismatis Deo postea regeneretur. Baculosque tenere jubemur in manibus, id est disciplinas exhibere operibus, quę non sit nobis virga, sed baculus, vt in austeritate disciplinæ grossitudo baculi figuretur. Calciamenta etiam habere debemus in pedibus, ne terrenum lutum affectus nostros polluat: sed sic exempla doctorum muniant, vt etiam eorum suffragia à luto defendant. Ecce dilectissimi, si omnia quæ de agno vel hœdo dicta sunt, sufficiunt ad medelam: quid necessarium fuit tantæ perfectioni addere quod audistis, *Non coques hœdum in lacte matris suæ?* Notandum est ergo, quod pater filium tradidit, Iudæus filium tradidit. Idem operatus est Iudæus, quod Deus. Sed Deus bona volun-

tate

Boët. de consolat.

Iudic. 7.

Litera Thau siue Theta.

Exod. 12.

1. Corin. 5.

Matt. 16.

Quid azima, quid lactuca designent.

Marc. 1.

Isai. 38.

Habac. 3.

Exod. 23.

tate operatus est, quod Iudæus mala voluntate. Ergo mala voluntas fuit Iudæi, idem operantis quod Deus: ergo eadem voluntas Iudæi & Dei, sed mala in Iudæo bona in Deo, quia necessarium fuit velle Deum: quod noluit velle Iudæum. Sicut è contrario potest esse bona voluntas hominis: & aliud tamen volentis quod Deus: sed si est alia voluntas à Deo, non est tamen alienata à Deo, quia vult hominem velle, quod ipse non vult; alia enim debet esse voluntas judicis, alia judicio subjacentis. Iudex vult exercere justitiam, judicandus præstolatur misericordiam: Iudex eum damnandum disponit. Sed quis vnquam carnem suam odio habuit? Sunt igitur contrariæ voluntates & judicis, & judicandi, imò fortè graviùs damnari deberet, si sibi damnum optaret: quia qui sibi nequam, cui bonus? Ergo bona est voluntas & judicis, qui non vult, quod judicandus; & judicandi, aliud volentis quàm judex. Non est enim contra illam, & si sit præter illam. Sed quid mirum, si inter duos homines sint diuersæ voluntates, quæ non sint aduersæ: cùm etiam in vnoquoq; hominum sint diuersæ voluntates, per quarum vnam aliquid non velit, quod per alterã velit? Nam secundùm inferiorem vim animæ, quæ sensualitas appellatur, aliquid vult; quod secundùm superiorem vim animæ, quæ ratio dicitur, nec velle vult. Ista tamen duo sunt in anima, & anima est vna. Numquid diuisa est anima? Numquid sibi contraria res est vna? Propter hoc ait Apostolus. *Inuenio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati. Velle adjacet mihi, perficere non inuenio.* Sed quoniam in hac diuersitate quædam videtur aduersitas: quia nõ bene conuenire videntur lex membrorum, & lex mentis: leuemus oculos, & consideremus in capite, quod in membris non videmus perspicuè. Consideremus in Christo vtramque voluntatem; aliam & aliam; diuersam non diuersam: alteram non alteram; & vtrámque bonam. *Pater si fieri potest*, inquit, *transeat à me calix iste*: locutus est filius hominis. Sed quid respõdit filius Dei? *Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Aliter locutus est ergo filius hominis, aliter filius Dei: aliter homo, aliter Deus: totum tamen ipse Christus. Quod locutus est filius hominis, homo, locutus est filius Dei, Deus: sed idem Deus; imò prorsus idem Pater & Filius. Ergo eadem voluntas Patris & Filij: quia idem est eis velle & esse, voluntas quippe essentia est. Quod ergo filius ait, *Non quod ego volo, sed quod tu*: idem est ac si diceret, non quod volo ego, sed quod ego. Valde diuersa sunt, non volo, & volo: vtráque tamen voluntas in Christo, & vtráque boua. Quis enim, nisi mentis insanæ, malam in Christo fuisse voluntatem audeat confiteri? Volebat igitur, in quãtum homo, quod noluit, in quantum Deus: voluntatem tamen humanam diuinæ supposuit voluntati. Sed adhuc dico: non solùm vult in quantum homo, quod non vult, in quantũ Deus: sed & Deus, præcipit aliquando, quod non vult fieri: & prohibet plerumque, quod vult fieri. Plus est enim præcipere, quam velle. Præcepit Abraham, vt immolaret filium suum Isaac: sed numquid istud volebat fieri? Si volebat, cur arietẽ hærentẽ cornibus inter vepres mittebat? Præcipiebat igitur, & tamen fieri nolebat. Sed propter hoc præcepit, vt fidem & obedientiam Abraham comprobaret. Rursus, cùm quemdam ægrotum sanasset, dixit, *Vide, nemini dixeris.* Numquid tantum miraculum silentio præteriri volebat? Non vtique, sed exemplum humilitatis ostendebat. Ecce bona voluntas Dei fuit: quòd voluit filij passionem, & bonum est quod voluit: quia nec velle potest, nisi bonum. Velle enim malum non potest etsi omnipotens. Sed mala voluntate illud idẽ voluit Iudæus; & factum est malum ei, quod est bonum: factum est ei venenum, quod est mihi antidotum. Quoniam etsi exterior homo noster plerũmque indicet interiorem, & opera denuntient bonitatem vel voluntatem, tamen voluntas ex operibus non est judicanda: sed ex voluntate judicanda sunt opera. Scriptũ quippe est. *Affectus tuus operi tuo nomen imponit*: & omne peccatũ, vt ait Augustinus, ita voluntariũ est, quòd non est peccatum si non voluntariũ: nec aliquid criminale, si displicet: nec aliquid veniale, si placet. Igitur quod mala voluntate operatus est Iudæus, cùm tamen simpliciter esset bonum, factum est tamen in scandalum & in malum, & ad injustitiam reputatum. Condẽnat Dominus per Prophetam, & opus malæ voluntatis, & malam voluntatem operantis: & auctorem simul operis & voluntatis. Ait enim. *Non coques hœdum in lacte matris suæ.* Coctio hœdi passio Christi. Sed quid est quod additur, *in lacte matris suæ?* Mater ejus Maria fuit: lac matris tenerrima carnis portiuncula fuit: quæ per Spiritum sanctum concreta, & coagulata in assumptionem carnis humanæ in corpus Christi transiuit. Non enim de cœlis illa caro fuit, sicut quidam crediderunt: sed de substantia maternæ carnis. Dicit enim Iob in persona Christi. *Sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?* Vnde mulsisti me? De substantia matris meæ. Ipse enim lapis est sine manibus de monte abscisus; qui creuit in montem magnum, in montem coagulatum & incaseatum: de quo cecinit Psalmista dicens: *Mons Dei mons pinguis: vt quid suspicamini montes incaseatos?* Montẽ in quo beneplacitum est Deo habitare eo. Hujus igitur lactis coagulatio, hujus montis incaseati glutinũ concretionis Spiritus sanctus fuit, quo præter aliorum naturam concreta sunt membra in vtero matris. Aliorum siquidem membra ex seminario vtriusque parentis, per intervalla temporum & dierum, formam suscipiunt naturalem. Itaque post quadragesimum sextum diem animam suscipiunt: sed aliter in Christo factum est. Nam ipsa die conceptionis, in ipso lacte matris formata sunt membra simul omnia, infusa est anima: & ipsa die tantę sapiẽtiæ facta, cui nihil Deus addere potuit: quia eo die secundùm animam omnia sciuit, quæ Deus sciuit: etsi non ita clarè vel perspicuè. Alioquin aliqua dies fuit, quod filius Dei carnem habuit, & homo non fuit. Potuerunt igitur membra formata per ætatẽ proficere, & majorem suscipere quantitatem. Sed sapientia majorem quãtitatem, vel gratia infusa suscipere non potuit: quia ipse erat sapientia genita, & non creata: & sapiens sapientia ingenita, & non creata, quæ vna est cum sapientia genita: cujus beneficio sapientia creata non genita, & adjuncta non potuit augmentari. Vnivit enim sapientia ingenita non creata, sapientiam creatam non geni-

*Non debet semper idẽ velle homo, quod Deus.*

*Rom. 7.*

*Matt. 26.*

*Ibidem.*

*Christus aliter loquitur vt homo, aliter vt Deus.*

*Genes. 22.*

*Matt. 8.*

*Lib. de vera Relig. c. 14. omne peccatum voluntarium & liberum.*

*Exod. 23.*

*Iob 10.*

*Psalm. 67.*

*Anima Christi omnia sciuit, quæ Deus sciuit.*

tam, sapientiæ genitæ non creatæ: & facta est inseparabilis vnio, vt quod Dei erat, esset hominis: & filius hominis, idem esset ipse filius Dei. Propositi igitur sensus verbi talis est. *Non coques hœdum in lacte matris suæ,* id est non af-

Exod. 21.

fliges Christum passione in die conceptionis suæ. Sexto die Adam factus est, sexto die lapsus est; eodem die, vt quidam tradunt, Christus de Spiritu sancto conceptus est; eodem die passus est. Et hunc, vt naturæ corruptionem, quæ per Adam facta est, per suæ conceptionis incorruptionem redderet incorruptam: & qui casu ceciderat, per occasum orientis ascenderet occidens super occasum. Tamen si per hœdum de-

An Christus per hœdum significetur, & cur.

signatur Christus, quia venit in similitudinem carnis peccati: ergo per hœdum designatur caro peccati. Sed quare? Propter peccatū carnis. Ergo per hœdum non solùm caro peccati, sed magis propriè peccatum carnis accipitur. Quid est igitur? *Non coques hœdum in lacte matris suæ,*

Ibidem.

nisi quod apertè dicitur; non fouebis peccatum in dulcedine cogitationis? *De corde,* ait Dominus, *exeunt cogitationes malæ, & hæ sunt quæ coinquinant hominem.*

Matt. 15.

In fomentum ergo facinoris vsurpat cogitatio locum matris. In vulua siquidem matris hujus est, quando suggeritur: sed de vtero ejus egreditur, cum deliberatur. Cùm verò falsæ spei sibi fiduciam proponit, genibus eum mater excipit. Et cùm per exemplā majorum ad faciendum inducit: vberum suorū lac elicit falsæ consolationis. Cúmque peccatum perpetratur, sed adhuc per ignorantiam, & propter falsas consolationes mēs excæcatur, filius ad infantiam educatur. Cùm verò ex nimia consuetudine peccandi, sciens & prudens manum in flammam mittit, nec potest continere, vt jam non ex ignorantia, sed potiùs peccet ex infirmitate; de infantia in adolescentiam crescit. Naturaliter enim infantia ignorat, & adolescentia infirma est. Sed cùm postea ex eadem infirmitate peccatum ita fouetur, vt non solùm qui peccat, facere, sed & factum defendere velit; quasi de infantia in adolescentiam creuit. Iuuenes enim sunt, qui à viginti annis & suprà possunt ad bella procedere: de quibus dictum est.

Horat. in arte poëtica.

*Imberbis juuenis jam jam custode remoto,*
*Gaudet equis, canibusq; & aprici gramine verni.*
*Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.*

Cúmque ex consuetudine defensionis, qui peccat contemnere incipit, & obstinatus esse: de juuentute labitur in senium, & propè interitum est; quia peccatum est in Spiritum sanctū qui ardor est Patris & Filij, tantò longiùs à calore, quantò longiùs à charitate, & à Sancti spiritus ardore. Quia igitur senes naturaliter frigidi sunt, in senium peccati labitur, in quo nihil spiritualis dulcedinis reperitur. Quod *In lacte matris* additur, maledicti signum præponitur. Quia maledictus puer centum annorum. Peccator siquidem obstinatus in dulcedine suæ cogitationis, puer est centum annorum; & hœdus coctus in lacte matris. Propter hoc Iob dicebat. *Quare non in vulua mortuus sum: egressus ex vtero non statim perij? Quare exceptus genibus, cur lactatus vberibus?*

Iob 3.

Transfert enim in se vir sanctus, non quod factus est, sed quod fecit. Beatus autem est ille, qui in domo meruit suscitari; sed tantò beatior ille, qui suscitari meruit extra portam, quantò funeri vicinior sepulchroque. Beatissimus autem, qui jam sepultus quatriduanus fœtebat in tumulo, quo peccatum obstinationis designatur, tantò ad sanandum difficiliùs; quantò funibus vitiorum alligatur districtiùs. Vel hœdum decoquit, qui ignem & ligna supponit. Hœdus culpa, lignū causa, ignis pœna. Est igitur peccatum culpa, & est peccatum non culpa. Est causa peccati, & non peccatum: & est pœna peccati & non peccatum. Est etiam peccatum culpa, sed nec causa nec pœna. Et est peccatum culpa & pœna, sed non causa, & est peccatum & culpa, & causa, & pœna. Peccatum & culpa, actus peccati, & reatus, peccatum & non culpa; hostia pro peccato. Vnde Apostolus de Christo. *Factus est pro nobis peccatum, vt de peccato damnaret peccatum.* 2. Corin. 5.

Causa peccati & non peccatum, prædicatio veritatis, vnde nascitur vana gloria. Pœna peccati & non peccatum, contritio cordis, etiam post actam pœnitentiam: quia scriptum est. *De propitiato peccato noli esse securus.* Eccle. 5.

Peccatum culpa, nec causa, nec pœna; quod statim perpetratum per pœnitentiam diluitur, nec iteratur. Peccatum culpa & causa, sed non pœna; reatus qui suo pondere ad alium trahit: & tunc per pœnitentiā diluitur, sicut ex prodigalitate furtum, ex furto solet perjurium prouenire. Peccatum culpa & pœna, sed non causa, quod statim per contumaciam ad mortem trahit. Peccatum & culpa, & causa, & pœna, reatus qui ad alium trahit, & per contumaciā perseuerat. Tot modis peccatum inflammatur, tot modis hœdus decoquitur.

## In die Sancto Paschæ. SERMO. III.

DIE *sexto princeps filiorum Gad, Eliasaph filius Duel obtulit acetabulum plenum simila in sacrificium.* Num. 7.

In dandis accipiendisque muneribus nostri sermonis series & virtus consistit. Accepti siquidem & dati gratiā fœderantur amore mutuo etiam mater & filia. Manus autem vacua pauperum preces euacuat. Et quamvis dicat Isaias, quòd in excelsis habitabit, qui excutit manus suas ab omni munere, eo quòd munera etiam sapientes excæcant; tamen non sic est generalis authoritas, quòd careat exceptione. Sunt enim munerum quædam beneficia, quorum alia censum minuunt, & non sensum: alia minuunt sensum, & non censum: quædam vtrúmque. Sunt etiam, quæ non minuunt, sed muniunt, alia quidem censum, sed non sensum, alia vtrúmque.

Quædam munera censum minuūt alia sensum.

Multa Deus beato Iob beneficia contulit & abstulit. Imminutus est census, & non sensus. Ait enim. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est; Sit nomen Domini benedictum.* Iob 1.

Multa dari solent fœneratori beneficia, census augetur, sensus minuitur: nam exinde majori cupiditate cæcatur, vt scriptum est. *Crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit.* Sunt & alij, qui propter amissionem temporalium nimio dolore torquentur: & plerumque laqueo se suspendunt. Isti sensu minorantur & censu. Alios verò donis gratiarum Dominus locupletat; qui quantò spiritualibus abundant, tantò temporalia parvipendunt. Vnde magis eligunt abjecti esse in domo Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Isti censum minuunt, sensum muniūt. Qui verò munus eleemosynæ pauperibus lar-

giuntur; cùm beneficium illud in cælestes thesauros deportatur per manus accipientium, thesaurizat beneficij largitor, vbi nec ærugo, nec tinea: vbi fures non effodiunt, nec furantur. Istorum census reddendus in die judicij cum vsura seruatur. Donat siquidem temporale; sed æternum recipiet. Donat quod seruare non potest: recipiet præmium, quo carere nõ poterit. Bene igitur talium sensus & census munitur. Propter hujusmodi Moyses Legislator, imò Dominus præcipit per Legislatorem. *Exod. 23.* *Non apparebis*, ait, *in conspectu Dei tui vacuus.* Nam quis in judicio vacuus appareret? Dedit enim dona hominibus, sicut ait. *Apocal. 22.* *Ecce venio citò, & merces mea mecum est.* Hinc est, quòd de dono, quod nobis contulit, & pro nobis, satis figuratiuè loquitur sermo diuinus, vbi ait. *Sexto die*, &c. Cùm igitur ait, *Sexto die*, tempus misericordiæ congruũ, & nostræ liberationis proponit proficuũ. Neque enim dubium est, quòd sexto die crucifixus non fuerit; vt eodem die reformaret hominem, quo formauit: vt per ipsum eadem die resurgeret homo, quo cecidit. Vel *sexto die*, ait, id est sexta ætate. *Mundus septem ætatibus distinguitur.* Nam sicut mundus septem diebus voluitur; ita septem ætatibus distinguitur. Prima ab Adam vsque ad Noë, secunda à Noë vsque ad Abraham, tertia ab Abrahã vsque ad Moysen, quarta à Moyse vsque ad Dauid, quinta à Dauid vsque ad transmigrationem Babilonis, sexta à transmigratione Babilonis vsque ad Christum, septima à Christo vsque ad illud tempus, quo beatis mortuis, qui in Domino morientur, dicet spiritus, vt requiescant à laboribus. Hinc est, quòd Ecclesia istas septem ætates per septem dies Dominicales distinguit. Et quamvis omnis Dominica ob honorem & reuerentiam Dominicæ Resurrectionis venerabilis esse debeat, & jucũda: istas tamen septem Dominicas ideo nigro lapide meritò censuit esse numerandas, quia in ipsis miserias vniuersæ describit ætatis. Tantò siquidem affectuosiùs misericordia desideratur parcentis, quantò lucidiùs ad memoriam reuocatur miseria patientis. Secundùm magnam ægritudinem, magna medicina: secundùm magnam miseriam, neçessaria nobis est magna misericordia. Vt igitur deuotiùs prẹstolemur Dei misericordiam; necesse est sæpius ad memoriã reuocare nostram miseriam. *Prima ætas.* Prima igitur ætas incipit ab Adam; vnde & in prima Dominica reuocatur ad memoriam beneficium collatum Adæ, & successoribus ejus. Sed quoniam nec verbis nec operibus factori suo & benefactori respondit, imò multiplicatis hominibus multiplicata sunt mala filiorum Adam: ita vt dolore cordis tactus intrinsecùs, compelleretur Dominus ad dicendum, *Genes. 6.* *Pœnitet me fecisse hominem*, id est faciam, quod homo pœnitens facere solet; delet enim quod fecit; quod & factum est. Nam omnis illa generatio, præter Noë & domum ejus, perijt per aquas diluvij. Ideo Ecclesia gemit dicens. *Psalm. 17.* *Circumdederunt me gemitus mortis.* Hinc est etiam, quòd in Vigilia Paschæ lectionem primam istam nullum sequitur responsorium; quia diuinis beneficijs Adam Domino non respondit. *Secund. ætas* Secunda ætas incipit à Noë. Ab isto disseminatum est omne genus humanum. Vnde per similitudinem Dominica legitur subsequenti in Euangelio. *Luc. 8.* *Exijt, qui seminat.* Qui seminat, id est à quo disseminatum est omne genus humanum, exijt de arca; vt adimpleretur quod dictum est ei à Domino. *Crescite*, &c. Exijt itaque seminare semen suum. Sed cùm repleta esset terra suo semine, id est hominum multitudine, conuenerunt in terrã Sennaar, vt ædificarent turrem, cujus cacumen tangeret cœlos: alij quidem ad hoc inducti, *Genes. 11. Ædificatio turris Babel.* quia cor durum & lapideum habentes, nullum in Deum deuotionis habuerunt humorẽ. Hoc est semen, quod cecidit supra petram. Alij sola vanitate ducti, operi nefario consenserunt: vt de eis in posterum dici potest, quòd opus fecerunt, quod ante ipsum simile non habuit, nec posset habere post ipsos. Hoc est semen, quod cecidit secus viam. Alij verò cupiditate seducti, huic malę consenserunt voluntati. Quòd enim turris illa cacumine cælestes posset thesauros attingere, crediderunt. Hoc est semen, quod cecidit inter spinas. Vnde Dominus linguas eorum confudit. Lingua tamen Hebræa quę tunc omnibus communis erat, remansit in Phaleg; quia ipse fuit semen, quod cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Ab isto siquidem Phaleg disseminatum est genus Abrahæ patris nostri. Sed cùm nos esse filios Abrahæ fateamur, quare lingua, quæ remansit in filijs Abrahæ, Deum non laudamus; sed potiùs ea, qua propter offensam locuti sunt filij diffidentiæ? Vnde notandum est, quòd inter omnes linguas factæ sunt tres præcipuæ, Græca Latina, Hebræa. *Tres præcipuæ linguæ titulo crucis honoratæ. Ioann. 19.* Vnde Pilatus tribus istis linguis, quasi præcipuis, scripsit titulum super crucem. Græca verò lingua sonat in labijs, Hebręa in gutture, Latina in medio, scilicet in palato. Quoniam igitur Mediator Dei & hominum in vnitatem fidei Circumcisionem venit conjungere & præputium, Græcos videlicet & Iudęos; debuit Latina lingua fieri; quę sicut dictum est, inter Græcam & Hebræam media est. *Tertia ætas.* Tertia ætas ab Abraham incœpit, & terminata est in Moysen. Fuit autem ab Abraham prima credẽdi via; & ipse primus fide mundum illuminauit; quia vnum Deum primò prædicauit. Ante Abraham quippe vnusquisque Deum sibi vendicabat: & in hac mutabilitate & instabilitate eũ quærebat, qui stabilis manens dat cuncta moueri. Iste igitur mundum ab hoc errore primò liberauit, qui vnum Deum factorem omnium immobiliter in se manentem, sed cuncta mouẽtem, prædicauit: quem postea Moyses scriptis, verbis, miraculis, confirmauit. Hinc est, quòd *Luc. 18.* cæcus juxta viam mendicans in officio tertiæ Dominicæ proponitur in exemplũ. Quis enim cæcus ille, nisi genus humanum necdum fide illuminatum, est? Erat autem secus viam mẽdicans: quia in hac mutabilitate Deũ sibi vendicabat. Alius quippe lapidem, alius lignum, alius talpas, & hujusmodi Deum sibi faciebat. Sed sub ista generatione per Abraham atque Moysen primò cœpit illuminari: sed tandem per eũ qui finis legis est ad justitiam omni credenti, videlicet Iesum Christum, mundus adhuc fide cæcutiens, sed non cæcus, plenè illuminatus est. *Quarta ætas.* Quarta ætas à Moyse incepit, & terminata est in Dauid. Considera fortes in bello hujus generationis viros; & quod eo in tempore terra non cessauit à prælijs. Vide, quanta animi fortitudine populum Israël eduxit Moyses de Ægypto, & quanta passus est in deserto. Cui Iosuë successit, qui hostes suos viriliter expugnauit,

Post quos fuerunt Iudices Othoniel, Aod, Sãgar, Iephte, Manue, Samson. Omnes isti sine bellis numquam fuerunt. Tandem fuit sacerdos Heli, cujus tempore arca Dei capta est. Post ipsum verò Reges, Saül videlicet & Dauid. Nec isto in tempore terra quieuit à bellis. Istorum igitur omnium fortitudinem ideo nobis proponit sermo diuinus: vt eorũ exemplo nostris hostibus viriliter resistamus, qui numquam esse sine bello possumus in hoc mundo. Omnes enim qui in Christo piè viuere volunt, persecutionem patiuntur. Vnde ipse ait. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Pugnat siquidem incessanter contra nos mundus, pugnat caro, pugnat diabolus. Vnde Petrus. *Aduersarius vester diabolus*, &c. Non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Hinc est, quòd quarta Dominica de bellis istis verbo nos instruit, & exemplo. Verbo, vbi ait. *Per arma justitiæ*, &c. Exemplo, quando docet, quomodo Christus tentationibus suis malignum superauit. Et quis à tentationibus est securus, quando tentatus est ipse Christus? Vbi natat elephas, quomodo pertransibit agnus? Sed quis finis? *Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant illi.* Ita si diabolo viriliter resistamus, ministerium Angelorum adipisci merebimur. Quinta ætas incepit à Dauid, & terminata est in captiuitatem Babilonis, id est vsque ad tempus, quo filij Israël captiui ducti sunt in Babilonem; de qua, sicut legitur in Psalmo, dixerunt captiui. *Super flumina Babilonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.* Hinc est, quòd quinta Dominica vacat ab organo, non à prosa. Quidquid enim prosaïcè legitur, sicut Epistola & Euangelium, habet officium missæ: sed organa non habet; videlicet, Introitum, Graduale, Offerendam, & Postcommunionem: hæc enim omnia à præcedente quarta feria mutuò accipiuntur; in quibus captiuitatis liberationem implorat. *Reminiscere miserationum tuarum, Domine.* Sexta ætas incipiens à captiuitate Babilonica, terminata est in aduentu Christi. Ipse est enim Verbũ Patris, qui rumpere desperationis silentium venit, de quo scriptum est. *Dum medium silentium tenerent omnia*, &c. *omnipotens sermo tuus à Regalibus sedibus venit.* Primum siquidem silentium ignorantiæ fuit. Nam propter hoc homines à clamore cessabant; quia ad quem clamarent, ignorabant. Secundum desperationis, quia voce Prophetarum finita ducebantur homines in desperationem: eo quòd eorum promissio differretur. Tertium in requie erit; vbi non erit gemitus, neque clamor, sed nec vllus dolor. Cùm igitur medium silentium tenerent omnia, venit in mundum Verbum Patris aperire ora mutorum, rumpere desperationis silentium, & disertas facere linguas infantium. Vnde & in sexta Dominica legitur in Euangelio. *Erat Iesus ejiciens dæmonium; & illud erat mutum. Et cùm ejecisset dæmonium, locutus est mutus.* Et quia ipse Dominus venit alligare fortem, & distribuere vasa ejus: ideò sequitur in Euangelio. *Cùm fortis armatus*, &c. Vnde pro hujusmodi beneficijs in fine Euangelij extulit vocem suam quædam mulier de turba, dicens. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Septima ætas quæ incipit ab aduentu Christi, terminabitur in gaudio requiei, id est

*Matt. 10.*
*1. Petri 5.*
*2. Cori. 6.*
*Nemo à tẽtatione securus esse potest.*
*Matt. 4.*
*Psalm. 136.*
*Psalm. 24.*
*Sapien. 18.*
*Quodnam silentium dicatur mediũ*
*Luc. 11.*

in Sabbatismo, qui relictus est populo Dei, quando ciues suos recipiet cœlestis illa Ierusalem. Vnde & in septima Dominica filij Sion tale cum omni fiducia gaudium expectantes exultant, & dicunt. *Lætare Ierusalem.* Bene igitur sexta die, id est sexta ætate, in qua Christus venit, obtulit princeps filiorum Gad, &c. Sed quid nobis & principi: cùm Scriptura dicat, *Nolite confidere in Principibus?* Vnde Dominus in Psalmo. *Principes persecuti sunt me gratis.* Et iterum. *Astiterunt reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum ejus.* Sed notandum, quòd hoc nomẽ *Princeps*, quatuor modis accipitur. Potest enim dici princeps à principio: eo quòd principium teneat dignitate & loco. Dicitur etiam à præcipio, quod tam malis, quàm bonis conuenit. Nam mali principes plerumque bonis discipulis solent præcipere. Dicitur etiam princeps, quasi præcipuus: quia præcipuus debeat inter discipulos esse. Potest etiam dici princeps à præcipitio. Vnde diabolus dictus est princeps hujus mundi, quia præcipitat in abyssum. Apostoli verò principes dicti sunt: quia inter alios præcipui fuerunt. Vnde Propheta. *Constitues eos principes super omnem terram.* Principes verò, qui dicti sunt à præcipio, illi sunt, qui sedebant pro tribunali, vt de morte Martyrum præciperent. Christus verò, qui dicitur princeps à principio, Princeps Regum terræ est; qui de seipso dicit. *Ego principium, qui & loquor vobis.* Princeps igitur est, & maximè filiorum Gad. Cùm autem filius vel generatione dicatur, vel imitatione; hic pro imitatione accipitur. Ipse igitur princeps est filiorum Gad. Gad accinctus interpretatur. Accincti ergo sunt, qui vel præcinctos lumbos habent, vel succinctos. Præcinctos lumbos habent virgines, succinctos post voluptatem continentes. Christus in cœna linteo præcinxit se, virgo enim fuit. Petrus tunica succinxit se; quia post matrimonium continens fuit. Siue ergo præcincti, siue succincti; omnes accincti. Omnis enim qui in agone contendit, accinctus est. *Non glorietur*, ait Scriptura, accinctus æquè vt discinctus. Talium princeps est Eliphas. Eliphas Dei mei specula interpretatur. Est autem specula contemplationis, de qua dicit Isaïas ad Baltassar. *Pone tibi mensam, & contemplare in specula.* Est & prælationis, de qua Ezechieli dicitur. *Speculatorem dedi te domui Israël.* Est & circumspectionis; vnde dicit Dominus Ieremiæ. *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines.* Ponitur etiam, pro custodia: vnde Isaïas. *Pone speculatorem: & quæcumq; videris, annuntia.* Est igitur Christus speculator; qui nisi custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Vnde Samaritanus dicitur, id est custos. Propter hoc etiam in Daniele vigil vocatur. Caro igitur à Verbo assumpta, quasi specula fuit: quia Deus per fenestras hujus speculæ misericorditer mũdum respexit. Quia verò per ipsum plenam de Patre notitiã habuimus, bene filius Duel dicitur. Duel enim interpretatur notitia Dei. Quia igitur quæcumque audiuit à Patre nota fecit nobis, rectè dicitur filius Duel. *Princeps ergo filiorum Gad Eliphas filius Duel obtulit acetabulum.* Nulla fuit in eo necessitas, sed sola voluntas. Sola voluntate, non necessitate, nobis hoc beneficium contulit. Inde dicitur, *obtulit*, ne coactus ob-

*Psalm. 145.*
*Psal. 118. & 2.*
*Psalm. 44.*
*Ioann. 8.*
*Qui præcincti, qui succincti.*
*3. Reg. 20.*
*Isai. 21.*
*Ezech. 3.*
*Ierem. 31.*
*Isai. 22.*
*Num. 7.*

Num. 7. tulisse videatur. *Obtulit acetabulum.* Acetabulum dicitur vas, in quo ponitur acetum. Acetabulū inter vasa templi fuisse legi; sed ad quid ibi fuerit, me legisse non memini. Sed quoniam in passione Domino Iesu Christo propinatum fuit acetum, de quo scriptum est, *Et cùm accepisset acetum, dixit, consummatum est*; bene corpus ejus acetabulum, id est vas aceti receptaculum fuit. *Obtulit* ergo non vacuum, sed *plenum simila.* Acetabulum ergo plenum simila obtulit; quia ejus conscientia sine furfure malitiæ & nequitiæ fuit. De tali quippe simila fiunt azyma sinceritatis & veritatis. *Pascha,* igitur, *nostrum immolatus est Christus.* In istis azymis, hoc est, sine furfure malitiæ & nequitiæ, sed in azymis de simila sinceritatis & veritatis, obtulit sacrificium. Sacrificium dicitur, quasi sacrum faciens. Verè nec fides vera, nec vita sancta, nec charitatis opus sanctos nos facere potuissent; nisi plenum simila hoc acetabulum Dominus obtulisset. Sed quia ipse patiendo de vita transiuit ad mortem; resurgens verò de morte ad vitam: ideo nos & si compatimur, & conregnabimus. Si mortis per patientiam imitatores fuerimus: simul & resurrectionis erimus. Sicut enim in Christo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Moriamur igitur, & vita nostra abscondita sit in Christo: vt cùm apparuerit vita nostra, tunc & nos appareamus cum ipso in gloria; ipso duce & præuio, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & gloriatur per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Ioan. 19.

1. Corin. 5.

*Nulla nostra actio nos iustificare valuit sine Passione Christi.*

## Sermo. In Ascensione Domini.

Cantic. 2.



QVis *est iste saliens in montibus, & transiliens colles?* Nonne iste est filius saltus, quem pridie contemnebat Achis, quando saltabat, quando tympanizabat, quando impingebat in ostia portæ? Nonne ipse filius saltus, quem deridebat Michol filia Saül, quando ludebat & denudabat se coram arca Dei? Ipse est enim Adeodatus tenerrimus ligni vermiculus Bethleemites, polymitarius, manu fortis, vultu desiderabilis, speciosus forma præ filijs hominum, & formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Dicitur itaque filius saltus: quia de sinu Patris in vterum Virginis, de quo in mundum, de quo in patibulum, de quo in sepulchrum, de quo etiam in infernum saltus dedit, & concurrit, vt ad brauium perueniret. Scriptum quippe est. *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium.* Quis vnus? De quo scriptum est. *Non est, qui faciat bonum; non est vsque ad vnum.* Cùm enim alij cucurrissent viam mandatorum Dei, sicut Abraham obediens Deo, & reputatum est ei ad justitiam: alij per viam justificationum, sicut Noë justus; alij per viam veritatis, sicut Moyses inductus in omnem veritatem; nec tamen ad brauium peruenissent: iste compendiosiorem & excellentiorem viam charitatis incedens, attigit à fine vsque ad finem fortiter, & cucurrit velociter. Scriptum quippe est. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Ergo solus descendit, sed totus ascendit. Vnde cùm Iudæi statuerent eum in supercilio montis, vbi ciuitas eorum erat posita, vt præcipitarent eum, dedit ei rupes latibulum, qui vsque hodie dicitur saltus

2. Reg. 21.

1. Cori. 9.

Psalm. 13.

*Solus Christus brauiū attigit.*

Ioann. 3.

Luc. 4.

Domini. Sed sicut dictum est, in saltibus supradictis deridebat eum Achis, & Michol: quia scriptum est. *Prædicamus Iesum Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* In Achis quippe Gentilitas, in Michol Circumcisio figuratur. Quis enim Gentilis Deum in vtero Virginis crederet coarctari? Quis esurientem, sitientē, labore fessum, quasi tympanizantem non erubesceret? Quis tandē impingentem in ostia portæ crederet, cùm ad Patrem clamaret, *Eli, Eli, Lammasabactani?* Et item, *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste?* In his omnibus fides nostra stultitia Gentilitati videtur. Sed & ipsa Michol ludentem deridet: quia nisi ludo vanitatis ludere nesciebat, de qua scriptum est. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Nesciebat, nisi ludum iniquitatis, quo pueri Abner cum pueris Ioab ludebant; quo filius ancillæ cum filio liberæ. Neque enim cogitabat, quòd sapientia Dei Patris, quæ erat ludens cum eo in principio primæ creationis per humilitatem etiam venit ludere in fine nostræ recreationis. Vnde scriptum est. *Ludam, & vilior fiam.* Similiter denudatus est pro nobis coram Ioanne in Iordane, vt vim regenerationis aquis tribueret: per quem exuti veteri homine, novum hominem induerent, qui secundùm Deum creatus est. Secundò denudatus est ab homine, qui pellis gloria interpretatur: vt sic gloriam carnis deponens, tunicam Adæ pelliceam, & perizomata ficus deposita demonstraret. Tertiò denudatus est à militibus, quando partiti sunt vestimenta ejus; vt nimiam dilectionem qua dilexit nos, nobis pleniùs insinuaret. Quartò resurgens denudatus est, quando sudaria sua deposuit, vt sic ad cœlestes saltus se præpararet. Bethleemites factus, & polymitarius, qui in primis saltibus factus erat Adeodatus, & tenerrimus ligni vermiculus: in omnibus & per omnia filius saltus. Descendens quippe à superioribus, Adeo-datus nobis à Deo perhibetur. *Puer,* inquit, *natus est nobis, & filius datus est nobis.* Qui tenerrimus ligni vermiculus dicitur; quia de se ipse ait. *Ego sum vermis, & non homo.* Qui tamquam vermiculus absconditus in ligno fortitudinem suam in ligno crucis operuit. Scriptum est enim. *Cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus.* Qui propter hoc tenerrimus appellatur; qui Syrophenissæ tactum sentiens, ait. *Quis me tetigit? Tetigit me aliquis.* Verè tenerrimus, qui Mariæ Magdalenæ compatiens, eo quòd nondum Spiritum sanctum ad robur acceperat, ait. *Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Ac si diceret, noli me tangere, id est noli me imitari: quia nondum ad Patrem meum, qui Spiritū ad robur missurus est, per quem crucem tuam bajulare poteris, & tangere me, id est imitari, ascēdi. Verè tenerrimus, quia vulgò dulcissimus tenerrimus vocatur. Vis audire signanter, quis vermiculus? Ipse est Thamir, cujus sanguine strutio vitrum fregit, vt fracto vitro fœtum gaudens reciperet. Ipse est Thamir, cujus sanguine duritiam lapidum Salomon secari docuit & poliri. Quanta enim duritia est hominis, cùm sanguinis hujus memoria non emollitur? Quis passionis memoriam ruminans, hostes spirituales non vincit? In mandibula quippe asini Samson noster hostes superauit. Asinus fuit, qui

1. Corin. 1.

*Ethnici & Iudæi fidei mysteria deridont.*

Matth. 27.

Exod. 32.

2. Reg. 6.

*Quoties Christus nudatus sit.*

Isai. 9.

Psalm. 28.

Habac. 3.

Marc. 5.

Ioan. 20.

crucem in humeris portauit; qui onera peccatorum nostrorum sustinuit. Cujus mandibula, passionis memoria; quæ non solùm hostes deuincit; sed etiam omnes voluntates nostras in omnem veritatem inducit. Hinc enim Saüli Samuel ait. *Cùm abieris à me hodie, inuenies duos viros juxta sepulchrum Rachel, salientes magnas foueas, dicentesque; Inuenta sunt asinæ.* Qui sunt isti duo viri? Primus Adam cum corpore, secundus Adam cum corpore suo. Primus qui de terra est, terrenus est: secundus de cęlo, cęlestis. Prima autem fouea est profundum culpæ: secunda abyssus pœnæ. De prima legitur. *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque vrgeat super me puteus os suū.* De secunda. *Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit.* Primus Adam saltum fecit in foueam culpæ; secundus in foueā pœnæ. Saliunt ergo duo viri magnas foueas juxta sepulchum Rachel: videlicet cùm charitate refrigescente, & abundante iniquitate, ejus speciem fallacia mentiretur, & innocentia sepeliretur. Isti duo viri asinas Cis inuenerunt: quia cordis humani duritiam in charitatis dulcedinem mutauerunt. Cis etenim durus interpretatur. Cujus asina quasi quædam cordis pigritia est, quia similitudinem asinæ habet cor humanum; quod numquam, nisi coactum, benefacit: & solutum à vinculo subjectionis ludens insanit, vix bene cogitat, nisi pungatur timoris aculeo. Quòd si timorem perdiderit, quasi lasciuiens per cogitationes insanit. Propter hoc scriptum est. *Animum rege, qui nisi paret, Imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catenis.* Sunt enim aliqui, qui voluntatem suam voluntati Dei supponunt, & quasi asinæ Christum voluntati suæ superponentes, Ierusalem visere intendunt. Imitantur igitur illum, qui dixit. *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu.* Hæc asina chamo regitur, non calcaribus vrgetur. Sunt alij, qui asinæ suæ Balaam superponunt: quia rapaces & cupidi voluntates suas, non solùm ad maledicendum populum Dei, sed etiam ad malefaciendum ei, voluntates suas supponunt. Hæc asina calcaribus vrgetur, non fræno seu chamo regitur. Sunt alij, qui benefaciendi voluntatē habent, sed pusillanimes bonū quod appetunt, aggredi metuunt. Vnde dicere possunt. *Concupiuit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Hi asinam suam Axæ filiæ Caleb supponunt: quæ suspirans ob terram sterilem, irriguum superius, & irriguū inferius, à patre requirebat. Quærebat eas in Salisa; si fortè Axæ ibi asinam inueniret: quæsiuit & in Salim, vbi fortè asina Balaam potuit inueniri: quæsiuit & in Suph, qui locus est aptissimus ad asinam Christi inueniendam. Suph quippe speculatio interpretatur. Et quid speculatio, nisi contemplatio? Per contemplationē enim voluntas hominis supponitur Christo. Quæritur ergo asina in Suph, sed non inuenitur. Aliter enim intuemur per speculum, & in ænigmate; aliter facie ad faciem. Sine idolis nō recedit Rachel à Laban. Rachel contemplatiuam vitam designat, Laban mundum, idolum imaginationem. Vix enim animus ad contemplationem ascendit, sine mundi imaginationibus: sed cùm scrutatur animum, quid ait? Secundùm consuetudinem mulierū mihi accidit.

1. Reg. 10.

Fouea, in quas cecidit Adam.

Psal. 68.

Psalm. 7.

Cor humanum asinæ similitudinem habet.

Matt. 26.

Psalm. 118.

Indic. 1.

Ac si diceret: nihil verum, sed totum fragile & imaginarium est, quidquid de Deo animus cōprehendit. Hinc est, quòd Elias in ostio papilionis sui primò cùm spiritum subvertentem montes, & conterentem petras conspiceret, secundò commotionem, tertiò ignem, in nullo horum Dominum esse cognouit; quia non veritatem imaginis, sed veritatis imaginem esse cognouit: sed tandem in sibilo auræ tenuis esse perpendit: quia nulla imaginatio sibilum illum fuit subsecuta. Quantò enim mens deficit in contemplatione, fide proficit: quia de Deo omnes negationes veræ sunt, affirmationes incompactæ. Nec enim de Deo scire possum, quid est: sed scire possum, quid non est. Quæritur enim in Suph asina, & non inuenitur: id est quæritur in contemplatione mens Deo subjecta, & minimè reperitur. Asina verò Balaam quærenda est in Salim, quæ vulpes interpretatur. Est enim vulpes animal dolosum & malitiosum. Quicumque enim voluntatem suam auaritiæ subjicit; dolo & malitia augere pecuniam quærit: sed eam non inuenit; quia Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Asina enim Axæ filiæ Caleb quærenda est in Salisa. Salisa quippe tertia vel triēnalis interpretatur. Qui enim voluntatem Deo subijcere satagit, cùm pusillanimitas vel torpor à proposito mētem elidit, necesse est, vt ad illum semper mentis oculos erigat, de quo scriptum est. *Viuificabit nos post duos dies; in die tertia suscitabit nos.* Cùm enim animus ad deuotionem suscitatur, suscitatur Deus in animo, sicut scriptum est. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Vel quia triennalis interpretatur, quæritur in Salisa; quando per verbum, quod à prædicatoribus seminatur in corde, vel per cogitationem nascitur sponte, Deus in animo per cogitationem quæritur, sed tamen non inuenitur: quia Deus in hac vita, sicut dictum est, cogitatione non comprehenditur. Veniendum est igitur ad salientes foueas. Sic enim Samuel ait. *Invenies juxta sepulchrum Rachel duos viros salientes magnas foueas.*

3. Reg. 19.

Quid de Deo cognoscamus.

Ose. 6.

Psal. 63.

DESVNT RELIQVA.

*In die Sancto Pentecostes.* SERMO

ET vidi in medio septem candelabrorum, quasi filium hominis. Qui vult in Christo manere, debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. Ait enim. *Qui mihi ministrat me sequatur.* Qui ergo eum non sequitur, non ei ministrat. Sed quomodo eum qui lucem habitat inaccessibilem sequi potest, qui in tenebris est, & nescit quo vadat? Condensę quippe sunt tenebræ, quæ sunt super faciem abyssi, id est mūdi: de quo Sapientia ait. *Abyssus dicit, non est in me.* Hæc est abyssus miseriæ: quam invocat abyssus misericordiæ. Inuocat, id est ad se vocat: vt vnū sit in ipsa. Intus vocat, quia per infusionem gratiæ vocat in voce cataractarum suarū: id est per vocem & prædicationem Apostolorū suorum, qui tamquam cataractæ cœli doctrinę pluvias effuderunt. Necdum tamen recessit nubes caliginis, vmbra mortis, cæcitas originalis culpæ vel actualis. Nam lauacrum regenerationis, etsi originalis pituitæ lauit sordes reatus: non tamen tersit albuginem actus. Remota

Apocal. 1.

Ioann. 12.

Iob 28.

quippe est per baptismum reatus molestia: sed non concupiscentia. Hæc igitur cæcitas in caligine cæci nati meritò figuratur: quia sermo divinus illos, qui non sunt renati per baptismum, ideo canes vocat: quia naturaliter ceci nascuntur, nec parentes agnoscunt. Actualis verò culpa perseverat quandoque reatu & non actu: quandoque reatu pariter & actu. Reatu & non actu; quia quamvis plerumque cesset actus, nō tamen reatus. Plerumque verò caligat mentis oculus, actu pariter & reatu. Et hæc passio solet accidere diuersis de causis: quandoq; per ignorantiam; quandoque per incuriam mentis malè custoditæ; quandoque per obstinatam malitiæ voluntatem; aliquando cupiditate temporaliū; nonnumquam verò voluptate carnis: multociens ex contemptu salutis. Persecutus est Paulus Ecclesiam Dei; sed per prędicationem Ananiæ ceciderūt ab oculis ejus tamquam squamę; & visu recepto misericordiam Dei consecutus est, quia in ignorantia fecit. Captivus & vinctus ductus est Sedechias à Rege Babilonis: qui cùm coram ipso filios occidisset, excęcauit eum; & hausto potu laxatiuo vitam finivit. Sic per incuriam mentis diabolus rex confusionis multociens peccatorum funibus ita mentem trahit, vt ea sciente & intelligente, per violentam tentationem virtutes occidat. Post hæc ita rationis oculos excæcat, vt captivus sponte captivantem sequatur: nec liber dimitti vellet, etiā si diabolus ipse manum retraheret. Tandem laxativū potum recipit, quia in mentem traijcit omnis dissimulationis fluxum: vt quicquid in mentem, tamquam in ventrem, venerit, foras eijciat, & ad omnem peccati fœtorem laxetur. Sed & Moyses cùm coram Pharaone multa signa fecisset, nec recipere vellet Pharao disciplinam, vt juxta Dei mandatum, populum suum dimitteret; factæ sunt tenebræ super terram Ægypti, tam densæ, vt palpari possent. Signum fuit hoc obstinationis eorum. Verè siquidem excæcari meruerunt, & cæcati sunt: qui contra tot & tanta signa pertinaces fuerunt. Tobias quoque calido stercore hirundinis legitur excæcatus. Hirundines sunt viri sancti, qui contemplationis volatu vitam acquirunt: quorum stercora temporalia sunt, quę, vt Christum lucri faciant, arbitrantur vt stercora. Hoc hirundinis stercus calidum Tobiæ oculos excæcauit; cùm feruenti temporalium cupiditate tactus, filium suum apud Rages ciuitatem Medorum peregrinari misit. Vnde mater dicebat. *Vtinam numquam fuisset pecunia*, &c. Samson verò, qui priùs nervicis funibus teneri non potuit, postea voluptate carnis adeo fuit enervatus, vt à muliercula tentus, excæcaretur. Sanguis etiam ille, qui peccatorum stolas lauat, genas ornat, qui coccino nivis, vermiculo lanę reddit candorem: cùm in effusione sua petras scinderet, terram moveret, monumenta aperiret, cælestia concuteret elementa: factus est niger, quasi saccus cilicinus: quia Solis justitię rumpebatur saccus. Occultabat Sol visibilis illuminatum splendorem: quia sol justitiæ abscondebat illuminatorem. Filij siquidem hominum diligentes vanitatem, & quærentes mendacium, à veritate alieni, mentiti sunt filio Dei; dum lacum mortis aperientes & effodientes, ceciderunt in foveam quam fecerunt. Volentes siquidem vitam perdere, vitam perdiderunt: volentes lucem extinguere, cæci facti sunt. Propter hoc ergò tenebræ factæ sunt; quia veritatis lucem, & in luce veritatis esse, contempserunt: vt scriptum est. *Filios enutriui & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me.* Ecce tot causis hæc abyssus miseriæ caligatur. Propter hoc præcepit legislator, imò Dominus per legislatorem, vt accenderentur in tabernaculo Dei septem lucernæ, quæ super septem calamos vnius candelabri ponerentur. *Facies*, inquit Dominus, *candelabrum ductile de auro purissimo: hastile ejus, & calamos Cyphos & spærulas. Sex calami egredientur de lateribus; tres hinc, & tres inde.* Quid enim in candelabro, nisi vniversalis Ecclesia figuratur: cujus vniversitas per septenarium calamorum exprimitur? Nam quod lex per septem calamos, Ioannes per septem candelabra præfigurat. Ait enim. *Et conuersus vidi septem candelabra aurea.* Et paulò pòst. *Septem candelabra, septem Ecclesiæ sunt.* Quas tamen nominatim sub septem Ecclesijs quæ sunt in Asia, prosequitur: scilicet Ephęso, Pergamo, Thyatiræ, Smyrnæ, Philadelphiæ, Laodiciæ, Sardis. Vna siquidem est vniversalis Ecclesia, sed multæ particulares: cujus caput est aurum optimum. Caput siquidem Ecclesiæ Christus; qui aurum purissimum dicitur, eo quod ipse est sapientia Patris; qui naturam nostram sine culpa suscepit. Quod ductile fuit: quia tam in capite, quàm in membris suis, id est in Martyribus per passionū contumelias, in Confessoribus per tentationū angustias, ad immortalitatem profecit. Habebat autem candelabrum spatulas, Cyphos, & Lilia. Scyphos in prædicatoribus; quoniam ipsorum est, vino vel germinante virgines, vel lætificante cor hominis, corda fidelium debriare: sphærulas in contemplatiuis, Lilia in mundis & incoinquinatis. Quia verò Scyphi in modū nucis fuisse dicūtur, aliquid ad nucis similitudinem habere tenentur, qui verbo & exemplo alijs præesse videntur. Habent enim in exteriori testa, quod frangi debet per abstinentiam: habent extrà corticis amaritudinem, quæ tolerari debet per patientiam: habent & nuclei dulcedinem, spem salutis: quę dulcorat animum per deuotionem. Quòd autem tres Scyphi, vel tres Sphærulæ, vel tria Lilia per singulos calamos fuisse perhibentur: hoc figurat, quòd prædicatores, qui verbo & exemplo alios inebriant, hujus esse debent discretionis, vt sciant discernere, quæ quibus debeant prædicare. Sunt enim aliqui, qui solo textu historiæ sunt contenti: alij in fide per allegoriam imbuendi: alij verò moribus per tropologiam ædificandi. Ergo spiritualibus spiritualia, carnalibus carnalia sunt comparanda. Sphærulæ quoque ad hoc tribus locis ponuntur in calamis, vt sciant contemplativi, quæ secundùm rationem, quæ præter rationem, & non contra rationem; quæ præter ratiōnē & contra rationem, consideranda sunt. Secundùm enim rationem dicūtur, quæ simpliciter possibilia sunt: præter rationem & non contra rationem, quæ dicuntur possibilia Deo; præter rationem, & contra rationem impossibilia. Nam sicut possibilium, sic impossibilium tria sunt genera. Est enim possibile secundùm inferiores causas, & cursum naturæ; vt cùm nascitur homo de homine, bos de bone. Et est possibile secundùm consuetudinem, & causas superiores; vt animas infundi corporibus. Et

*Cæcitas canum quid significet.*

*Actor. 9.*

*4. Reg. 25.*

*Vt peccatores in profundum ruant.*

*Exod. 10.*

*Tobiæ 2.*

*Tobiæ 5.*

*Isai. 1.*

*Exod. 25.*

*Candelabro designatur Ecclesia.*

*Apocal. 1.*

*Quæ secundùm, quæ præter, vel contra rationem sint possibilia.*

est possibile secundùm causas superiores, & per gratiam, non secundùm naturam vel consuetudinem; vt primam gratiam infundi, & hominem sine meritis à peccato purgari: quod non dicitur simpliciter possibile, sed possibile Deo. Similiter impossibilium est aliquod præter rationẽ, sed non contra rationẽ: vt quædam, quibus fit regressus à privatione ad habitũ vt sanitas ægro, illuminatio reddita cæco. Aliud præter naturam, & contra naturam; cui circa impotentiam naturæ divina gratia non supplet; vt truncum fieri vitulum. Aliud contra naturã; circa quod impossibile naturæ, diuina suppleuit authoritas: vt virginem peperisse, Lazarum suscitari, & hujusmodi. Similiter & Lilia tribus locis erant in calamis: quia munditiæ candor non solùm attenditur circa virginalem integritatem, vel continentiam vidualem, sed etiam circa pudicitiam conjugalem. Quòd in illo calamo, qui medium locum tenebat quatuor locis, hęc omnia continebantur: designatur, quòd ille qui caput est Ecclesiæ, Mediator Dei & hominum, hæc omnia supra mensuram aliorum habuit: cui data est gratiæ plenitudo, vltra omnium mortalium mensuram. Hoc enim quaternarij quadratura significat. Super istos septẽ calamos, vt illuminaretur Ecclesia Dei, præcepit Moyses septem lucernas accendi: quarum prima est verbum Dei: lucerna, quam tenebræ comprehendere non potuerunt: de qua dictũ est. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Lucerna quippe dicitur, lux in testa: lux autem in testa, Deus in carne. Ipsum ergo Verbum Dei est lumen verum: lumen ad revelationem Gentiũ, & gloriam plebis Israël. Est & sermo Propheticus lucerna, quæ Ecclesiam illuminat: de qua dicit Petrus. *Habetis Propheticum sermonem: cui vos intendentes, tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, benefacitis.* Et dicitur lucerna, spiritalis intellectus sub testa literæ. Sunt etiam exempla Sanctorum, quę diuersis modis Ecclesiam illuminant. Vnde Dominus discipulis ait. *Vos estis lux mundi.* Et alibi. *Sic luceat lux vestra coram hominibus; vt glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Hinc est, quòd Ioannes, quo inter natos mulierum nemo major surrexit, dictus est lucerna ardens & lucens. Prædicatio quoque veritatis Ecclesiam Dei illuminat: quia ipsa lucerna est, quam mulier sapiens accendit, vt dragmam perditam inveniret. Dragma perdita subtractio gratiæ spiritualis est: lucerna accensa prædicatio veritatis. Per prædicationem quippe veritatis datur non habita, & inuenitur perdita gratia spiritualis: illuminatur etiam oculus rationis, de quo dictum est. *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Vnde & æthereo cœlo, in quo sunt luminaria, ratio comparatur. Sunt quoque sanctorum miracula, quæ mentes fidelium illuminant: tunc maximè, cùm carnis mortificatio, & fidei sancta confessio, miracula comitantur. Hæ siquidem sunt lampades Gedeonis, quæ apparuerunt in confractione lagenarum, & clangore tubarum. Clangor tubæ manifesta veritatis confessio: confractio lagenæ carnis mortificatio: manifestatio lampadarum coruscatio miraculorum. Et quis ejus exemplo non illuminetur: qui carnẽ mortificat, spiritum roborat, miraculis coruscat? Super omnia tamen, & ante omnia peccatorũ oculos debet aperire, totiúsque negligentiæ tollere cæcitatem, Iudicis sapientia, futurique judicij severitas; quæ nec falletur, nec falli volet, aut poterit, cùm scrutabitur Ierusalẽ in lucernis. Has autem lucernas accendere debent & supponere candelabris Angeli septem Ecclesiarum: quæ vel in candelabris, vel in calamis, vt dictum est, figurãtur. Septem autem Angelos, septem Ecclesiarum prælatos intelligo, qui secundum septem ordinum gradus, Ecclesiæ gubernandæ statuti sunt. Quia enim Ephesus voluntas siue consilium interpretatur, in Angelo Ephesi divinæ voluntatis, siue consilij divini nuntius figuratur, id est ordo Lectorum: qui ad hoc ordinantur in Ecclesia, vt legendo & legem manifestando, nobis aperiant consiliũ & voluntatem divinam. Vnde dicitur eis, cùm ordinantur. *Accipite & estote verbi Dei relatores; habituri, si fideliter & vtiliter impleueritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei ministrauerunt.* In Angelo Pergami, ordo figuratur Exorcistarum. Pergamus enim dissipans cornua interpretatur. Recipiunt enim, cùm ordinantur, potestatem dissipandi cornua peccatorum; de quibus dictum est. *Et omnia cornua peccatorum confringam.* Vnde cùm ordinantur, traditur eis exorcismus, & dicitur. *Accipite & commendate memoriæ, & habetote potestatem imponendi manus super energumenos, siue baptizatos, siue Catechumenos.* Per Angelũ verò Thyatiræ, Acolitorum ordo figuratur: qui primò illuminati, alios illuminare tenentur. Vnde & ceroferarij dicũtur: Thyatira verò illuminata interpretatur. Nam cùm isti ordinantur, dicitur eis. *Accipite ceroferarium cum cereo, vt sciatis vos ad accendenda luminaria Ecclesiæ mancipari.* Subdiaconi, qui & Natinęi dicti sũt, ab illo Nathanaële, de quo scriptum est, *Ecce verè Israëlita in quo dolus non est,* in Angelo Laodiciæ figurantur: eo quod Laodicia, tribus amabilis Domini interpretatur. Et verè amabilis Domini Nathinæus, & sine dolo: si fideliter impleverit, quod ei ab Episcopo injungitur, cùm dicitur. *Videte, cujusmodi ministerium vobis traditur: & ideo si vsque nunc tardi fuistis ad Ecclesiam, à modo debetis esse assidui,* &c. & tandem in fine. *Ideo vos admoneo, vt vos ita exhibeatis, vt Deo placere possitis.* Ac si dicat Episcopus. Ideo vos admoneo, vt ita vos exhibeatis, vt Angeli Laodiciæ sitis. Quia verò diaconorũ officicum est, pronuntiare in Ecclesia Evangelium Dei: bene per Angelum Smyrnæ eorum ordo figuratur: quia Smyrna canticum interpretatur. Nam cùm multa cantica legamus; illud tamen singulariter canticum debet dici, per quod sponsam suam, cœlestis sponsus osculatus est osculo oris sui. Sacerdotes verò, qui ad hoc ordinantur, vt sint animarum medici spirituales; quoniam illos qui Domino volunt adhærere, curare tenentur spiritualibus antidotis: alios per dulcem exhortationis potum, alios per amaram pœnitentiæ potionem: meritò Sacerdotij gradus per Angelum Philadelphiæ figuratur: quæ Philadelphia salvans hærentem Domino, interpretatur. In istis igitur sex gradibus, officij, non dignitatis ordo attenditur: in septimo officium pariter & dignitas commendatur. Hic est ordo Pontificum, qui loco Apostolorum constituti sunt principes super omnẽ terram: id est super vniversalem Ecclesiã. Vnde & eorum ordo, bene per Angelum Sardis desi-

*Tribus lilijs triplex continentia designatur.*

*Psal. 118.*

*2. Petri 1.*

*Matt. 5.*
*Ibidem.*
*Ioan. 5.*

*Multa sũt, quæ spiritualiter lucernæ dici possunt.*

*Verba quibus ordinitur Lectores.*

*Psalm. 74.*
*Exorcistæ.*

*Acolythi.*

*Subdiaconi.*

*Diaconi.*

*Sacerdotes animarum medici.*

*Episcopi*

gnatur: qui Sardis Princeps interpretatur. Illi sunt Angeli, qui tubis, quas habebant in manibus, cecinisse feruntur. Tubas autem habere in manibus, est prædicationis verbum magis operis exemplo, quàm doctrinæ verbo demonstrare: ne de illis sint, qui dicunt & non faciunt: sed sicut scriptum est. *Verbum, quod factum est in manu Aggæi Prophetæ.*

*Aggæi. 1.*

Verbum quippe Dei in manu Aggæi fuit, qui mandatum Dei opere complevit. Canit autem tubis, qui ea, quæ cōplet opere, prædicat ore; sicut scriptum est. *Fili bibe aquam de cisterna tua: & fontes putei tui diriventur foras.*

*Prouer. 5.*

*Tuba prædicationem designat.*

Et bene per tubam prædicatio figuratur: quia sicut in bellis tubę sonus hostes cogit ad fugam, amicos hortatur ad pugnam, hostes quidem timidos, sed fideles reddit animosos: ita prædicatio verbi Dei & terrere peccatores comminationibus debet, & benevolos promissionibus exhortari. Et sicut tuba in ore solet esse larga, largior in manu, vltra manum verò largissima: ita & prædicatio clara debet esse verbo, clarior opere, affectu verò debet esse clarissima ante Deum. Quia verò prædicatio fulciri debet, vel per manifestas rationes, vel per testimonia Scripturarum; aliter enim ea facilitate deberet respui, qua proferri, debent Angeli diuersis tubis canere, secundùm diversas rationes, vel diuersas authoritates scripturarum. Est enim tuba corticea vox ænigmatica Prophetarum: tuba decorticata patens veritas Evangelistarum: tuba cornea prædicatio Doctorum; tuba carnea prædicatio facta per Filiū incarnatum: vt scriptum est. *Multipharię multisque modis, olim loquens Deus Patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in filio.*

*Diuersæ tubæ quid significent.*

*Hebr. 1.*

Tuba aurea, vox ipsius patris, qui ait. *Hic est filius meus,* &c. Et iterum. *Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Tuba verò argentea vox Angelorū.

*Matt. 3.*
*Ioann. 12.*

Tuba verò ærea, quàm vocat Apostolus nouissimam, designat: quæ ideo ærea dicitur: quia inflexibilis erit, & irrevocabilis diffinitiua sententia, qua dicetur, vel bonis, *Venite benedicti,* vel malis, *Ite maledicti.*

*Matt. 25.*

Propterea multæ prædicatorum voces Spiritum sanctum attrahunt per deuotionem, & os aperiunt in prædicatione. Vnde Psalmista. *Os meum aperui & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.*

*Psalm. 118.*

Attrahit quippe prædicator oratione, devotione, bonis meritis, quandoque spiritum timoris: & os suum aperit ad vocem judiciorum Dei, quæ fiet super aquas: id est super illos, qui more fluentis aquæ defluūt ad præcipitia voluptatis.

*Prædicatores attrahunt spiritum timoris. &c.*

Quādoque attrahit sibi spiritum pietatis; & os suū aperit ad vocem exercitationum: & hoc in virtute, id est per virtutem miraculorum: ne desperent, quos per timorem judiciorum increpauerat: cùm non sit illius manus abbreviata, qui Lazarum suscitauit, & Petrum lachrymantem respexit. Plerumque verò attrahit sibi spiritum scientiæ; & os suum aperit ad vocem mādatorum: & hoc in magnificentia; quia docet quomodo magnificè sciamus secundùm Dei mandata conservari rectè, in medio nationis hujus pravæ & perversæ. Multotiens attrahit sibi spiritum fortitudinis; & os suum aperit ad vocem comminationū, quæ confringit cedros, nec simpliciter cedros, sed cedros Libani. Prædicat enim audacter illius comminationes, qui destruet spiritu oris sui, vel illos, qui cùm venerint in profundū malorū contemnunt: vel eos, qui de meritis suis superbiunt & gloriantur. Illi sunt simpliciter cedri, isti verò cedri Libani. Aliquotiens verò sibi attrahit spiritum consilij, vt aperiat os suum ad spirituale consilium: per quod interciditur flamma ignis, id est consensus, actus, & consuetudo peccati: quam quidem Dominus non extinguit sed interrumpit, id est intercidit: ne ignis, id est fomes peccati veniat vsque ad consensum. Quandoque sibi attrahit spiritum intellectus, & os suum aperit ad vocem justificationum: vt concutiat desertum, & desertum Cades. Prædicat enim secundùm datum spiritum intellectus, quomodo per contritionem cordis, per confessionem oris, per pœnitentiæ laborem, justificantur animæ, quas desertas à Deo peccata fecerant: quæ vel numquam bonæ fuerant, vel post obseruantiam mādatorum à sancto legis recesserant. Primi quidem simpliciter deserta dicuntur: secundi verò deserta Cades. Cades quippe sanctum legis interpretatur. Nonnumquam vero attrahit sibi spiritum sapientiæ, & aperit os suum ad vocem promissionum, vt præparet ceruos ad reuelationem condensorum. Cerui quippe sunt viri sancti, qui venenosas malignorum spirituū repellunt & superant immissiones. Condensa verò sunt cœlestis multitudo dulcedinis: de qua dictum est. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine: quam abscondisti timentibus te.*

*Psal. 30.*

Et iterum. *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.*

*Isai. 64.*

Ad hanc multitudinē dulcedinis pręparat ceruos Dei per vocem promissionum, quando proponit eis requiem sine labore, gaudium sine merore, sine conflictu victoriam: sine defectu gloriam sempiternam. Amen.

## SERMO. *De Sanctissima Trinitate.*



CVM verba Philosophorum ampullosa, & ineptias eorum, qui magna loquuntur de minimis, verborum phaleras, quorumdam fideliū corda pulsare viderem, meam cum cæteris motu capitis & narium contractione volens imperitiā consolari, viuebam, fateor, Pharisæum, dicens intra me. Si isti fidei promissum non irritassent, scirent vtique, cujus, & qualis est scientia, quæ tangit eos, quia peccatoris est. Sed quid in hoc mihi displicuit, nisi Christus loquens Samaritanæ mulieri? Aquam quippe mulieris non sitiebat, vt ei deficeret, sed vt bajulam suam meliore fonte reficeret, quæ priùs portantis humeros onerabat. Viuentem igitur in se, velut in speculo mirabilium Dei debet imaginem justus proponere, vt gravidas aquis hydrias vinum faciat cœnantibus parturire. Ad hoc enim cibum Sareptanæ mulieris Elias suscepit, vt cujus manus vix farinæ pugillum invenerat, oleum in lecytho, & farinam in hydria indesinenter postmodum possideret.

*3. Reg. 17.*

Sic solis ciuitas lingua Chanaan loquitur; & Abraham inter Chananæos diues efficitur.

*Isai. 19.*
*Genes. 13.*

Sic vt videat, provt viderat juxta fluvium Chobar, Ezechiel in campum egreditur; & oleaster insertus in olivis pullulat, fructificat, & fœcundatur.

*Ezech. 3.*

Sic aurea vasa furamur Ægyptijs; sic Hebræo servit proselytus abscissis vnguibus & rasis capillis. Sic sibi copulat Moyses Æthiopissam, Osee meretricem. Vnde in Deuteronomio scriptum est.

*Ethnicorū doctrinā ditescunt fideles.*

Deut. 21.

*Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manus tuas, captiuosque duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, volueris que eam habere vxorem, introduces in domum tuam. Quæ radet cæsariem, & circumcidet vngues, & deponet vestem, in qua capta est; sedensque in domo tua flebit patrem & matrem suam vno mense, & postea intrabis ad eam, dormiesque cum ea, & erit vxor tua.* Egressi sunt namque ad pugnam Doctores Ecclesiastici contra inimicos suos, cùm armati gladio spiritus, quod est verbum Dei, ad subvertenda mũdanæ sapientiæ dogmata processerunt. *Arma*, inquit Apostolus, *militia nostra, non carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Quia ergo tradidit Dominus hos inimicos nostros in manus servorum suorum, viamque fecit in mari equis suis, in luto aquarum multarum: in numero captivorum pulchra mulier adamatur, cùm in scriptis peregrinis aliqua vtilis doctrina, quæ placeat, reperitur. Quam siquis ex nobis ducere velit vxorem, domesticamque sibi facere, non prohibetur; si tamen puella rasa cæsarie, & circumcisis vnguibus deponat vestem in qua capta est: sedensque apud nos fleat patrem & matrem suam vno mense. Raditur quippe cæsarie, & vnguibus circumciditur, cùm siquid apud eam superfluum est, resecatur. Vestem deponit, in qua capta est, cùm tumoris nudatur superficie, qua apud progenitores tota vestiebatur: qui vtique dicentes se sapientes, in doctrinis suis magni sibi videbantur, nec humiliter loqui noverant, etiam quæ veraciter sentiebant. Sub alio ergo habitu introducitur ad nos mulier ista: cùm eorum dicta vtilia sine supercilio legimus, & cum sobria gravitate proferimus. Sedens tamen apud nos flet patrẽ & matrem suam, eos videlicet, à quibus edita est: cùm legentes, vt tantorum virorum perditionem doleam, ad misericordiam flectit. Sic enim dici solet læta epistola, quæ lætos facit, & fovea cæca, quæ intus deprehensis visum subtrahit. Et Spiritus sanctus postulare pro sanctis dicitur; quia quos repleverit, postulantes facit. Sic quoque & hæc mulier plangit apud nos parentes suos, cùm plangere nos compellit; & ea stimulante, quorum miramur ingenium, dolemus exitium. Per mensem verò, in quo lunæ cursus completur crescendo & decrescẽdo; humanæ vitæ mutabilitas designatur. Mense autem integro deflentur, qui cùm nihil vmquam egerint, per quod iram evaderent sempiternam, tota vita sua steriles fuisse planguntur. Non præteribo, qualiter beatus Augustinus in libro de doctrina Christiana huic nostro sensui conveniat: docens, mulierem ex hostibus captam, & in matrimonium posse recipi, & tamen de progenitorum salvatione non posse præsumi. *Quisquis, ait, bonus verusque Christianus est, Domini sui esse intelligat, vbicumque inuenerit veritatem, quam conferens & agnoscens etiam in literis sacris superstitiosa figmenta repudiet: doleatque homines, qui cognoscentes Deum, non vt Deũ glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerũt in cogitationibꝰ suis, & obscuratũ est insipiẽs cor eorũ. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Puto in his verbis satis apparet, apud mulierem captiuam, videlicet apud Philosophorũ doctrinam, cùm in nostrum conjugium transit, quæ sit vnguium circumcisio, rasio capillorum, dum superstitiosa repudiantur figmenta: quis sit etiam parentum luctus, dum dolemus homines, qui cùm diuino munere ad ipsius divinitatis notitiam sint assumpti, propter superbiam tamen ad insipientiam sunt redacti. Quid igitur aliud agit servus Dei, cùm sensus mysticos de libris Philosophorum conservis elicit; quàm si aquam de petra, & oleum de saxo durissimo nobis propinet? Si sic igitur artibus vti voluerit, vt non fruatur eis, à labore suo confundi non poterit: quia tanta erat gloria Cherub, vt sonitus alarum ejus audiretur etiam in atrio exteriori. Neque enim propter se debent diligi; quia congruum non est ipsis frui: sed quòd bonum sit vti, probat authoritas, docet ratio, monet opus, cogit necessitas. Æmulari siquidem prout possumus opera Christi, nec duntaxat bonis, sed etiam malis rebus debemus benè vti. Omnia enim nostra, nos Christi, Christus verò Dei. Et vt de necessitate aliquid disseramus; scire debemus, quia sine rerum & vocũ significatione nemo perfectè Theologus esse potest. Cæteras siquidem artes in hoc Theologia præcellit; quòd voces sine rebus, vel res sine vocibus significant. In ista verò non tantùm voces, sed etiam res significativæ sunt. Proprietas autem vocum in duobus consistit, in prolatione & significatione. Prolatio ad Grãmaticã, significatio ad Dialecticam, vtraque verò spectat ad Rhetoricam. Similiter & rerum significatio in duobus consistit, in forma scilicet & natura. Forma, quantùm in exteriori dispositione; natura, quantùm in interiori qualitate. Forma ergo in quatuor agnoscitur; in numero, in mensura, in proportione & motu. Numerus ad Arithmeticam, mensura ad Geometriam; proportio ad Musicam, motus ad Astronomiam; nam natura spectat ad Physicã. Cùm igitur Deus, quòd esset, & quid esset, vel non esset, mundo palam facere dignaretur; in artibus suæ cognitionis primordia prælibauit: vt in ipsis cognoscerẽt eum per rationem, qui nondum meruerant per inspirationem. Nam rationem dedit Deus cunctis. Sed qualiter in istis per rationem cognitus sit, videamus. Duobus modis Deum cognoverunt Philosophi per rationem; vel in ijs quæ erant in se, vel in ijs quæ erant extra se. Vnde Apostolus de illa cognitione, qua cognoverunt Deum in se, dicit. *Quod cognitum Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis reuelauit.* Quod cognitum est, inquit, Dei. Non enim plenè cognitus est Deus, sicut nec totus ignotus. Non enim plenè cognosci voluit, vt fides haberet meritum: nec totus abscondi, ne infidelitas inueniret locum: & sic manifestum est in illis. Non ait, *illis*, vt de cognitione, qua cognoverunt Deũ extra se, dicit. *Invisibilia mundi à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Sed quia cùm Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; ideo evanuerunt in cogitationibus suis: & dicentes se esse sapiẽtes, stulti facti sunt. In ijs itaque quæ erant extra se, cognoverunt Deum quibusdam probabilibus & necessarijs argumentis; in quibus sũmæ Trinitatis apparet vestigium, non proba-

*Marginalia:* 2. Cor. 10. — Doctrina Ethnicorũ mulieri pulchræ comparatur. — Augu. 2. de Doctrina Christ. c. 17. — Serui Dei ex libris Philosophorum sensus mysticos eliciunt. — Rom. 1. — Deus nec plenè cognitus, nec totus absconditus. — Ibidem.

biliter tantùm, sed necessariò probatum: sicut in illa geometrica propositione demonstratur apertè; quæ sic proponitur illis, qui sibi vendicant hanc artem. Ex data recta linea triangulũ æquilaterum constituere. In quo nobis primò considerandum est, quid & quomodo probare nititur; & ex quibus infert, quod probatur. Ex proposita siquidem linea, quam nullius argumentationis ratio probauerat, sed fortè sine medio de medio facta quasi per se subsistens, tales & tali modo sibi petit lineas ordinari, vt ab æqualitate primæ non discrepent: & matrẽ omnium figurarum, triangulum loquor, constituant. Omnibus siquidem figuris dignior triangulus invenitur, qui quadrati vel circuli, vel figuræ cujuslibet rationem probat. Nam in propositione proposita non triangulus, sed trianguli linearum æqualitas in circulis cõprobatur: vt cujuslibet trianguli rectum vel acutũ, vel obtusum angulum proponentis differentia dignoscatur. Nam æquilaterus triangulus sicut lineas, sic angulos prætendit æquales. Sed nunc sacramentum trianguli videamus. In triangulo tres lineæ sic æmulantur vnitatem, & ad invicem vniuntur & accedunt ad se, vt fiat illis simile esse. Vnde talis est in eo singularitas, vt nec augeri, vel minui, nec subtrahi quidquam possit ab eo: alioqui vel circulos, quibus probatur, excedit, siquid augeatur: vel ad circulorum circumferentias non perveniet, siquid minuatur; vel totus destruetur, siquid subtrahatur. Talis tamen in lineis pluralitas comprobatur, vt hæc non sit illa, vel tertia, vel econuersò; alioqui non esset æquilaterus, cùm nihil sit illud, cui est æquale: sed est vnus apertè triãgulus ille sine diuisione trinitatis, trinus verò sine confusione vnitatis. Non est enim in eo singularitas imperfecta, nec pluralitas superflua: quia nec imperfectionem ostendit in lineis, cùm nihil minus habeant singula; nec superfluam geminationem in toto, cùm nulla sint ibi imperfecta. Vnde patet, quòd nulla est ibi partium dissimilitudo; non est etiam ibi collectio diversorum, quia non est turba. Non enim hoc vocabulum, *Triangulus*, nomen est collectivum: alioqui grammaticè diceretur, *trianguli sunt*. Nec est ibi membrorum corporea compositio, quia non est corpus. Si enim corpus esset, constaret ex superficiebus. Probatur autem sic linearum æqualitas. Propositæ lineæ quæ vocetur a, talis circumducatur circulus, cujus finem circumferentia tangat, & centrum in capite ponat. Addatur etiam & secundus, in quo ratio conversa discernatur, & vocetur b, & à capite datæ lineæ protrahatur secunda linea ad locum ad quem circuli conveniunt, quæ vocetur c, & probatur secũda à prima hoc modo. A & b à centro ad circumferentiam procedũt. Ergo b est æqualis a. Tertia verò, id est c, à prima & secunda probatur quadam argumentatione, quam Logici vocant à primo, ad vltimum, hoc modo. A est æqualis b, quia hoc jã probatum erat. Sed a est æqualis c, quia à centro veniunt ad circumferentiam. Ergo b est æqualis c. Hoc autem totum dixi, vt scias, quòd prima linea à nulla probatur; secunda à prima; tertia verò probatur ab vtraque. Sed quando aliqua figura ab alia probatur; quid aliud quã esse suum contrahit ab illa, per quam sic esse, sicut est, comprobatur? Sed jam superest, vt veritatem signi signo veritatis comparemus. Sicut in triangulo pluralitatem in lineis, singularitatem in figura; sic in summa Trinitate & vnitatem in substantia, & Trinitatem in personis cõfitemur. Sicut nec addere, nec augere, nec minuere triangulo debere aliquid diximus: ita nec summæ Trinitati. Augemus enim, si Patrẽ majorem dicimus, quàm Filium, vel Spiritum sanctum. Minuimus, si Filium minorem, quàm Patrem vel Spiritum sanctum, dicamus. Subtrahimus autem, si vnam tantùm personam, & non tres personas credamus. Pluralitatem verò sicut in lineis, sic in personis assignamus. Sicut enim a non est b, vel c: nec b, a vel c: nec c, a vel b; ita Pater non est Filius, vel Spiritus sanctus: nec Filius Pater vel Spiritus sanctus; nec Spiritus sanctus Pater vel Filius. Et sicut lineæ æquales sunt ad invicem, ita & personæ. Qualis enim Pater, talis Filius, & Spiritus sanctus; & è converso. Sicut autem nec compositionem membrorum corpoream, nec dissimilitudinem partium, nec collectionem diversorũ, illic esse demonstravimus; sic profectò nec ibi: quia Sãcta Trinitas nec est turba, nec corpus; nec imperfectionem in personis, nec superfluam geminationem habet in toto: sed est Deus vnus sine divisione Trinitatis, trinus sine confusione Vnitatis. Sicut verò prima linearum à nulla, secunda à prima, tertia ab vtraque: sic prima personarum, id est Pater, à nullo; secunda verò, id est Filius, à Patre; tertia autem, id est Spiritus sanctus, ab vtroque. Sicut autem æqualitas trianguli ex duobus circulis sic ad invicem ordinatis, vt alter in alterius medio collocetur; sic & Sanctæ Trinitatis veritas ex duobus testamentis, (quorũ alterum in altero intelligitur,) nouo scilicet & veteri, comprobatur; quorum dispositionem Ezechiel contemplatus, ait. *Et erat rota in medio rotæ.* Rotam autem in medio rotæ esse, est vnum testamentum intelligi in altero. Ad Trinitatem igitur comprobandam de primo testamento, quasi de primo circulo, potest hoc argumentum adduci, Psalmista docente. *Verbo Domini cœli firmati sunt; & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Per Verbum Filium, per Dominum Patrem, per Spiritum oris ejus Spiritum sanctum significare debemus. Sed quoniam per Filium & Spiritum sanctum, sicut per Patrem, cœli, & omnis virtus eorum, firmati sunt, patet in personis æqualitas. Singularitatem verò substantiæ ejus testamenti lator probat Dominus. *Audi Israel, Deus tuus, Deus vnus est.* De secundo verò testamento, quasi de secundo circulo, ipsa veritas eandem pluralitatem probat, præcipiens discipulis, & dicens. *Ite, baptizantes in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.* In nomine, ait, non in nominibus: vt ostendat vnum nomen esse Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sed & apertiùs personarum pluralitas ostensa est, vbi baptizato Domino Spiritus sanctus in similitudinem columbæ super eũ descendit; & vox Patris audita est, *Hic est Filius meus dilectus.* Substantię verò singularitatem ipsa etiã veritas comprobat dicens. *Ego & Pater vnum sumus.* Huic nostræ assertioni illud ineffabile nomen quod tetragrammaton vocant, eo quòd ex quatuor cõstet figuris, videlicet, *jod, he, vau, he*, apertissimè suffragari videtur. Nam literæ istæ simul conjunctæ nomen vnum efficiunt, quod essentiam di-

*Triangulus S. Trinitatem denotat*

*S. Trinitas ex vtroque Testamento probatur.*

*Ezech. 1.*

*Psal. 32.*

*Deuter. 6.*

*Matt. 28.*

*Matt. 3.*

*Ioan. 10.*

*Nomen Dei ineffabile.*

unam præfigurat, videlicet *je ve*. Distinctæ verò per tres distinctiones tria efficiunt nomina, quæ tres designant hypostases, vt sit prima distincto *je*, secunda *eu*, tertia *ve*. Quòd autem conjunctæ literæ essentiam diuinam significent, vel distinctæ hypostases, ex literarum interpretationibus potest perpendi. *Iod*, enim principium, *he*, vita, *vau* ipsa, *heth*, viuacitas interpretatur. Dicatur ergo *je ve*, id est principium vitæ ipsa viuacitas, vt sit sensus, ipsa omnium rerum viuacitas est principium vitæ temporalis & æternæ. Omnia enim per ipsum vivunt, qui est ipsa rerum viuacitas; & hæc est sola diuina essentia. Prima verò literarum distinctio, scilicet, *je* interpretatur principium vitæ. Istud Patri propriè ideo conuenit: quia hoc vocabulũ *principium* modis omnibus Patri congruit: pater enim est totius Trinitatis principium. Principiũ Filij, quia Filius à Patre est generatione. Principiũ Spiritus sancti; quia ab ipso est processione vel spiratione. Principium etiam est ad creaturas. Hoc de Filio, hoc de Spiritu sancto dici non potest. Filius enim non est principiũ Patris, sed Spiritus sancti, & ad creaturas. Spiritus verò sanctus nec Patris nec Filij est principium; sed principium dicitur ad creaturas. Licet ergo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sint vnum principium, tamen antonomasticè Patri conuenit, quod de ipso omnimodis prædicatur, non de Filio, nec de Spiritu sancto. Secunda distinctio, id est, *Eu* vita ipsa interpretatur: & hæc Filio ideo propriè conuenit, quia ipse hoc vocabulum *vita*, sibi singulariter appropriat, vbi ait. *Ego sum via, veritas, & vita.* Vnde Apostolus. *Cùm enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Nam licet vna sit vita Pater & Filius & Spiritus sanctus, Filius tamen vnione deitatis animę & carnis, aliter & quodam vtiliori modò factus est omnium vita. In hoc enim quòd Deus erat, temporalem contulit homini vitam, quoniam ipse est; sed per illam quam dixim⁹ vnionem vitam contulit ei sempiternam, quoniam sine fine beatus est. Omnimodo igitur de filio prædicatur hoc vocabulum *vita*. Tertia distinctio, id est *ve*, interpretatur ipsa viuacitas, & hæc spiritui sancto propriè conuenit, quo omnia vegetantur & fouentur, vt suo calore viuãt. Ipse enim est ardor Patris & Filij. Hinc scriptũ est. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: vel sicut habet alia translatio, *incubabat aquis*, sicut mater ouis incubat, vt ea viuificet. Hinc etiam Ezechiel ait. *Hoc dicit Dominus Deus ossibus his. Ecce ego mittam in vos spiritum, & viuetis.* Et paulòpost. *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscent.* Vt quomodo in prima conditione hominis insufflauit Deus in faciem ejus, & factus est homo in animam viuentem: sic & conditio secunda, resurrectio mortuorum, insufflante spiritu viuificetur. Bene ergo Spiritus sanctus dicitur ipsa viuacitas: nã sicut in prima, sic in secunda conditione inspirante cuncta sancto Spiritu viuificata sunt: quia cunctorum est ipsa viuacitas. Cùm igitur decem sint nomina, quorum alia diuinam significant essentiam, alia personarũ pluralitatem, vt testatur hebræa veritas, istud inter alia ideo dignius inuenitur, & adeò, vt in lamina aurea in fronte sacerdotis portaretur; quod ipsum, sicut dictum est, vtrumque, scilicet Vnitatem essentiæ, & Trinitatem significat personarum. Hæc enim sunt nomina, quæ essentiam repræsentant: *Saddai*, quem robustum, & ad omnia sufficientem accipere possumus: secundum *El*, quod Deus siue fortis interpretatur. Deinde *Eloi* & *Eloë*, quod & ipsum Deus dicitur: quintum *Sabaoth*, quod virtutum, vel exercituum Septuaginta transtulerunt: sextum *Ie je*, quod in Exodo dicitur, *Qui est, misit me ad vos*: septimum *Iah*, quod in *Halleluiah*, extremam syllabam sonat, & inuisibilis dicitur. Vnde *Halleluiah*, *laudate inuisibilẽ*, interpretatur. Octavum verò, quod est, *Elohim*, idem est, ac si dicerem, *Dij nostri*, & cujus singulare est *Eloah*. Similiter cùm dico *Adonai*, idem est, ac si dicam Dominum, cujus singulare est *Adon*. Vnde vbi nos in Psalmo dicimus, *Ego dixi Dij estis*, hebræus habet, *Elohim maten*, id est Dij estis. Hinc etiam Laban ad Iacob ait. *Cur furatus es Elohai*, id est Deos meos. Et Moyses. *Non habebis Elohim Elim*, id est Deos alienos. Loth quoque illos duos, qui cum eo loquebantur, Angelos, Adonai appellauit, id est Domini mei. Quòd tamen ista nomina cum verbo singulari plerũmque junguntur, ad hoc fieri credimus, vt sic vnus Deus in tribus personis demonstretur, tum vt personarum pluralitas per hæc nomina monstretur. Apertè etiam cum verbo plurali ponuntur in hebraico plerũque. Vnde cùm dixisset Dominus ad Iacob, *Surge & ascende in Bethel, & habita ibi; & fac altare Deo, qui apparuit tibi*, hic singulariter ponitur, *Eloë nigla* id est Deus apparuit. Sed cùm postea Scriptura dicit, quòd Iacob ædificauit ibi altare, & appellauit nomen loci Bethel; quia ibi apparuit ei Dominus, cùm fugeret fratrem suum, hoc in hebraico pluraliter ponitur. Habetur quippe, *Elohim niglam*, quod pluraliter dicitur, apparuerunt. Nam si singulariter dicere vellet, *nigla*, id est apparuit, posuisset. Similiter quando Dauid Deum laudans diceret. *Quæ est, vt populus tuus, gens in terra, propter quam iuit Deus, vt redimeret eam sibi in populum*, hic & Deus & iuit in hebraico pluraliter ponitur, scilicet *Elohim alchu*, quod iuerunt significat, cujus singulare est *halac*, id est iuit. Manifestè ergo ostensum est, quòd quædam hebraica nomina vnitatem essentiæ, quædam significant pluralitatem personarum. Istud vero nomen tetragrammaton, eo quòd vtrũmque, sicut dictum est, præfigurat, cæteris dignius inuenitur: quod de triangulo diximus, in hujus significatione nominis plenissimè reperitur. Sed & modo talis inter eosdem circulos triangulus proponatur, cujus linea tantum secunda b, minio superinducatur: quæro à Geometra, vtrum in triangulo eadem singularitas in figura, vel pluralitas in lineis remanserit: vtrùm quantitas vel ratio triãguli mutata sit; vtrùm augmentum vel diminutionem receperit. Si enim non sit eadem singularitas, quæ prius, plures sunt figuræ: si major sit pluralitas, non est triangulus. Si quantitatem excessit, excedit circulos: si diminutionem, non peruenit ad eos. Vnde patet, quòd eadem singularitas, pluralitas, & quantitas, mutata non fuit. Non minima nostræ fidei nobis hic triangulus sacramenta ostendit: quia quãvis Pater & Filius, & Spiritus sanctus vnum sint in essentia, solus tamen filius rubore carnis sic superinduci potuit; vt in nullo diminutionem pateretur

[Marginalia: *Patri præcipuè conuenit dici principium.* — *Ioann. 14.* — *Coloss. 3.* — *Genes. 1.* — *Ezech. 37.* — *Decem nomina Dei hebraica.* — *Exod. 3.* — *Psalm. 81.* — *Genes. 31.* — *Exod. 20.* — *Genes. 35.* — *2. Reg. 7.* — *Quædam nomina Dei essentiam, quædam personas significant.*]

pateretur Trinitas, nec essentiæ diuideretur vnitas, nec augmenti superfluitatem reciperet, nec imperfectionis detrimentum. Sicut autem hujus Sanctæ Trinitatis vestigium, & veræ fidei sacramentum, & rationem quæ erat extra se necessariò confirmauit: ita per rationem quæ erat intra se, confirmare potuit, triplicem in anima considerans virtutem: & eas non à seipso, sed à Deo, se recepisse non ambigens, rationem scilicet, & sapientiam, & amorem. Cõsiderauit enim, quòd ex ratione nascebatur sapientia. Ideo enim bruta animalia non sunt susceptibilia disciplinæ, quia rationabilia non sunt: & placuit ei sapientia sua, quæ à brutis animalibus eum diuidebat; & dilexit eam: & considerauit, vnde amor ille, quo ille diligebat sapientiam suam, procederet, & vidit quia ex ipsa ratione & sapientia. Rationabile enim est, & viri sapientis, vt diligat sapientiam suam. Considerauit ergo tria in se; rationẽ, quæ erat quædam vis animæ, quasi à nullo subsistens; sapientiam, quæ nascebatur à ratione; amorem, qui procedebat ex vtraque: & hæc eadem in Deo contemplatus est. Non enim erat congruum, vt impotens diceretur Deus, qui sibi rationis potentiam dederat: nec stultus, qui sic ordinatè & sapienter sapientiam ex ratione infuderat; nec habens odio sapientiam suam; cùm hoc ex humana stultitia procedat: sed apertè cognitio in Deo potentiã, & sapientiam, & benignitatẽ declarat. Et quoniã nihil in Deo diuersum ausus est confiteri, nec verum erat: sed vnũ est totum quod est essentiæ, vnitatem in Trinitate illa compulsus est ex ratione adorare. Et iterum, cùm nihil esset imperfectum in Deo, nec superfluam geminationem in se habebat, nullam in eo partium dissimilitudinem ausus est adorare: sed sicut illam personam, quæ à nullo erat; sic & Filium, qui est à Patre; vel Spiritum sanctum, qui est ab vtroque, Deum credidit sine dubio esse. Quia tamen vnum in se erant illæ tres personæ, non ipsas tres Deos, sed vnum oportuit eum credere. His igitur cognitis, non minùs deuotus quàm fidelis, quæsiuit nomina, quibus ad memoriam tres illas personas & faciliùs reuocaret, & deuotus adoraret. Et sicut inter homines videbat, quia pater dicebatur ille, à quo filius erat; filius verò, qui erat à Patre, Patrẽ & Filiũ nominauit: nec matrem vel filiam nominare voluit illum, in quo nihil femineũ cognoscebat: Spiritum verò sanctum, qui erat ab vtroque, & vtriusque nomen assignauit, vt ex hoc ipso procedere dignosceretur ex vtroque. Pater enim spiritus, & Filius; Pater sanctus, & Filius; vnde Spiritũ sanctũ sic voluit appellare. Notanda tamen differentia inter hęc quæ in se cognouit: & illas tres personas, quas extra se contemplatus est. Nam illa quæ sunt in homine, adesse possunt & abesse, præter subjecti corruptionem ; aliqua eorum dico, etsi non omnia: & animam etiam secundùm maius aut minus afficiunt. In Deo verò quidquid est, & verè est, & essentialiter est: & vnum est totum quod est. Vnde patet, quòd in trianguli ratione familiariùs Trinitatis inuenies sacramentũ. Sic igitur per triangulum in fide confirmamur: sed non minùs, si inspicias diligenter, in moribus informamur. Quia enim nos non tantùm in anima gloriari, sed etiam corpus humilitatis nostræ configurari corpori claritatis Christi credimus & confitemur: vtrúmque nostrũ hominem, exteriorem per opera, per affectiones interiorem, Deo commendare debemus. Quod tunc dignè fiet, si diuersas actiones diuersis ita compaginamus virtutibus, vt quibusdam perfectionis circulis nobis impressis coronã æmulari perpetuam cognoscamus. Quatuor enim affectiones animi manifestum est esse: quibus si quatuor principales virtutes conjunxeris, quędam vitæ perfectionis circulum expriment, quę Dominus in coronam interiori tuo homini cõmutabit. Debent enim adinuicem quatuor illæ virtutes copulari: quia humanarum rerum vera perfectio illa est, quæ nouit prudentiæ lumen, temperantiæ decus, fortitudinis robur, justitiæ sanctitatem. Sicut enim ait Iacobus in epistola sua, *qui in vno offenderit, factus est omnium reus.* Prudentia siquidem sine fortitudine, est quasi gladius in manu contracti: fortitudo verò sine prudentia, quasi gladius in manu furiosi. Rursus sine fortitudine diu stare non potest homo; cùm justificari hominem, sit mortificari carnẽ. Nec etiam stare potest justitia sine temperantia; cùm scriptum sit, *Fili, ne sis nimiùm justus.* Insuper & prudentia sine temperantia non permanet; quia scriptum est. *Non plus sapere, quàm oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem.* Sed quando scit homo, quid debeat facere, & facit quod scit, verè justus est: si tamen per temperantiam justitia moderetur. Debet enim prudentia esse & justa, & fortis, & temperata. Similiter justitia fortis, & prudens, & temperata. Fortitudo autem prudens, & justa & temperata: temperantia verò prudens, & fortis & justa. Vt igitur virtutes istæ perfectionis circulũ perficiant; debent in te quatuor affectionibus, quasi quodam bitumine colligari: id est tristitia, & desiderio, lætitia & timore. Prudentiam siquidem temperantiæ ligat tristitia. Qui enim sapiens est, magis diligit domum luctus, quàm gaudij: sciens, quòd vanitas vanitatum, & omnia vanitas: sicut scriptum est. *Qui apponit scientiam, apponit & dolorem.* Et quia ipsa tristitia ad temperantiã pertineat, ipsa carnis maceratio docet. Si enim gastrimargia luxuriam mouet & gaudium, juxta illud, *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere;* non incongruè temperantiæ, quæ gastrimargiæ opponitur, tristitia copulatur. Prudentiam verò fortitudini conjungit desiderium. Libenter enim audit & operatur homo, quæ diligit; nihil amanti difficile est. Quidquid agit homo, graue videtur, si displiceat: sicut è contrario leue, si placeat. Ad percipiendam verò disciplinã frustra aures carnis accommodat, qui cordis aurem obturat. Fortitudini justitiam ligat lætitia. Nam ex mentis fortitudine procedit illa operis hilaritas, quæ justitiam operatur, sicut scriptum est. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Iustitiæ verò temperantiam copulat timor; illũ dico, quem filialem dicimus, non seruilem. Nã seruilem virtus consummata repellit, sicut scriptum est. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Filialem verò semper accendit & auget: sicut de eodem timore scriptum est. *Beatus homo, qui semper est pauidus.* Debet tamen etiam timor iste per justitiæ regulam ita moderari, ne pusillanimitatem incurramus, vel desperationem: quia scriptum est. *Numquam timor malus est, nisi quando nimius est.* Si sic igitur temperetur

*S. Trinitas ex triplici anima virtute explicatur.*

*Differentia eorum, quæ in Deo, & quæ in homine sunt.*

*Triangulus fidem & mores informat*

*Animi affectiones quatuor, & virtutes Cardinales quatuor, vt copulentur.*

*Iacob. 2.*

*Eccli. 7.*

*Rom. 12.*

*Eccle. 1.*

*Exod. 32.*

*Quod displicet, graue; quod placet, leue est.*

*2. Corin. 9.*

*1. Ioann. 4.*

*Prover. 28.*

justitia temperantiæ, justitiam proculdubio timor copulabit. Vt igitur hæc sub compendio repetamus, diximus, quia primum perfectionis circulum perficit temperantia prudentiæ per tristitiam, prudentia fortitudini per desideriū, fortitudo justitiæ per lætitiam, justitia temperantiæ solidata per timorem. Similiter & secundùm exteriorem nostrum hominem perfectum reddentem circulum inuestigare poterimus: si quatuor bonorum operum genera virtutibus eisdem copulemus. Quisquis enim in actibus suis perfectus esse desiderat, totus esse debet in consilijs, in remedijs, obsequijs, subsidijs. In consilijs, si nosse suum in vtilitatem proximorum effundat. In obsequijs, si beneficijs eos præveniat. In subsidijs, si in negotijs eorum tractandis terrorem diuitum non pertimescat. In remedijs, si in necessitatibus eorum etiam manus proprias imponat. Non enim tantùm verba, vel nostra, sed etiam nos ipsos proximis effundere funditus est necesse. Consilia igitur subsidijs ligat prudentia. Sapientis enim est, & scire consilia & dare: & causas aliorum tractare. Subsidia obsequijs ligat fortitudo. Magnanimi enim est vultus potentium non formidare, & sua cæteris communicare. Obsequia remedijs ligat justitia: quia solius viri justi est, se & sua proximis impendere. Remedia consilijs ligat temperantia. Consilia enim & remedia, quibus prævenit alios, sic debet homo per temperantiā moderari: vt nec proximos propter se, nec se propter proximos parvipendat. Ecce, ni fallor, duos habes circulos: alter quorum nec totus intra, nec totus extra alterum inuenitur. In parte enim conveniunt, & in parte differunt. In illa igitur parte, qua conueniunt, id est in quatuor virtutibus, alter in altero comprehenditur. In illa verò parte qua differunt, quasi extra alterum alter inuenitur. Tales enim oportuit inveniri. Et ex his duobus circulis triplicem humanæ vitæ perpēdere potes vtilitatem, per quam vtilis debet esse homo Deo, sibi, & proximo. Deo per simplicitatem vel innocentiam; quæ vtrumque hominem Deo commendans, quasi vtriusque circuli circumferentias tangit: ideo maximè, quòd ex quatuor virtutibus, quas in vtroque circulo assignamus, habeatur. Sibi per sobrietatem, quæ exteriorem hominem debilitat, & interiorem confortat: & ex timore & desiderio proveniens, quasi proximi circuli circumferentiā tangit. Proximo per pietatem, ex qua consilia, obsequia, subsidia, remedia, proveniunt. Vnde quasi secundi circuli circumferentiam tangit, & est quasi data linea simplicitas, propter quā habendam duos circulos impressisti. Sed quoniam sola simplicitas perfectionem non facit; quia scriptū est. *Ephraim columba seducta, non habens cor,* per columbam profectò designans simplicitatem, debuit perfectionis triangulus perfici per pietatem & sobrietatem. Si igitur hæc omnia, quę simplici sermone vix teneri poterant, per exemplum suppositum, non semel, sed sæpe, non ore, sed corde ruminando retractentur; quid aliud quàm trianguli hujus perfectio in tenuissimo pulvere compingetur? Solet enim per pulverem, operum nostrorum retractatio designari; sicut in Exodo legitur, Domino dicente ad Moysen. *Sume tibi,* ait, *aromata, stacten & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia: facíesque thymiama compositum opere vnguentarij, mixtum diligenter, & purum, & sanctificatione dignissimum. Cumque in tenuissimum pulverem vniuersa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij.* Thymiama, ait Gregorius, *ex aromatibus compositum facimus, cùm in altari cordis virtutum multiplicitate redolemus. In tenuissimum verò pulverem aromata vniuersa conterimus, cùm bona nostra in pilo cordis occulta discussione retractamus. Aromata enim in pulverem redigere, est virtutes recogitando terere.* In pulverem virtutes depingit, qui se pulverem esse non ambigit. In pulvere pietatem depingebat, qui Sodomitis & Gomorrhæis compassus, humiliter Domino dicebat. *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis.* Et Propheta. *Memento Domine, quoniam pulvis sumus.* Frustra enim se exercet in virtutibus, qui adhuc inflatus per superbiam, se pulverem esse non recordatur. Det Deus pater, vt ita virtutes vniuersas in pulverem possimus redigere, vt perfectionis circulis nobis impressis coronam perpetuam mereamnr habere: præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Compendium præcedentium.*

*Vtilis esse debet homo Deo, sibi, & proximo.*

*Osea 7.*

*Triangulū in pulvere compingere, quid sit.*

*Exod. 30.*

*Gregor. 1. Mora. c. 39.*

*Thymiama spirituale.*

*Genes. 18.*

*Psalm. 102.*

## Sermo I. *In Natiuitate S. Ioannis Baptistæ.*

BENEDIXIT *Dominus Isaac, & habitauit ad puteum visionis.* Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: Isaac quidem ad præmium, nobis ad meritum, omnibus ad exemplū. Si enim nobis à Deo daretur intelligi, quæ sit visio Isaïæ filij Amos; quis liber visionum Naū; quæ sint illæ, quas vidit Ezechiel, mirabiles visiones Dei; quæ tandem omnium oracula Prophetarum, qui olim videntes dicebantur; aliquandò & hoc daretur intelligi, qua benedictione dignus sit, qui habitat ad puteum visionis. Visiones quippe Prophetarum, pro suorū profunditate mysteriorū, puteis comparantur. Sed cùm vas meum ad aquas visionis porto, videor antiquum illud renouare proverbiū. Ecce Saül inter Prophetas. Quis enim mihi det, vel saltem transire juxta puteum visionis? Superuenientes Allophylos formido, qui solent terra puteos adimplere. Deficit insuper aqua de vtre; quia vas fictile & confractum, sine ligatura & operculo porto: nec in quo hauriam habeo, & puteus altus est. Propter hoc facta est anima mea sicut terra sine aqua Deo: & sicut Agar fugiens & sitiens in deserto, tantò longè facta est, & peregrina ab Abraham, quantò in longinquā regionem descendit pascere porcos. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar; multùm incola fuit,* vel quod idem est, facta est *anima mea.* Sed hoc parum mihi. Nam in Cedar habitaui cum habitantibus Cedar: quippe qui moram feci in tenebris peccatorum, quem toties excæcauerūt per ignorantiam squamæ Pauli, calidum stercus hirundinum per cupiditatem, Dalila per voluptatem, cum populo qui habitat in tenebris, & habitante in regione vmbræ mortis, non potuit mihi lux oriri, nec sol justitię, nec habitare potui ad puteum visionis: tamen fiduciam habēs in illum, qui aperuit oculos sitientis Agar, vt

*Genes. 25.*

*Isai. 1.*

*Naum 1.*

*Ezech. 1.*

*Visiones, Prophetarum puteis cōparantur.*

*1. Reg. 11.*

*Psal. 119.*

videret puteum visionis aquæ viuæ, aperiet oculos meos, vt nobis pariter & vobis, imò & camelis nostris aquam hauriam, & potum tribuam de puteo visionis. Nam ad hoc vt oculi nostri aperiantur, posuit lucernam Dominus super candelabrum, vt cæcos illuminaret, domos euerteret, dragmam perditam inueniret. Hinc scriptum est. *Erat Ioannes lucerna ardens & lucens.* (*Ioan. 5.*) Ardens sibi, sed lucens proximo. Et tantò clarior, quantò per ipsum nobis omnem viam justitiæ Dominus declarauit. Nam cùm alia via justitiæ propalata sit Patriarchis, alia Prophetis, alia Apostolis, alia Martyribus, alia Confessoribus, alia Virginibus, alia Eremitis, breue fecit Dominus omnium in Ioanne justitiæ compendium semitarum. (*Deus fecit in Ioanne compendiũ omnis iustitiæ.*) Hac igitur lucerna præeunte & præuiâ oculos aperiam, vt videam puteum visionis, & hauriam vobis aquã: si tamen vas meum dignetur implere, qui dixit. *Aperi os tuum, & implebo illud.* (*Psalm. 80.*) Multa quidem puteorum colligimus mysteria de sacris Scripturis: quorum alia benedictione, alia verò digna sunt admiratione. Legimus enim quòd Ieremias funibus submissus in puteum, alijs tandem funibus de pannis factis veteribus emissus est. Res mira, & omni admiratione digna. Si sic natat elephas, quomodo pertransibit agnus? Si justus vix salvabitur, impius & peccator vbi parebunt? Si enim vsque ad excelsum Domini, (sic enim Ieremias interpretatur,) perueniunt aquæ, quis minor eo poterit tutus esse? Nobis enim hoc ponitur ad exemplum, quia multoties circumplectuntur nos funes peccatorum, & in tantam abyssum peccatorum submittunt, vt clamare meritò cum Psalmista debeamus. *Non me demergat tempestas aquæ, nec absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* (*Psalm. 68.*) Sed pannis veteribus emittuntur, qui antiquorum exemplo humilitatem paupertatis imitantur. Hinc est, quòd Moyses considerans pariter & cognoscens, quòd qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat, & per hoc cadit in puteũ, dum fugeret ab Ægypto, & veniret in desertum, leuauit oculos suos, & vidit puteum, juxta quem septem filiæ Raguelis sacerdotis Madian erant, vt oues adaquarẽt. Sed cùm pastores terræ illius potum ouibus prohiberent, Moyses pastores expulit, oues adaquauit, & vnam de filiabus Sacerdotis Madian, nomine Sephoram, desponsauit. Hoc est quod scriptũ est. *Erat Moyses eruditus omni scientia Ægyptiorum.* (*Actor. 7.*) Nam puteus doctrinam significat. Septẽ verò filias, septem arbitror artes liberales, in quibus scientia Ægyptiorum designatur, quarum oues Philosophi, pastores Physici & doctores; sacerdos Madian adinuentor earum, Gentilis, & per hoc filius iniquitatis, quia Madian iniquitas interpretatur. Sed cùm pastores illi oues impedirent, sicut hodie Philosophiæ doctores subjectos impediunt, qui ad nullam perfectionem eos adducunt, Moyses primò filias adaquauit, postea oues, quando primò in artibus mysteria diuinitatis agnouit, & exemplũ scientiæ ipsis Ægyptijs ministrauit. Ad hoc enim liberales artes inuentæ sunt, vt Theologiæ deseruiant. (*Artes liberales sunt propter Theologiam.*) Nam cùm in quibusdam earum vel res sine vocibus, vel voces sine rebus significatiuæ sint: tantò eorum indiget Theologia ministerio, quantò res & voces in ea significãt. Vbi enim magis indigemus verbo, quàm cùm loquimur de Verbo? Vbi magis indigemus ornatu verbi, quàm cùm de Verbo loquimur specioso forma prę filijs hominum; quod splendor est Patris, & figura substantiæ ejus? Vnde & plerumque amborũ figura.* Vbi magis indigemus rationali verbo, quàm cùm loquimur sapientiam? Ergo tamquam pedissequa Grammatica deseruiat verbo, ornatui verborum Rhetorica, Logica rationi. (* *De est aliquid.*) Rerum autem significatio vel circa formam, vel circa naturam consistit. Nam pro sui rapacitate quam habet à natura, lupus diabolum, pro sui simplicitate, agnus Christum insinuat. Et in hoc quasi pedissequa dominæ physica deseruit Theologiæ. (*Physica pedissequa est Theologiæ.*) Forma verò consistit in numerò, in mensura, & proportione & motu. Igitur in numeris deseruit Theologiæ Arithmetica, in mensuris Geometria, in proportione Musica, in motu verò Astronomia. Nam ex ortu & motu nouæ stellæ noui Regis ortum Magi cognouerunt. Illa tamen de talibus scripturis nobis seruare debemus, quæ nos per contemplationem rationis pennis debeant in altum eleuare. *Et accepit*, ait Scriptura, *Moyses Sephoram filiam Sacerdotis Madian.* (*Exod. 2.*) Sephora auis interpretatur. Filia Sacerdotis Madian iniquitas est, sacerdos Madian magister iniquitatis. Nam quamvis magister iniquitatis sit ille, ejus doctrina, si mores informat, respuenda non est. Vnde & obstetrices Ægypti, quarum vna Sephora, altera Phua vocabatur, quamvis in contrarium Pharao præcepisset, masculos seruarunt; timuerunt enim Dominum. Nam quidquid in te virile debet esse, per doctrinam duplicem poteris seruare, vnam quæ mores informat, & alteram quæ fidem ædificat: quamvis Ægyptiæ, quãvis à magistris tenebrarum, id est infidelitatis inuentæ sint. Phua quippe, quæ rubens vel verecunda dicitur, illam quæ mores corporum per actiuã vitam informat, doctrinam insinuat. Sephora verò, quæ vt dictum est, auis interpretatur, illã quæ mentem per contemplationem eleuat, doctrinam demonstrat. Hinc est, quod consilio Chusi infatuatum legitur consiliũ Achitophel. Consilium quippe dederat Absaloni contra Dauid. Et ait Chusi. *Non hac vice bonum consilium dedit Achitophel.* (*2. Reg. 17.*) Tunc vsus Chusi consilio Nathan & Sadoch, misit Achimaan & Ionathã ad Dauid dicens: noli in campestribus esse, sed ascende in montem. Qui cùm abirent, vidit eos puer, & nuntiauit Absaloni. Qui misit nuntios, vt apprehenderet eos. Erat autem quidam vir habens puteum in vestibulo domus, in quo illi timentes absconderunt se. Et ecce quædam mulier velamen posuit super os putei. Vnde illusi nuntij Absalonis reuersi sunt. Illi verò duo nũtiantes Dauid consilium Chusi, liberauerunt eum de manu Absalonis. Absalon qui pax patris interpretatur, typum tenet hæretici, qui cœlestis pacem patris nuntiare se dicit, & alijs hanc promittit. (*Absalon typus hæretici.*) Sed quamvis hoc dicat, tamen persequitur patrem suum Dauid. Consiliarius autẽ ejus Achitophel, qui fratris ruina dicitur, hæresiarcham insinuat: quia per ipsum ruit frater ille, cujus pater Christus, à quo & Christianus. Omnes enim in Christo fratres sumus. *Non accepistis*, ait Apostolus, *spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* (*Rom. 8.*) Sed hujus consilium infatuat Chusi. Chusi Æthiops in-

terpretatur. Ergo consilio Chusi infatuatur consilium Achitophel; quia consilium hesiarchæ Gentilium plerumque condemnat authoritas: ita tamen si authoritas eorum legi consentiat & Prophetis. Nam & ipse Chusi vsus est consilio Nathan & Sadoch. Per Nathan Prophetia, per Sadoch sacerdotem lex figuratur. Eorum enim Chusi vsus consilio misit ad Dauid Achimaan & Ionatham. Quod primùm dixi Phuam, hoc idem dico Achimaan. Achimaã quippe fratris mei decor interpretatur. Duo autem fratres ex vno patre & vna matre nascuntur, exterior videlicet & interior homo. Interior homo semper existens est decor. Ad hoc enim semper interior nititur, quomodo per munditiã decorus exterior efficiatur. Ergo per Achimaan illa quæ mores informat, actiua vita figuratur. Per Ionathan autem, qui colũbæ donum dicitur, illud idem quod per Sephorã figuratur: illa videlicet doctrina, quæ rationis alis per contemplationem nos erigit. Hoc tamen excepto, quòd illic generaliter auis, ibi specialiter columba, auis scilicet gemebunda nominatur. Et bene, quia illa nobis doctrina necessaria est, quæ dolores docet & gemitus, vt scriptum est. *Qui apponit scientiam, apponit & dolorẽ.* Et iterum. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Puer autem qui eos vidit & nuntiauit Absaloni, fidelis est, qui per puritatem mentis intelligit & discernit scripturas; Absaloni nuntiat, quia conuincit hæreticum. Sed mittit post eos jacula Scripturarum, quas peruertit, & videntur ejus hæresi suffragari. Sed ecce vir oriens nomen ejus, cujus domus est Ecclesia, habebat in vestibulo puteum, id est profunda mysteria Scripturarũ, vbi ea quæ vel actiuæ vel contemplatiuæ conueniunt, sub velamine literæ occulta sunt. Expandit enim velamen mulier illa, quæ accendit lucernam, sapientia scilicet summi Patris. Vnde & per velamen literæ decepti sunt, qui persequebantur David. Illi verò duo consulunt David, vt latam vitiorum viam deserat, & ascendat montem virtutum, Achimaan manu fortem, Ionathan vultu desiderabilem, & vterq; Dauid. Vis audire consilium Achimaas, & hoc ipsum consilio Nathan & Sadoch?

Eccle. 1.
Isai. 38.
Mysteria Script. sunt puteus.

*Infantem nudum cùm te natura crearit,*
*Paupertatis onus patienter ferre memento.*

Vnde dictum est. *Beati pauperes spiritu, quoniã vestrum est regnum cælorum.* Et iterum. *Animum rege, qui nisi paret, Imperat, hunc frænis, hunc tu compesce catenis.* Vnde & in sacra Scriptura. *Omni custodia serua cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit.* Vis audire consilium Ionathan? *Iam noua progenies cælo demittitur alto.* Vnde & Isaïas. *Ecce virgo concipiet,* &c. Sic vasa aurea furamur Ægyptijs, sic gignimus ex concubinis. Sic Hebræo seruit proselytus, abscissis vnguibus & rasis capillis: quia tanta est gloria Cherub, vt vox ejus audiatur in atrio exteriori. Quamvis ergo vel circa ea quæ mores ædificãt, vel fidei testimonium habent, nos Scripturæ Philosophorum erudiant; quia tamen non sunt putei visionum, nec ad quos Isaac habitat; non est nobis tutum longiorem ibi moram facere, vel diutius habitare; sed paululũ gustata aqua pertransire. Propterea & mulier dicebat quærentibus Achimaan & Ionathan, *paululum gustata aqua transierunt.* Breuiter quippe velut introductionis modo debemus tales aquas gustare, vt postmodum aquam sapientiæ salutaris diutius hauriamus de puteis Salvatoris. Illam quippe Philosophiæ doctrinam, quasi meretricem, quasi peregrinam, quasi concubinam cognoscere; Theologiam verò quasi vnicã, quasi domesticam, quasi reginam diligere. Hinc est, quod Abraham locutus est ad puerum suũ. *Iura inquit, vt non accipias vxorem filio meo, de filiabus Chananæorum, inter quos habito: sed ad terram & ad cognationem meam proficiscaris, & inde accipies vxorem filio meo.* Ipsas ergo filias Chananæorũ, vel sibi vel filio suo habuit quasi pedissequas & peregrinas, non autem vt dominas, aut domesticas. Abijt ergo puer, & ductis secum decem camelis, venit ad fontem aquę; & ait intra se. Puella cui dixero, da mihi aquam, & illa dixerit, tibi & camelis tuis potum tribuã, ipsa est, quam præparasti Domine, filio Domini mei. Vix sermonem compleuerat, & ecce Rebecca. Quæ reuersa ad puteum, & puerum & camelos adaquauit. Quam secum ducens, inuenerunt Isaac ad puteum aquæ viuæ. Ecce iterũ dilectissimi fratres, oculos aperio, & duos puteos aquæ viuæ respicio. In vno quorum puer Isaac Rebeccam, in altero Rebecca Isaac reperit, cùm egreditur ad meditandum. In his duobus duplex illa doctrina designatur, quarum vna mores, altera fidem ędificat. Tantò tamen excellẽtiùs & euidentiùs, quantò cæteras artes ars artium & regimen animarum Theologia præcellit. Abraham quippe, qui pater multarũ Gentium interpretatur, humani sensus tenet imaginem. Quia sicut Abraham genuit Ismaël de Agar, scilicet de concubina filium adulterũ & odibilem, de Sara Isaac, de sponsa scilicet filium promissionis & legitimum: de Cethura verò vxore secunda filium iniquitatis, provt interpretatur Madian: sic sensus humanus de conscientia, cùm peregrinatur à Deo suo, voluntatem pessimam parit, & odibilem Deo. Quandoq; verò de conscientia, cùm tenet principatum virtutum, cùm deesse ei incipiunt muliebria; cùm nihil fæmineum, sed totum virile in se sentit, parit fructũ spiritus, quod est gaudium, pax, patientia, &c. Plerùmque de Cethura, quæ incensum vel thimiama dicitur, corpore ferè emortuo, Madian, id est filium iniquitatis gignit. Et quamvis tentatio carnalis in ipsa sit emortua, & bonum odorem in omni loco conscientia redoleat; tamen ex hoc ipso filium iniquitatis gignit, cùm inde vel vanam gloriam, vel superbiam, vel contemptum conscientia concipit. Habet tamen servũ fidelem, & seniorem domus suæ, rationem scilicet, qui sibi decem camelos sternit, cùm omnem sensualitatem sibi subjicit. Hic igitur primò accedit ad fontem aquæ, cùm accedit ad initium sapientiæ. Initium enim sapientię timor Domini. Cùm enim menti timorem ratio incutit, servus ad fontem aquæ venit. Talem ergo servus puellam quærit, quæ sibi & camelis potum tribuat; videlicet quæ rationem & ipsam sensualitatem aqua sapientiæ salutaris reficiat, quæ fluit de timore filiali. Et ecce Rebecca, quæ patientia interpretatur. Patientia quippe occurrit rationi, & timore reficit filiali, cùm hydriam conscientia replet aqua sapientiæ salutaris. Ducit igitur servus Rebeccam in camelo. Servus Rebeccam ducit, cùm patientia rationabiliter viã

Luc. 6.
Prouer. 4.
Virgil.
Isai. 7.
Philosophorum scripta leniter degustanda.
2. Reg. 17.
Theologia supra Philosophiam excellentia.
Genes. 24.
Genes. 25.
Seruus senior Abrahæ rationẽ designat.

veritatis incedit. Sed adhuc in camelo; quia nec in Deo, nec propter Deum, sed alicujus causâ sensualitatis de aduersario vindictam nō quærit; eo quòd vel damna majora metuit, vel vindicandi tempus aut locus non accedit. Sed cùm Isaac occurrit ad puteum, vbi egressus est ad meditandum, Rebecca de camelo descendit, cùm nihil habet sensualitatis. Quod tunc dignè fit, si de puteo in meditationibus suis haurit aquam deuotionis. Et Isaac conjungitur, cùm gaudio copulatur, cùm voluntaria efficitur. Vnde Isaac gaudium interpretatur. Vt autem hanc voluntariam patientiam sensus humanus per rationem acquirat, primò omnium necesse est, vt illum ante oculos mentis ponat, qui propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, ignem suæ diuinitatis sub cinere nostræ mortalitatis tutauit; & propter injustos ab injustis injustè teneri voluit, & per patientiam voluntariam pati, vt pro nobis offerret sacrificium Deo Patri. Et sol justitiæ, qui primò in nubilo videbatur, propter iram, postmodum non tam ardens quàm lucens appareret per dilectionem. Recurrendum est igitur ad puteum, in quo patres nostri, id est Prophetæ sub mysteriorum velamine ignem diuinitatis absconderunt: sed nepotes eorum, id est Apostoli, sub illis mysterijs aquam crassam, id est Christum humanatū cognouerunt. Aquam propter humanitatem, crassam propter charitatis pinguedinem. Qui sacerdos & hostia factus obtulit holocaustum pro nobis; & per hoc recōciliauit ima summis. Tunc à Moyse velamen amouit, libros signatos aperuit, lapidem ab ore putei sustulit, vt quasi Iacob oues Rachelis adaquaret, id est filios Synagogæ spirituali verbo satiaret, & ipsam Rachelem sibi desponsaret, id est Ecclesiam de Iudæis congregatam sibi vniret. Sed hoc modicū suæ pietati: quia & Ecclesiam de Gentibus verbo vitæ satiauit, cùm Samaritanæ hydriam, quā inuenit ad puteū Iacob, fonte baptismatis adimpleuit. Vt igitur in his omnibus doctus, & per hoc omni benedictione dignus, non solùm habitabat, sed & fodiebat puteos visionis Isaac. Omnis enim, de qua suprà dictū est, doctrina, sub quadruplici doctrina, Logica, Ethica, Physica, Theologia, concluditur. Logica rationalis scientia est, Ethica moralis, Physica naturalis, Theologia spiritualis. Primum puteum fodit Isaac, & vocauit eum inimicitias: quia cùm homo juxta rationem viuere incipit, vel desiderat, inimicatur ei mundus, inimicatur caro, aduersatur diabolus. Si verò compositioni morum intendat, calumniantur hoc operibus suis pastores, qui cùm aquam limpidissimam hanc biberint per doctrinam, operibus suis quasi pedibus eam ouibus turbant. Propter hoc puteus ille calumnia vocabatur, pastoribus illis dicentibus, nostra est aqua. Cùm enim pastores solēt redargui, & respondent arguenti, non est tuū arguere, quia nostrum est leges cudere, videntur dicere, nostra est aqua. Tertius puteus, quē vocauit abundantiam, naturalis est scientia: qui tantò fœcundiùs abundat, quantò non solùm hominibus, sed & ipsis brutis animalibus potum propinat. Neque enim est animal brutum, quod naturam non custodiat. Quartus puteus qui dicitur juramenti vel satietatis, spiritualis est scientia. Qui per hoc satietas dicitur, quia per ipsum verbo Dei sitiens anima satiatur. Iuramenti verò dicitur, quòd secundùm historiam, & secundùm sensum spiritualem Abimelech, Ochozar, & Phicol ibi fœderantur. Teste siquidem Origene, per Phicol, qui interpretatur os omniū, moralis scientia; per Ochozar, qui tenens dicitur, naturalis; per Abimelech, qui pater meus justus dicitur, rationalis scientia figuratur. Isti ergo cum Isaac ad puteū fœdus ineunt, cùm tres illæ scientiæ cum spirituali scientia conueniunt. Quidquid enim naturæ, quidquid rationis, quidquid morum est, docet sapientia spiritualis. Propter hoc puteus iste vocatur puteus visionis. Hujus autem putei puer Isaac aquam vehementiùs erumpentem inuenit, & inuentam domino nuntiauit. Aquā quippe hujus putei primò bibit, & fontem ejus putei foras deriuauit. Sed *quid putas puer iste erit? Et enim manus Domini erat cum illo.* Ipse est de quo pater suus Zacharias ait. *Tu puer Propheta altissimi vocaberis.* Hic igitur aquam illam de puteo bibit, de qua scriptum est. *Flumina de ventre ejus fluent aquæ viuæ.* Vultis animaduertere, quomodo aquis istis se primò reficit, & quomodo nos? Ponamus historiæ fundamentum. *Fuit in diebus Herodis Regis Sacerdos, nomine Zacharias, de vice Abia, & vxor ejus de familia Aaron, nomine Elizabeth.* Elizabeth autem Dei mei juramentum, vel Dei mei satietas interpretatur. Iam sub nomine Elizabeth puteum juramenti vel satietatis tenemus. Sed quod Dei mei juramentum? *Iuraui*, ait Dominus, *vt non adijciam aquas diluvij super terram.* Et iterum. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Et rursum ad Abraham. *Per memetipsum juraui, quia non pepercisti filio tuo Isaac, faciam te in Gentem magnam.* Et iterum Zacharias. *Iusjurandum, quod jurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.* Hęc omnia Deus jurauerat, sed nihil horum compleuerat; quia nondum aqua inuenta erat in puteo juramenti: sed sterilis erat Elisabeth, id est sine fructu operis erat Dei mei juramentum: quia ipse in Euangelio ait. *Cibus meus est, vt faciam voluntatem Patris mei, qui misit me: vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Cùm nec istud compleuisset, non erat aqua in puteo satietatis inuenta, sed sterilis erat Elisabeth, quia necdum peruenerat Dei mei satietas ad effectum. Sed puer intrauit puteum juramenti, ventrem scilicet Elizabeth, & flumina de ventre fluxerunt aquæ viuæ. Vultis audire, quomodo de vētre fluxerūt aquæ viuæ? *Vnde hoc mihi*, ait Elizabeth, *vt veniat mater Domini mei ad me?* Ecce enim puer ille, qui fodit puteum ventris, exultauit in gaudio, quia aquam sapientiæ salutaris inuenit. Sed & nobis hujus aquæ plenitudinem effudit, qui nobis perfectionis & gratiæ exemplum nascendo, viuendo, moriendo, ministrauit. *Fuit in diebus Herodis Regis Sacerdos quidam, nomine Zacharias.* Zacharias quippe memoria Domini interpretatur. Sed quid dicit Salomon? *In die malorum, ne immemor sis bonorum.* Dies autem malorum est, de quo ait Ieremias. *Diem hominis non desideraui, Domine tu scis.* Dies igitur malorum, & dies hominis, dies sunt Herodis. Herodes quippe gloria pellis interpretatur. Ergo dies eorum, dies Herodis sunt, qui non in anima, sed in pelle gloriantur. Omnis gloria filio-

Marginalia: *Genes. 24.* — *Charitas Christi ante oculos ponenda.* — *2. Mac. 1.* — *Ioann. 4.* — *Omnis doctrina quadruplici cōtinetur.* — *Genes. 26.* — *Ibidem.* — *Genes. 26.* — *Aliæ scientiæ cū Theologia fœderantur.* — *Luc. 1.* — *Ioann. 7.* — *Luc. 1.* — *Genes. 9.* — *Psal. 109.* — *Genes. 22.* — *Ioann. 4.* — *Ioannis Cōceptio.* — *Luc. 1.* — *Ioānes perfectionis & gratiæ exēplum.* — *Luc. 1.* — *Eccli. 11.* — *Ierem. 17.*

rum Regis ab intus: sed deforis est peccatorum gloria. Maledictus enim fuit ille Iudæ filius, qui Her, id est pellis vocabatur. Nec nisi detracta pelle hostiæ Deo sacrificium gratum accipitur. In diebus igitur Herodis Zacharias templum ingreditur, cùm inter prosperitates & carnis gloriam, Domini sui iustitiæ memoratur: & ea quæ carnis sunt parvipendens, illi soli vult adhærere per deuotionem, cui offert incensum boni odoris per orationem. Ille enim, qui mũdi prosperitatem aut gaudium, cùm arridet, parvipendit pro Domino, ipse est qui cum Abrahã ad immolandum Isaac in montem deuotionis ascendit. Visitatur ab Angelo, & mutus efficitur, cùm supernam illam & supercælestem & incomprehensibilem diuinitatis hierarchiam animo meditatur. Mens enim tenebris suis assueta, quando internam diuinitatis claritatem contemplari nititur, quasi trementibus & palpantibus luminibus vim insoliti fulgoris non sustinens, ipsis primi aspectus radijs reuerberatur. Vnde scriptum est. *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* Hinc & Salomõ ait. *Dixi, sapiens efficiar, & ipsa longiùs recessit à me.* Propter hoc & ipse Moyses, qui omni sapientia Ægyptiorum eruditus erat, cùm mentis oculos in lucem inaccessibilem posuisset, gracilem voce, & ineloquentem se esse confessus est. Ipse etiam Elias in ostio speluncæ suæ, nec in spiritu grandi & forti, nec in commotione, nec in igne Deum vidit, quem tamen in sibilo auræ tenuis agnouit: quia profectò ibi bene cognoscitur Dominus, vbi deficit sensus humanus. Propter hoc & Psalmista ait. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Ergo cùm mens theoricè ad alta rapitur, in quibusdam non solùm muta, sed & cæca, in quibusdam verò videns & eloquens efficitur. Nam cùm secundùm theoriam verum in omni quod est, & quod non est, scrutari eligit, quibusdam gradibus contemplationum ad summum ascendit. Nam vel mathematicè speculatur visibiles rerũ visibilium formas, vel Physicè inuisibiles rerũ visibilium causas, vel symbolicè colligit & coaptat formas visibiles ad invisibilium demonstrationem, vel Theologicè contemplatur invisibiles substantias & inuisibilium substantiarum inuisibiles naturas. His tamen omnibus modis principalis & supetprincipalis aliquatenus manifestari potest, in figuratis symbolis diuini patris beatissima hierarchia: vt postmodũ mens humana certæ contemplationis gradibus ad summa conscendens, sacra diuini eloquij inspectione cælestia secreta etiam anagogicè contempletur; & sic ex duobus generibus visionũ ad omnem perfectionem ascendit, quę per gratiam diuinæ reuelationis Theologorum & Prophetarum mẽtibus fuit infusa. Vnum, quo formis & figuris & similitudinibus retum occultarum veritas obumbratur: quod genus visionis græcè theophanias, id est diuinas apparitiones appellant: alterum, quo ascensu mentis & excessu nudè & purè, & absque integumento, sicut est, illum cælestem sacratissimum principatum nititur contemplari, quod anagogicũ nuncupatur. Sed in hoc vltimo genere visionis ita tremit & palpitat mens humana, vt tenebris ignorantię suæ obuoluta, ad illam claritatem & veritatis lumen, nisi dirigatur, exire

*Luc. 1.* *Ingressus Zachariæ in Templũ mysticè exponitur.* *Prouer. 25.* *Eccle. 7.* *3. Reg. 19.* *Psalm. 83.* *Duo visionum genera Prophetis &c. infusa.*

non potest; sed quasi cæca & manuductione vtens, quò non videt, incedit; & incipit liquefieri per visionem & visitationem dilecti; vt nec illud de Deo concipiat, quod debet; aut velit, nec loqui possit, quod concipit, cùm cœlestis regni circumvelatum vltra, & diuini luminis incircumscriptum adhuc inuestigare nititur, & deficit inuestigans. Hæret in contemplatione mens attonita, obstupescit trepida, loquens penitus obmutescit, & inopem reddit copia, quã fecerat inopia copiosam: miroque modo proficiendo deficit; & tunc magis proficit, cùm venerit ad defectum. Cùm enim illius cœlestis, tenuissimi, & acutissimi radij lumine mentis suæ radium fugit, oportet ipsum tenuissimum esse, acutissimum & clarissimum. Quia nec spissa tenuissimis, nec obtusa acutis, nec tenebrosa conueniunt claris. Et propter hoc tantò magis ad illud lumen illuminandum, intuendũ, & acuẽdum necesse est, vt cũ tenuissimo lumine quasi sibilus auræ tenuis attenuetur. Quidquid tamẽ de Deo potest cogitare, & ad memoriam reducere, non ex subtilitate ingenij sui, vel ex perspicacitate memoriæ subtilis esse cognoscat: sed gratiæ Dei tribuat totum, qui nec totus vult agnosci, vt fides habeat meritum; nec totus abscondi, ne infidelitas inueniat locum. Quod enim de cognitione Dei à memoria per fidem gignitur, non Zacharię, sed Ioannis, id est gratiæ Dei nomen imponitur. In his igitur omnibus Ioannis natiuitas, id est ortus gratiæ figuratur, sine qua nemo venit ad patrem; nec illã potest gloriam contemplari, quam promisit diligentibus se Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Quidquid de Deo possumus cogitare, Deo tribuẽdum.*

## *De Sancto Ioanne Baptista.* SERMO II.

ECCE *ego Ioannes vidi Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui.* Videntis authoritas, visionis vtilitas, vtriúsque veritas reuelata demõstrat, quàm credibilia facta sint hæc testimonia nobis. Hæc est enim aqua sapientiæ salutaris, distillans de fontibus Salvatoris. Hic est sermo fidelis, eructuatus de pectore veritatis. Hic est solis radius, tantò lucidiùs reuerberans oculos aquilæ spiritualis, quantò sublimiùs auolauit. Secundùm igitur nomen ejus, sic & laus ejus in gratia verbi, quod fuit ab initio: quod vidit, quod audiuit, quod manus ejus tractauerunt de verbo vitę, & annuntiauit, dicens. *Ecce ego Ioannes,* &c. Non est arbitrandum, fratres, quod visio ista fuerit corporalis, quòd imaginaria, quòd animalis, sed potiùs spiritualis. Non fuit sensualis, non phantastica, sed potiùs intellectualis. Dicat ergo. *Ecce ego Ioannes vidi Angelum.* Nota, quia jam viderat Angelum descendentem, qui habebat irim in capite, signum videlicet Dei viui. Et bene, quia qui descendit, ipse est & qui ascendit, & nullus ascendit, nisi qui descendit. Solus ergo Christus descendit, & solus ascendit. Solus descendit, sed totus ascendit. Solus descendit, quia caput ad corpus. Totus ascendit, quia caput & corpus. Vnde ait. *Hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi. Vidi,* inquit, *Angelum ascendentem ab ortu solis.* Quid est, quod additum est, ab ortu solis? Numquid semper ab ortu solis est ascẽdere? Non. Semina quippe

*Apocal. 7.* *Visio spiritualis.* *Psalm. 39. & Hebr. 10.*

*Ioan. 1.* orto sole aruerunt. *Exortus est enim sol cum ardore, & fœnum arefecit* Sed & Iechonias filius Saphan cum viginti quinque viris adorauit ad ortum solis, & dixit Dominus Prophetæ. *Ezech. 8.* *Certè vidisti, fili hominis, abominationes, quas isti faciunt.* Numquid ab ortu solis ascendebant, qui sic adorabant? Igitur ab ortu solis non est semper ascendere, & tamen sine ortu solis non est ascendere. Ante quippe solis ortum erat nox, in qua pertransibant bestiæ siluæ, catuli leonum. Sed ortus est sol, & congregati sunt, & potuit exire homo ad opus suum, & operando proficere, & proficiendo de virtute in virtutem ascendere. A solis autem ortu discite parabolam. Nam sicut sol percurrit zodiacum, circuit firmamentum, spæram illuminat megacosmi; sic & in microcosmo sol justitiæ ascendit mentis affectum, accendit cor ad virtutis firmamentũ, illuminat sphæram cogitationum. Homo siquidem microcosmus, id est minor mundus, pro similitudine quam habet cum megacosmo, id est majori mundo, nominatur. Vnde in Euangelio homo mundus dicitur, ibi. *Mundus eum non cognouit.* *Ioan. 1.* Hinc est, quod primus homo vocatus est Adam, vt ex ipso nomine se microcosmũ esse agnosceret. Quatuor quippe sunt climata megacosmi, scili. oriens, occidẽs, septentrio, meridies. Et hæc quatuor ejus nomẽ insinuant. Nã ex quatuor literis nomẽ illud constituitur, videlicet anatole, quod interpretatur Oriẽs, Disis vel delta, quod Occidens: artos, quod septẽtrio, mensibrion, quod meridies. Hinc est, quòd tota successionis ejus propago ita nominis hujus videtur posse trahere rationem, vt jam non filij Adam, sed omnes Adam meritò debeant appellari. Omnes enim à die conceptionis suæ per dies quadraginta sex in vteris matrum mẽbrorum lineamentis sunt formati; ita vt quadragesimo sexto die formatione plenè cosummata infundatur spiritus in animam viuentem. Hujus formationis numerũ nominis illius elementa repręsentant. Fit enim ex Alpha, Delta, Alpha, & Mi. Alpha vnum, Delta quatuor, itẽ Alpha vnum, Mi quadraginta demonstrat. Quę si simul conjunxeris, & nomen Adam, & humanæ formationis plenitudinẽ adimplebis. Vnde & Salvator quadraginta & sex annis templum à Iudæis ædificatum prædixit soluendum, vt per hoc homo perfectus ostendatur. *Ioan. 2.* Quia si primus perfectus numerus senarius prædictum numerum multiplicet, numerum dierum complebit, qui à die conceptionis ejus vsque ad diẽ natiuitatis ipsius, nouem scilicet menses & dies sex: sexies enim quadraginta & sex, ducenta septuaginta & sex constituunt. Tot autem dies inuenies, si ab octauo Calendas Aprilis, quo conceptus de Spiritu sancto creditur, vsque ad octavum Calendas Ianvarij numerentur. Et sicut major mundus sphæram; sic & sphærulam habere dicitur minor mundus. *Exod. 25.* Vnde Moyses in candelabro tabernaculi cum cyphis & lilijs sphærulam esse præcepit: vt, quicumque in Ecclesia Dei fidei lumen habet, necesse sit, cum lilio munditiæ & doctrina sapientiæ, vt sursum vitæ suæ cogitando reuoluat. Ait enim Salomõ. *Eccle. 1.* *Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur, & gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem.* Sol igitur oritur, cùm sol justitiæ mentem per fidem illuminat: sed occidit, cùm post fidem, labitur in peccatum. Oritur sol, cùm visitat homine diluculo: sed occidit cùm subitò probat. Item gyrat per meridiem, cùm per cognitionẽ redit ad deuotionem. Reflectitur ad aquilonẽ, cùm per consensum mentis incurvatur ad tentationem. Gyrat per meridiem, cùm in meditatione exardescit ignis: flectitur ad aquilonem, cùm per iniquam suggestionem charitas refrigescit. Iam duo, ni fallor, cum suis differentijs coluri sphærulæ spiritualis apparent. *Coluri sphæræ spiritualis.* Colurus dicitur à colon, quod est membrum, & vrus, quod est bos siluestris. Vnus quidem ascensionis anabibazon, id est sursum scandens; alter descensionis, catabibazon, id est latens. Prima differentia primi est, quòd sol oritur: prima secundi, quòd sol occidit; secunda primi, quòd gyrat per meridiem: secunda secundi, quòd flectitur ad aquilonem. Sed quid ista menti conferunt? Ad hoc oritur, vt speres; occidit, vt doleas: gyrat per meridiem, vt diligas; flectitur ad aquilonem, vt timeas. Iam duobus coluris quinque innexos considera parallelos. Si igitur de orta persecutione sic timeas, vt nec deuotionem adesse sentias, nec affore credas, in mundanum timorem incides. Si verò propter occasum culpæ vel pœnæ, dolore cordis tactus intrinsecùs recogitas annos tuos in amaritudine animæ tuæ; ita tamen quòd nec spei cõsolatione nec gaudio deuotionis dolor releuetur; dolebis seruiliter, & seruilem timorem dolor pariet: *Timor seruilis quis sit.* & si bene feceris ex hoc, seruiliter facies. Si autem gaudeas in feruore, ita quòd de præteritis non doleas, nec futuras timeas tentationes, efficiaris necesse est elatus: quia tale gaudium pariet tibi præsumptionem. Sed si per fidei lumen oriatur tibi sol justitiæ, ita quòd de peccatis pręteritis doleas, & tentationis timeas recidivum; accedet statim initium sapientiæ timor Domini initialis. *Timor initialis.* Quòd si de charitatis feruore gaudeas, ita tamen, vt te semper doleas peccatorem, vt non de propitiato peccato sis securus, sed semper timeas; accedet statim castus, qui permanet in sæculum sæculi, timor filialis. *Timor filialis.* Ex hoc igitur mansiones spiritualis sphærulæ, quasi quinque Zonas majoris sphæræ discernere potes. Quarũ tres sunt inhabitabiles, duæ habitabiles. Inhabitabilium verò frigidæ duæ, & vna torrida. Quid enim frigidius timore mundano, quo diuina charitas repellitur? Frigidus etiam timor, cum quo charitas non habetur. Torridus autẽ est feruor inordinatus, contra quod ait sponsa in Canticis. *Ordinauit in me charitatem.* *Cantic. 2.* Hæ igitur mansiones omni justo sunt inhabitabiles. Temperata verò mansio est timor initialis, cùm quo charitas incipit. Temperatur etiam timor filialis, quem charitas perficit: sed & ipsa Zonarum vocabula huic nostræ videntur alludere assertioni. Mundanum quippe timorem dicimus, quando superueniente persecutionis timore bonum facere non audemus. Vnde bene arcticos appellatur. Arcticos enim ab arctos, id est à septentrione, vnde aquilo oritur, appellatur. Per hoc igitur, quod bonum facere non audemus, abundat iniquitas, & charitas refrigescit. Timor verò seruilis est, quando solo timore pœnę, non amore bonum facimus: nec in hoc charitas possidetur. Timore tamen bonum facere, vel timore bonum non facere, contraria sunt. Ergo si timor mundanus arcticos, seruilis antarcticos meritò nuncupatur. Rursus qui pro feruore suo elatus efficitur, alijs primò,

tandem sibi onerosus habetur; cùm quasi alios despicit, & ipse despicitur. Et cùm sine discretione suscipit pondus laboris, seipsum reddit alijs ponderosum. Et quia pondus portatur in humeris, humerinos ab efficienti causa non immeritò nuncupatur. Quia verò per initialem timorem charitas paulatim accenditur & ascendit, merito terinos tropicos appellatur. Nam Philosophi circulum illum terinos illos tropicos appellant, quo sol ab inferiori signo, videlicet capricorno, magis ac magis feruet & ascendit. Vnde quia quò inferiùs descendat nō habet, tropicos appellatur, id est conuertibilis. Et quia tali ascēsu magis ac magis feruet æstas, ateros, quod est æstas, appellatur. Et quia in superiore gradu virtutum timor est filialis, nihil enim differt à charitate, meritò chimerinos tropicos appellatur. Nam chimerinos tropicos ille circulus appellatur, quo sol ab eminentiori signo, scilicet cancro, per Zonam hiemalem reflectitur ad capricornum. Vnde quia altius ascendere non valet, tropicos dicitur. Et quia ad hiemalem reuertitur, chimerinos, id est hiemalis meritò nominatur. Nihil ergo timore filiali sublimius, qui tunc perfectus probatur, si semper magis ac magis se homo humiliet; & velut operarium malum & indignum se judicet, juxta illud. *Cùm hæc omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus.* Et iterum. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* His ergo simul collectis & consideratis, considerandum est, quomodo duodecim gradibus solarem sphæræ circulum sol ascendit. Hæc est enim corona stellarum duodecim, de qua Ioannes ait. *Signum magnum apparuit in cælo; mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Signum, id est figura magnæ rei in cælo, id est in cœlesti mente apparuit, quando mulier, id est anima protegitur, & affectus omni defectui dominatur: & in capite, id est in mente ejus, est corona, id est perfectio stellarum duodecim, quæ duodecim signa vocantur. Nam quæ verè stellæ sunt, signa dicuntur; quia & aliud sunt, & aliud significant. Neque enim istum realem solem, dum circulum suum peragit, capros cornutos, pisces, arietes, vel aliquid tale, intrare credendum est. Sed in istis aliud dicitur, aliud designatur. Quid enim in capricorno, qui caper cornutus dicitur, nisi fœtor peccati designatur. Cujus cornua sunt, de quibus dicitur. *Et omnia cornua peccatorum confringam.* Vnde & Angelo Pergami, id est cornua dissipanti, scribere Ioannes iubetur. Sol ergo intrat capricornum, cùm mentem peccato fœtidam veritatis cognitio possidere incipit; cùm mens se vitiatam esse peccato incipit cognoscere: quia prima virtus est, *Gnothi seauton*, id est, nosce teipsum. Post hæc ascendit in aquarium, cùm recogitans annos suos in amaritudine animæ suæ, lauat per singulas noctes lectum suum lacrymis, vt sint oculi ejus piscinæ in Hesebon, & facies ejus quasi nubes effundens pluvias lacrymarum. Post hæc ascendit in pisces, cùm inter aquas lacrymarum pennulis spei se subleuat, & protegit patientiæ squamis: ne vel multitudo scelerum, vel magnitudo dolorum per impatientiam ipsum in profundum demergat, siue in desperationem. Hinc ascendit in arietē, vt jam seipsum per rationem regendo, & serpentis astutiam in cornibus, & ouis simplicitatem in vellere se demonstret habere, sicut scriptum est. *Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* De hinc ascendit in taurum, cùm per istam simplicem astutiam, vel astutam simplicitatem, seipsum offert sacrificium Deo in odorem suauitatis; vel foris per mortificationem carnis, vel intus per spiritum contribulatum. Taurus enim sacrificij spiritus contribulati typum gerit, vt in Euangelio. *Tauri mei, & altilia mea occisa sunt*; id est illi, qui per martyrium corporis; vel illi, qui per deuotionē mentis mihi placuerunt. Post hæc ascendit in geminos, in signum geminæ charitatis. Vnde notandum, quia sunt quidam, qui sicut sibi volūt per delicias indulgeri, sic & alijs. Et sunt alij, qui sicut sibi per abstinentiā austeri, sic & alijs. Alij verò sunt, qui deliciosè viuendo, sibi parcunt, & austeri sunt subditis. Sunt & alij, qui per mortificationem carnis sibi duri sunt & austeri, & tamen charitatis ardore succensi, circa necessitatem proximorum beneuoli. In istis itaque geminę charitatis, Dei videlicet & proximi, relucet insigne, qui per deuotionem ardent intus, & foris lucent per compassionē. Sic quippe sol justitię intrare debet taurum per passionem, vt in geminos transeat per compassionem. Dohinc intrat cancrum, vbi fit terinos tropicos, videlicet solstitiū æstiuale, quo sol altius ascendere non valet: per quòd, vt dictum est, designatur timor filialis; cùm ceditille, qui est initiū sapientiæ, scilicet initialis, qui significatur per chimerinos tropicos, id est solstitium hiemale. Quod fit, quando sol intrat capricornum, & è regione respicit solstitium æstiuale: quod fit quando sol intrat cancrum, quod est signum humilitatis. Vnde. *Curva retro cedens cùm fert vestigia cancer.* Custos enim omnium virtutum est humilitas. Quia quantò major est homo, humiliare se debet in omnibus, vt cùm omnia fecerit, dicat, seruus sum inutilis. Et illud Prophetæ. *Ad nihilum redactus sum, & nesciui; vt jumentum factus sum apud te, & ego semper tecū.* Sed quia nimia humilitas sic simplices solet dejicere, vt ex nimia sui dejectione deficiant: ita decet hominem esse humilē, vt viriliter agat, & cōfortetur cor ej⁹: vt & cancro sit similis humilitate, & leoni magnanimitate. Humilitas ergo roboretur fortitudine, & fortitudo roboretur humilitate. Fortitudo quippe operis custodit exteriorem, humilitas ab omni vitiorum corruptione seruat hominem interiorem. In signum quippe incorruptionis sol intrat virginem: sub quo signo de semine humilitatis metit in gaudio fructum bonæ actionis. Sed quia non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri: maximè cùm in mundo nihil sit stabile, sed omnia varientur sub sole: necesse est, vt in recta libra mentem ponat, & quasi quoddam spirituale mentis æquinoctium faciat; & æquare sciat dies noctibus, & noctes diebus. Quod tunc dignè fit, si nec aduersitas plus debito mentem deprimat, vel in altum erigat prosperitas: quod duobus modis fieri solet, timore videlicet & amore. Quòd si timor operatur, initialis videlicet, quē perfecta charitas foras mittit, fit ęquinoctium, sed vernale; quod fit sub ariete: eo quòd solicitus sit & humilis sub timore. Cornibus enim tuetur per solicitudinem, & ouino calefit vellere per humilitatem. Quòd si amor operatur, fit æquinoctium, sed autumnale, & in libra

Marginalia: Tropicus Capricorni. — Tropicus Cancri. — Timor filialis humilitate perfectus probatur. — Luc. 17. — Eccli. 3. — Apocal. 12. — Signa Zodiaci spiritualiter explicata. — Psalm. 74. — Capricornus. — Aquarius. — Pisces. — Aries. — Matt. 10. — Taurus. — Matt. 22. — Gemini. — Cancer. — Psalm. 72. — Leo. — Virgo. — Libra.

rectitudinis constitutus, excellentiori via graditur charitatis, ne declinet ad dexteram, vel ad sinistram. Non enim declinat ad sinistram, si nouissima sua recogitans, ab auditione mala, & vltima formidat. Horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis. Horribilis erit dies tenebrarum & caliginis; quando sol erit sicut saccus cilicinus, & obtenebrescet cauda scorpionis: quando ille, qui quasi agnus coram tōdente se obmutuit, in extremo examine quasi leo rugiet; & quasi serpens sibilabit muscis Ægypti, arguens in furore & dicens. *Hæc fecisti & tacui* Et illud. *Ite maledisti in ignem æternum.* Propter hoc scriptum est. *Fili memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Tunc etiā sol iustitiæ à cauda scorpionis sagittarium ingrediens, & sagittas potentis acutas emittens, reddet vnicuique secundum merita sua; vulnerans inimicum ad mortē æternam, & amicum ad dilectionem: quando tunc fortis erit vt mors dilectio in anima beata, quę dicere poterit. Vulnerata charitate ego sum. Tunc sol intrabit sagittarium, quando irim, quam nunc habet in capite, in manu portabit: sententiam in præscientia absconditam opere demonstrabit. Hęc est enim sphæra cœlestis, quæ nobis aperit Galaxiam, viam videlicet eo lacteam, quo candidam pariter atque dulcem. Gnomone igitur rationis apposito infra circulos tales super nihili, vir sapiens & intelligens hæc, super nihili corporis sui terram appendat, cum Apostolo dicens. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quando confringetur hydria mea ad fontem; quando conteretur rota ad cisternam? Quando conuertetur pulvis in pulverem, quando veniet requies post laborem, libertas post seruitutem? Hæc faciat nobis, fratres, & hæc addat gratia Dei Patris, per Dominum nostrum Iesum Christum.

*Dies Iudicij horribilis.*

*Psalm. 49. Matt. 25. Eccli. 7.*

*Rom. 7. Eccle. 12.*

## *De Sancto Ioanne Baptista.* SERMO III.

ERAT *Ioannes lucerna ardens & lucens.* Ardēs deuotione, lucens opere: ardens verbis, lucens exemplis: ardens sibi, lucens proximis. Non erat ille lux, sed lucerna: & hoc propter lucis modicitatem: (Vnde scriptum est, *Illum oportet crescere, me autem minui*:) propter infirmitatem; quia purus homo fuit: propter obscuritatem, quia lucis thesaurum abscondit in vase fictili. Hæc est lucerna, quam accendit Euangelica mulier, & euertit domum, vt dragmam decimam inueniret. Mulier siquidem est sapiētia Patris. Hanc lucernam in ipso vtero matris accendit; vt dragmam decimam, quæ perdita erat, inueniret: hoc est, vt lapsorum Angelorū humano genere dignitatem suppleret. Nam cùm nouem creati sint ordines, tot de vnoquoque ceciderunt ordine, vnde fieri decimus posset: quorū loca ex hominibus complenda sunt. Propter hoc nouem dragmis nouem comparantur ordines Angelorum; dragmæ decimæ comparatur genus humanum: propter quam etiam domum euertit, videlicet synagogam, de qus dictum est. *Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Scriptum quippe est. *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem.* Hanc enim euertit, vt plenitudo gentium intraret; & sic omnis Israël salvus fieret. Quia ergo jam extincta erat lucerna, de qua scriptum est, *habetis Propheticum sermonem, cui vos intendentes, tamquam lucernæ ardenti in caliginoso loco, benefacitis:* accendit hanc lucernam Dominus; quæ accensa fuit in vtero, exposita in deserto, emuncta in Iordane, extincta in carcere. Bene ergo dicitur. *Erat Ioannes lucerna ardens & lucens.* Lucerna enim ardens, & non lucens est: qui sibi prodest & non alijs. Lucerna verò lucens est, & non ardens: qui alijs prodest & non sibi. Lucerna verò nec ardens, nec lucens est, sed extincta: qui Prælati locum occupans, nec sibi prodest, nec alijs. Ioannes autem lucerna fuit ardens & lucens: qui sibi profuit & alijs. Ideo commendatur ejus sublimitas multis modis. Primò Christo testimoniū perhibente, quòd inter natos mulierum, non surrexit major Ioanne Baptista. Secundò quòd vbicúmque occurrit mentio de Ioanne in Euāgelio, commendatur à Christo. Non ergo mēdicat humanæ laudis suffragia, qui laudatur à Deo: quia dicere potest, *in Domino laudabitur anima mea.* Tertiò, quòd ejus Natiuitas per Gabrielem Archangelū, & inter sancta sanctorum fuit prænuntiata. Quartò quòd exultauit in vtero, matre Domini veniente, & Elizabeth prophetante. *Et vnde hoc mihi: vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* In vtero ergo sanctificatus priùs fuit sanctus, quàm natus. Quintò, quòd quicquid sanctitatis alijs Deus per partes contulit, totum in Ioanne conflauit. Propheta siquidem fuit, imò plusquam Propheta: quia eum, de quo prophetauerat dicens, *venit fortior me post me; cujus non sum dignus corrigiā calceamenti soluere,* digito demonstrauit & ait. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Apostolus etiam fuit, sicut scriptum est. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* Apostolus verò missus interpretatur. Martyr quoque, quem Herodes in carcere decollari præcepit. Confessor etiam fuit, quia *confessus est, & non negauit: & confessus est: quia non sum ego Christus.* Nec caruit virginitatis honore, qui cum mulieribus coinquinatus non fuit: sed secutus est agnum quocumque iuit. Eremita quoque fuit, qui viam Domino in eremo præparauit. Lucerna ergo fuit: quæ tamquam ignis altera columna, euntibus per desertum lumen præbuit. Illuminat enim miraculum conceptionis, gaudium natiuitatis, sanctitas in conuersatione, humilitas in sublimitate, veritas in prædicatione, zelus in correctione, constantia in passione. Lucebat ergo vitæ merito; lucebat verbo: lucebat exemplo. Lumen præbuit nobis in ingressu, in progressu, in egressu. Ingressus ejus illuminat opera nostra prima & initialia; progressus media & progressiva: egressus vltima & consummativa. In ingressu suo commendatur gratia operans, in progressu gratia cooperans: in egressu gratia consummans. Ioannes quippe gratia interpretatur. Ioannis ergo natiuitas, id est ingressus ejus in mundum, ortum gratiæ nobis repræsentat. Hunc autem ortum gratiæ, multa nobis commendant priuilegia: videlicet tempus natiuitatis, vtriusque parentis nomina, nobilitas generis, vitæ sanctitas, dignitas officij. Natiuitatis tempus Lucas cōmemorat, vbi ait. *Fuit in diebus Herodis Regis Iudeæ.* Sicut lumen cæcis, ægris medicina, libertas servis, fessis re-

*Ioann. 5.*

*Ioan. 1.*

*Quot ceciderint Angeli.*

*Matt. 21.*

*Luc. 16.*

*2. Petri 1.*

*Ioan. 5.*

*Quæ lucernæ ardeant vel luceant, quæ non.*

*Matt. 11.*

*Psal. 33.*

*Priuilegia S. Ioannis.*

*Luc. 1.*

*Marc. 1.*

*Ioan. 1.*

*Ibidem.*

*Luc. 1.*

quies, sic ortus gratiæ gratus fuit in diebus Herodis. Cessauerat jam in Iudæa regnare mansuetudo Dauidis, Sapiētia Salomonis, Ezechiæ religio, simplicitas Iosiæ: & regnabat Herodis crudelitas. Adveniente siquidem sancto sanctorum, jam cessabat vnctio; & sedere inceperant filij Israël, sine Rege, sine Principe, sine Theraphim. Non erat gloria filię regis abintus, quia pellis gloria jam regnabat: sic enim interpretatur Herodes. In his quę foris sunt, erat Iudęæ gloria, quia intus erat ignominia plena. Sed in diebus malis creuit inter spinas lilium: & malus inter ligna silvarum. *Sacerdos quidam nomine Zacharias.* Zacharias autem memoria Domini interpretatur. *In diebus malorum,* ait sapiens, *ne immemor sis bonorum.* In diebus Herodis noli obliuisci tui creatoris. *Diem hominis,* ait Ieremias, *non desideraui.* Quid est dies hominis? Prosperitas mundi. *Dies ille,* ait Iob, *vertatur in tenebras: nec computetur in diebus anni.* Prosperitas verò mundi, pellis gloria est. Ergo dies hominis, dies est Herodis. Sed in diebus Herodis fuit Zacharias. Hic est primus ortus gratiæ, cùm occurrit memoria Dei, inter prosperitates mundi, & delectationes peccati. Sed nec ephimera, nec transitoria debet esse talis memoria: sed constans, sed morosa: donec in cogitationibus suis de cogitationib' bonis creationis vel recreationis dulcedine, tamquam de lautioribus cibis anima satietur. Non ergo quilibet Zacharias: sed cujus vxor fuit Elizabeth. Zacharias quidem memoria Domini, Elisabeth Dei mei satietas interpretatur. Sed quandoque sunt dona à spiritu & in spiritu: quandoq; verò dona sunt, à spiritu, sed non in spiritu. Datur quippe quibusdam spiritus & personaliter, & per dona, vt claustralibus castè & religiosè degentibus: scholaribus verò peccantibus mortaliter, dona sunt à spiritu, sed non in Spiritu S. personaliter inspirato; qui quidem de Deo habent memoriam, sed non in Deo, nec propter Deum: sed vt vocentur ab hominibus Rabbi. Propter hoc necesse est, vt solo Dei intuitu sit hæc memoria; vt sint Elizabeth & Zacharias ambo justi ante Deum, & sine querela. Quidā quippe sine querela proximorum sunt; sed non sunt justi ante Deum. Alij circa opera justitiæ se exercent, & sine querela sunt, sed non ante Deū: quia ad favorem hominum circa hujusmodi se exercent. Alij verò justi sunt ante Deum, sed sine querela non sunt inuidentium: quoniam alia est justitia inficiens, vt Saducæorum: vnde Saducæi justi interpretantur: alia insufficiens, vt Scribarum & Pharisæorum: vnde dicitur. *Nisi abundauerit justitia vestra plusquam Scribarum, Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Alia sufficiens secundum quid, hoc est secundū tempus. Vnde Adam & Heua justi facti sunt, secundum quod tempori congruebat, id est innocentes: sed nullum justitię signum habentes. Vel dicitur sufficiens lex Mosaïca secundum tempus, in quo data est. Data siquidem incipientibus fuit & neophytis: quibus lex illa sufficiebat ad tempus: quia perfectis non sufficit. Nihil enim ad perfectum adduxit lex. Vel dicitur justitia sufficiens: respectu illius, de qua dictum est. *Erat Noë vir justus in generationibus suis.* Vel dicitur simpliciter sufficiens justitia naturalis, scilicet, *quod tibi non vis fieri, alij ne feceris: & quod vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite eis:* sed justitia consummatiua, Evangelica justitia est; de qua dicitur. *Qui te percusserit in maxillam, prabe ei & alteram.* Tamen nec sine querela, nec sine murmure sustinetur plerumque. Iustitia ergo perfecta ante Deum, & sine querela est, quæ vnicuique jus suum reddit. Quod tunc dignè fit, si Deo jus suum reddat Religio, pietas parentibus, innocentia minoribus, amicitia ęqualibus, reuerentia majoribus, concordia proximis, misericordia egenis. Sic erant isti ambo justi ante Deum, & sine querela. Vel dicitur Zacharias justus, & sine querela: quando memoria Dei nihil habet infidelitatis admixtum, vt sit justa: nec odij vel rancoris ad proximum, vt sit sine querela. Vt ad Deum sit; siue de Deo sit siue non sit. Sunt enim quidam motus de Deo, sed non ad Deū: vt si blasphemamus. Quidam ad Deum, sed nō de Deo: quando proximis compatimur. Quidā nec de Deo, nec ad Deum: quando movemur ad adulterium. Quidam de Deo & ad Deum: quando ipsum perfectè diligimus. Et hæc est justitia ante Deum, & sine querela. Igitur Zacharias *intrauit in templum hora incensi.* Per incensum oratio designatur. Vnde Dauid. *Fiat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Hora ergo incensi, hora orationis est. Sed quæ est hora orationis? Cùm Tobias dicat, *Omni tempore benedic Deum.* Et Psalmista. *Benedicam Dominū in omni tempore.* Vnde notandū, quòd triplici seruitute Deo tenemur. Debita, pia, & instituta, debita seruitus est, quæ est latriæ; pia, quæ est operum misericordiæ: constituta, quæ est ex hominum institutione. Institutū est enim, vt Regularibus horis laudemus Deum, plusquam in alijs: vnde seruitute instituta magis tenemur seruirę vna hora quam altera. Sed seruitute debita siue pia, nullus magis tenetur seruire vna hora quàm altera. Horæ verò institutionis octo sunt: quas Esdras primò quidem instituit: sed Dominus operibus suis, eumdem numerum postmodum confirmauit. Nam de hujusmodi horis ait Psalmista. *Septies in die laudem dixi tibi: & media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Hic autem sacratus numerus tunc impletur: si * prima, tertia, sexta, nona, vespera & completorio, & nocte media surgamus ad confitendum Deo super judicia justitiæ. Prima, quia tunc à Iudæis Christus traditus est Pilato, jam consputus & illusus, & cæsus alapis, ligatus & saturatus opprobrijs. In hac etiam hora à mortuis resurrexit, Marię Magdalenę apparuit, & visus est in littore septem discipulis, quibus ait. *Pueri numquid pulmentarium habetis?* Hora tertia fuit spinis coronatus: linguis Iudæorum crucifixus: & Spiritus sanctus in die Pentecostes discipulis datus. Hora sexta fuit clauis in cruce affixus: & eadem hora discipulis cernentibus ascendit. Hora nona tradidit spiritum, & lanceatus duo nobis de latere sacramēta emisit, aquam baptismi & sanguinem redemptionis. In vespera depositus de cruce fuit: eadem hora discipulis suis sacramentum corporis & sanguinis sui dedit. Eadem etiam hora duobus discipulis eūtibus in Emmaüs in fractione panis cognitus fuit. In completorio egresso Iuda traditore ad Iudæos cœpit Iesus pauere & tędere; & factus in agonia prolixiùs orauit; & guttas sanguinis prostrato corpore sudauit. Media nocte nato Domino, Pastores vigilantes vigilias no-

Luc. 1. Eccli 11. Ierem. 17. Iob 3. Primus ortus gratiæ memoria Dei. Quæ sint dona à Spiritu & in Spiritu. Matt. 5. Genes. 6. Matt. 7. Matt. 5. Iustitia perfecta ante Deum quæ nam sit. Luc. 1. Psalm. 141. Tobiæ 4. Psalm. 33. Triplici seruitute Deo tenemur. Psalm. 118. Septem horæ Canon. laudando Deo institutæ. *matutino Ioann. 21.

ctis super gregem suum, audierunt clamantes Angelos. *Gloria in excelsis Deo.* Hac etiam hora clamor fiet, *Ecce sponsus venit.* Eadem hora Samson portas allophylorũ cum vectibus suis fregit, in signum Christi, qui tunc nobis aperuit portas inferni. Vnde canimus. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filijs hominum: quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Istæ sunt horæ incensi. Zacharias ergo hora incensi intrat templum: quãdo memoria Dei cor intrat, vt laudemus Deũ: & hæc satietas memoriæ Dei gratiam gignit sordium mundatricem, & vias Domini præparantem in eremo mundi hujus: quoniam Elizabeth magnum virum genuit, Ioannem Baptistam, præcursorem Domini.

*Luc. 2.* *Matt. 25.* *Psalm. 106.* *Quid sit Zachariam templum intrare.*

## SERMO. *In Natali Apostolorum Petri & Pauli.*

CVM *abieris à me hodie, inuenies viros duos juxta sepulchrum Rachel in finibus Benjamin meridie, salientes magnas foueas, dicentque tibi. Inuenta sint asinæ.* Ecce carissimi, qua ratione suspirabat filia Caleb, quàm justè conquesta est de sterilitate Dabir, quæ alio nomine Cariathsepher vocabatur: qua etiam necessitate sibi jungi voluit irriguum superius & inferius. Valde enim sterilis sermo diuinus inuenitur, si literæ superficies attendatur. Hoc enim significat sterilitas Dabir, quæ interpretatur eloquentia, quæ etiam Cariathsepher vocabatur, id est ciuitas literarum. Nam propter hoc ait Psalmista. *Quoniam non cognoui literaturam;* id est, quia literæ non adhæsi, *introibo in potentias Domini.* Necesse est ergo, vt adjungatur ei irriguum superius, & irriguum inferius: scilicet vt affectum irriget humor gratiæ spiritualis, quo ad diligendum Deum, quasi ad irriguũ superius, & ad diligendũ proximũ vt ad inferius, animus moueatur. Quid enim nostra interest, qua negligentia asini Cis fuerint perditæ, qua solicitudine quæsitæ, qua vtilitate inuentæ? Sterilis planè est in hac parte Dabir, nisi ei vtrũque irriguum adjungatur. Vnde notandum est, quòd in sacro eloquio per asinas secundùm allegoriam, simplices & idiotæ, secundùm verò tropologiam animi motus figurãtur, sicut scriptum est. *Boues arabant, & asinæ pascebantur juxta eos. Asinæ,* ait Gregorius, *juxta boues pascuntur; quando simplices prudentum intelligentia reficiuntur.* Sed asinæ per negligentiam Pastorũ plerumque pereunt; dum alij labores, inimicitias, vel odia subditorum intrare volentes, sub specie libertatis ipsos tamquam onagros, per abrupta vitiorum liberos abire permittunt. Quod quàm malum sit, negligentia Sacerdotis Heli nobis ostendit. Cujus tabernaculum Deus repulit; quia circa subditos dissolutus & mollis fuit. Alij sub specie seueritatis truculentiam induentes, disciplina, fame, laboribus, subjectos affligũt, non vt solùm premant, sed opprimãt: quorum Cis imaginem tenet, cujus asinæ perierunt. Cis enim durus interpretatur; & ex ipso nomine eorum duritia figuratur, qui subditis suis imponunt onera grauia & importabilia: similes ministris, non Christi, sed Regis Ægypti, qui filios Israël affligebant operibus, nec paleas dabant. Quid est, paleas non dabant? Temperamentum oneribus non imponebant. Nam per paleas temperamentum accipitur, vt ibi. *Ipsi liniebant parietem luto absque palea,* id est, absque temperamento. Vnde subditur. *Dic eis, qui liniunt parietem absque temperamento, quòd casurus sit.* Non sic, non sic Emmanuël vescebatur caseo & felle, sed butyro & melle: vt sciret reprobare malum, & eligere bonum. Nam vt malum à bono discerneret, & bonum à malo, vtebatur melle & butyro, non felle & caseo. Et quis est Emmanüelis cibus? Ipse nobis exponit in Evangelio, vbi ait. *Cibus meus est, vt faciam voluntatem patris mei.* Ergo circa judicia, quibus bonos à malis discernit, vtitur melle dulcedinis, humore pietatis, pinguedine charitatis. Butyrum quippe naturaliter est pingue & humidum. His vtitur sapientia Dei Patris, videlicet Emmanuël; cui omne judicium dedit Pater, vt semper pronus esset ad judicia dispensatiua & remissiua, non punitiua: charitate, pietate, dulcedine; non felle amaritudinis, non siccitate inhumanitatis, neque duritia crudelitatis; sicut isti, qui in judicijs suis semper inueniuntur amari, inhumani & duri, quasi felle, quod amarum est, vtentes; & caseo, qui durus est & siccus; non melle, quod dulce est; vel butyro, quod est humidum & pingue. Cùm igitur grauibus affligunt subditos oneribus, qui tamquam animalia Dei ad suscipienda onera sponte se inclinant, nonne quasi Chaldæi tres turmas faciunt, vt beati Iob camelos auferant, vel fornacem pueris accendant? Chaldæi quippe feroces interpretantur: & cùm ferocitate sua subjectos premunt, non domesticos, sed Dei se persecutores ostendunt. Sicut autem per Iob Christus, ita per Chaldæos ejus persecutores figurantur. Et cùm ad Christi passionem Herodiani, Saducæi, Pharisæi pariter conuenerunt; quasi tres turmas Chaldæi fecerunt. Sic igitur isti, cùm subditos oneribus premunt, & crudelitate Herodiani, & falsa justitia Saducæi, & simulata religione Pharisæi facti sunt; in omnibus verò Chaldæi. Vel certè cùm zelo amaritudinis vrunt animas subditorum, crudelitate sua, tamquam Chaldæi pueris accendunt fornacem. Pueris inquam illis, de quibus dictũ est. *Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Deus.* Isti ergo verborum Petri Apostoli surdi auditores, volũt potiùs in Clero dominari, quàm fieri forma Cleri; non attendentes, quòd vnus est magister noster, nos autem omnes fratres sumus. Et vt sciant humiliari, locum attendant, cujus typũ tenent, vel in arca Noë, vel in tabernaculo Moysi; nam in vtroq; figurata est Ecclesia Dei. *Facta sunt,* ait Scriptura, *in arca cœnacula & tristega,* id est distinctiones, quas alia translatio vocat bicamerata & tricamerata, scilicet cameras quinque, quarum prima dicebatur stercoraria, secunda apothecaria, tertia immitiũ animalium, quarta mitium, quinta hominum & auium. In prima ordo eorum, qui curam habẽt animarum, figuratur. Qui dum confessiones suscipiunt, apud ipsos peccata quasi sordium fæces confitentes emittunt. Secunda Doctorum ordinem repræsentat, qui de sententijs Scripturarum condiunt salutis pigmenta. Tertia eorũ qui sũt in Ecclesia Dei, nomine, non numine; numero non merito: à quibus area purgari nõ potest, donec ventiletur. Quarta mitium & obedientium subditorum; quinta rationabiliũ hominum & contemplativorum. Tabernaculũ

*1. Reg. 10.* *Iudic. 1.* *Psalm. 70.* *Asinæ simplices & idiotas denotant.* *Iob 1.* *Grego. ibid.* *Ezech. 13.* *Cibus Emmanuëlis quis.* *Ioann. 4.* *Adversus Prælatos crudeles.* *Isai. 8.* *1. Petri 5.* *Genes. 6.* *In arca fuere 5. mansiones.*

*Exod. 26.* quoque Moysi quatuor tegebatur operimentis. Primò sagis capillatijs siue cilicinis; secundò pellibus arietum rubricatis, tertiò cocco bis tincto, quartò verò æquè pellibus arietum hyacinthinis. In istis illi qui Ecclesiam Dei protegunt, figurantur. In primo Prælati, qui ventis & imbribus exponuntur: in secundo actiui, qui laboribus afflicti, quasi pelles arietum rubricantur: in tertio charitatiui, qui etsi laborare nequeunt, ad honorem Dei & vtilitatem proximi de proprio beneficia largiuntur: in quarto contemplatiui, qui cœlo similes, tamquam pelles hyacinthinæ cœlestia contemplantur. Ecce mãsionibus stercorarijs, & sagis, isti de quibus loquimur, comparantur cilicinis. Vnde igitur eis tantæ superbiæ fastus, si tam vilis eis sit in Ecclesia locus? Quomodo ergo in Clero dominari volunt, cùm sit vnus magister noster Christus, nos autem omnes fratres simus? Aut quomodo de oculis trabem non eijciunt, qui de oculis fratrum festucã eijcere volunt? Nam sicut Augustinus ait, Sacerdos, cui omnis offertur peccator, ante quem constituitur omnis languor, nullo eorum sit judicandus, quæ in alio judicare est promptus. Iudicans enim alium, qui est judicandus, condemnat seipsum. Cognoscat igitur se; & purget in se, quod alios viderit sibi offerre. Caueat & à se projiciat, quidquid in alijs damnosum reperit. Animaduertat, quòd qui sine peccato est, primus in mulierem lapidem mittat. Ideo enim liberauit peccatricem; quia non erat, qui justè in mulierem projiceret lapidem. Sed jam sub tali Prælato quid bonus subditus mereatur, audiamus. Sequitur enim. *Erat autem filius Saul electus & bonus, qui super alios eminebat ab humeris & sursum: nec erat eo melior inter filios Israël.* Non est laudabile bene viuere, cùm nemo malè viuere suadet; sed gloriosum est, non consentire suadenti: gloriosius etiam tentationi resistere, quàm tentari non posse. Nam quis magis mereri meruit, vel Petrus, qui tunica sua cinctus ad Christum super mare venit; vel illi qui venerunt nauigio? Quid enim fluctus maris, nisi fluctus tẽtationis insinuat? Et quid est super mare ad Christum venire, nisi, vt ad Christum veniatur, fluctus tentationis calcare? Et quid est venire nauigio, nisi ad Christum accedere, absque tẽtationis incommodo, imò consolationis remedio? Quia igitur Prælati austeritas nihil est aliud bono subdito, quàm lima ferro, fornax auro, flagellum grano, torcular vino, tantò laudabilis subditus approbatur, quantò patienter flagella sustinet; quorum tunsione virtus defæcatur. Tales insinuat filius Cis: & ideo bonus dicitur, & electus. Vnde & meritò perditarum ei cura committitur asinarum, vel vt meliùs dixerim, animarũ: quia talis dignus est prælatione, qui per patientiam compati didicerit passionibus subditorum, & vigilare solicitus sit, inquirendo quod perierat; quomodo consolidet, quod confractum erat, quod debile sustineat, quod forte & pingue custodiat. Nam solicitudo quærendi animas cõmendatur, cùm dicitur. *Et quæsiuit eas per montes Ephraim.* Duob⁹ modis circa curam animarum Prælatus debet esse solicitus, exemplo scilicet & doctrina. Necesse est enim, vt subditis exemplum laboris prębeat, corpus castiget, & in seruitutẽ redigat; ne cùm alijs prędicauerit, otiositas eũ redarguat. Mõtes autem Ephraim laboris grauedinem circa bonę fructum operationis insinuant. Vnde Ephraim interpretatum frugifer sonat. Sed quoniam nõ sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, necesse est, vt quasi transeũdo per mõtes Ephraim quærat, donec veniat ad terram Salisam. Quia solum solidum est elementum, per terram non immeritò soliditas figuratur. Salisa verò triennalis interpretatur. Est igitur terra Salisa terra triennalis; de quo triennio loquitur Isaïas, vbi ait. *Comede, quod hoc anno repereris, secundò quod sponte nascitur, tertiò seminate & plantate vineas; comedite & bibite.* Vnde sciendum, quòd ex quo nascimur, nobis à Deo collata naturalia reperimus. Cum illis enim nascimur, nec esse possumus sine illis. Comedere ergo anno primo ea quæ reperimus, est vti dignè naturalibus, scilicet memoria, ingenio, ratione, libero arbitrio. Sponte verò nascuntur gratuita; ideo sponte, quia nullis præcedentibus meritis: alioqui non essent gratuita, id est gratis data. Comedere ergo anno secundo ea quæ sponte nascuntur, est vti dignè gratuitis. Vnde Apostolus. *Rogo vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Tertio autem anno seminare debemus & comedere, vt liberum arbitrium gratuitis adjungentes, secũdùm nobis à Deo collatam gratiam voluntariè quod bonum est operemur. Simplices ergo subditos exemplis erudit, vel fatuos motus in se compescit, qui sic vti nouit naturalibus & gratuitis, vt vsibus eorum dignè mereatur, & exercitijs. In omnibus tamen quæ facit, nesciat sinistra sua, quid faciat dextera sua: ne pro tẽporalibus & caducis, sed pro cœlestibus faciat & æternis. Transeat de terra Salisa per terram Iemini. Iemini quippe dextera interpretatur. Ergo per terram Iemini viator iste transeat, vt nihil sinistræ, sed quod est dexteræ semper inquirat. Sed quoniam persecutionũ timor multos à bono proposito retrahit, & ad illicita trahit; necesse est, vt in hac parte se muniat, nec à bono proposito propter persecutionum timorem resiliat; sed ad motus simplices inquirendos, etiam terrã Salim pertrãseat. Salim quippe vulpes interpretatur; per vulpes verò persecutores figurantur. Vnde Samson cum facibus ardentibus vulpes discurrere fecit per sata Philistinorum; quia Christus nonnũquam permittit crudeles persecutores bona destruere impiorũ. Sit igitur ad omnia circumspectus & prouidus, vt perueniat ad terram Suph. Suph quippe specula interpetatur. Est autẽ triplex specula. Prædicationis, de qua dictũ est. *Speculatorem dedi te filijs Israël,* Contemplationis, de qua dictum est. *Pone tibi mensam, & contemplare in specula* Circumspectionis, de qua dictum est. *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudinem, & dirige cor tuum in vias rectas.* Igitur ad speculam circumspectionis accedat, id est ad terram Suph. Scriptum est enim. *Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Inopinata siquidem morte Isboseth extinctus legitur, quem Scriptura ostiariam, non ostiarium habuisse testatur. Cujus hostes, dum ostiaria purgans triticum obdormisset, assumentes spicas tritici latenter ingressi sunt, & eum in inguine percusserunt. Ostiaria siquidem triticum purgat, cùm mens à vitijs virtutes separat. Quæ si per negligentiam obdormierit: ad interficiendum animum mali-

Marginalia (left): *Qui Ecclesiam protegunt, operimentis Tabernaculi cõparantur.* — *Ioann. 8.* — *1. Reg. 9.* — *Prælati austeritas bono subdito lima est,* &c. — *1. Reg. 9.* — *Prælatus exemplo & doctrina debet fulgere.*

Marginalia (right): *4. Reg. 19.* *Isai. 37.* — *Comedere fructus triũ annorum, quid sit.* — *2. Cori. 6.* — *Iudic. 15.* — *Ezech. 3.* — *Isai. 21.* — *Ierem. 31.* — *Prouer. 4.* — *Excutienda negligentia.* *2. Reg. 4.*

*Maligni spiritus latrones spirituales.*

mum malignis spiritibus iter pandit. Qui ingressi spicas auferunt, quia bonarum cogitationum germina tollunt: & in inguine feriunt, quia virtutem cordis delectatione carnis occidunt. Vnde Isboseth vir confusionis dicitur; quia omni confusione dignus est, qui virili custodia munitus non est. Perseuerantiā autem solicitudinis suæ, & finem finalem sui operis in illum dirigat, qui est bene operantium finis, sine quo nihil facere potest; & per quem etiā impossibilia potest. Qui petentibus & quærentibus promittit dicens. *Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis.* Ergo finaliter sit sua petitio Deus. Sicut de hoc electo filio Cis legitur, quòd tandē venit ad Samuël in Ramatha. Samuël quippe petitio mea Deus interpretatur. Ad Deū igitur, qui finis esse debet omnis nostræ petitionis, in Ramatha venit, qui cælesti desiderio accensus, viam mandatorū ejus currit. Rama quippe excelsum interpretatur. Et quid excelsior cælo? In Ramatha Samuël inuenitur; quia justis ad Deū petitionibus, & in hac vita merito, & post hanc vitā præmio pervenitur. Vnde Samuël ait. *Cùm abieris à me hodie,* &c. Malè vadit, qui à Deo non vadit; quem via justificationū non instruit; quem in veritatē non inducit. Sed à Deo vadit, qui viam mandatorū suorum currit: quem per vias rectas deducit, & tandem per viā charitatis perducit. *Cùm abieris,* inquit, *à me hodie, inuenies duos viros.* Ad quid inuenies? Vt ducatum tibi præbeant, si à Deo ire desideras, & in tenebris es. Si cœcus es, & nescis quò vadas, & tamē ire desideras, viæ ducatum Paulus præbere poterit, qui vsque ad tertium cœlum raptus fuit. Sed & Petrus regni cælestis aditū tibi reserabit, qui reserādi pariter & claudendi claues accepit. Et quis in agone contendens, jam non currat ad brauium supernæ vocationis; cùm alterum de persecutore factum inueniat vas electionis; alterum verò, postquam ad vocem ancillæ negauit, principē Apostolicæ dignitatis? *Inuenies,* ait Scriptura, *duos viros.* Duos, propter mysterium geminæ charitatis; viros, quia doctrina viros veritatis, exemplo verò virtutis. Nam vir à veritate, vel à virtute dicitur. Et quidem eos in via fuisse tales inuenies. Sed in patria quales? *Inuenies eos juxta sepulchrum Rachel.* Nota, quòd vna est generalis & vniuersalis Ecclesia, sed in tres speciales diuisa; id est in Ecclesiam militantem, & expectantem, & triumphantem. Prima figurata est in altari luteo, de quo dictum est. *Altare de terra facietis mihi.* Altare de terra fit Domino, cùm Ecclesia corruptibilis & terrena seruit Deo. Vnde Sacerdos orat in Canone. *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sanctorum Angelorum tuorum in sublime altare tuum, vt quotquot ex hac altaris participatione,* &c. Orat enim Sacerdos, vt per virtutem sacramenti tota simul Ecclesia militās & triumphans in vnum corpus Christi vniatur: id est, vt Ecclesia militās, quæ in præsenti sacramento figuratur, & quasi in inferiori altari offertur, in sublime altare, quod est Ecclesia triūphans perferatur; & capiti suo, Christo scilicet cujus corpus est, vniatur. Nam sicut ait Sergius Papa, triforme est corpus Christi. Vnde & in forma panis tres fieri solent fractiones. Pars comesta corpus Christi insinuat ambulans adhuc super terram, id est Ecclesiam militantem, altare scilicet inferius, altare adhuc corruptibile &

*Luc. 11.*

*1. Reg. 10.*

*Petrus & Paulus duces ad cœlu.*

*Ecclesia militans, expectans, triumphans.*

*Exod. 20.*

terrenum. Vnde & de terra fieri iubetur. Pars verò in calicem missa, corpus Christi, quod jam resurrexit, insinuat, Ecclesiam videlicet triumphantem, quę etiam figurata est in altari aureo, quod erat in sanctis Sanctorū. Pars autem vsque ad finem missæ reservata in altari, corpus jacens in sepulchro, id est Ecclesiam expectantem corporum resurrectionem. Quod fieri jubetur de lapidibus, quos ferrum non tetigit; quia jam certa beatitudine donata, nec hæresis nec schismatis timet sectionem. Figuratur etiā in altari, sub quo Ioannes audiuit vocem occisorum clamantium. *Vindica Domine sanguinem servorum tuorum, qui effusus est.* Propterea sepulchro Rachelis hæc expectans Ecclesia comparatur: quia ibi vox in Rama, hoc est in excelso audita est, Rachel, hoc est Ecclesia, plorans filios suos, nec ibi vult cōsolari, donec impleatur numerus fratrum suorum. Est igitur sepulchrum Rachelis secretum Ecclesiæ expectantis, quæ expectat resurrectionem corporum latentium in sepulchris. Iuxta igitur hoc sepulchrū expectant isti duo viri: quia etsi quantum ad glorificationem animarum membra sunt Ecclesiæ triumphantis; tamen quoad corporum susceptionem membra sunt Ecclesiæ expectantis. O quàm gloriosum est hoc sepulchrum. *Erit,* ait Isaïas, *radix Iesse, qui stat in signum populorum; ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum ejus gloriosum.* De radice siquidem Iesse flos ascendit, id est Christus, qui & Nazaræus vocatus est. Cujus est hoc sepulchrum, quia sicut militantis & triumphantis, ita caput est Ecclesiæ expectantis. Vna enim est Ecclesia, expectans, & triumphans. Ideo autem gloriosum; quia ibi cessant impij à tumultu, nec auditur vox exactoris. Ibi terræ Reges & Consules dormientes silent, & somno suo requiescunt. Ideo fodientes thesaurū vehementer gaudent, cùm inuenerint hoc sepulchrum. Sequitur. *In finibus Benjamin.* Benjamin filius dexteræ interpretatur. Filij autem dexteræ sunt, quibus statutis ad dexteram Iudex dicturus est. *Venite benedicti Patris mei.* Habet autem fines multos iste Benjamin, perseuerantiā in timore Domini, & obseruantiam mandatorum, in affectu charitatis, in visione Dei, quæ sola est finis finalis. Et est primus finis, finis per quem; de quo habes. *Finem loquendi pariter audiamus, Deum time, & mandata ejus obserua.* Secundus est finis ad quē, vnde legis. *Finis legis est charitas.* Tertius est finis propter quem. Vnde in finem diriguntur Psalmi. Et Dominus in Apocalypsi dicit. *Ego sum Alpha & O, principium & finis.* Per timorem siquidem Domini & obseruantiam mandatorum pertingimus ad charitatem, in qua perseuerandum est propter solam Domini visionem. In his finibus inuenti sunt isti duo viri, qui in vita sua fidem per dilectionem operantē habuerunt, perseuerantes in ea vsque ad Dei visionem. Inuenti sunt ergo in finibus Benjamin & meridie. Inuenerunt enim vbi pascit, vbi cubat sponsus in meridie. Non in mœrenti die, in qua palpant homines sicut in nocte; quæ dies est hujus sæculi, & illius magnæ aurora diei, quæ calamitatis erit, & miseriæ: sed in meridie, id est in mera die, quæ nescit occasum; quam nulla nox interpolat, nec habet obscurum. Sequitur. *Salientes magnas foueas.* Per foueam terrena cupiditas figuratur, vt in Iob. *Facies eorum*

*Tres partes hostiæ tres status Ecclesiæ repræsentant.*

*Apocal. 6.*

*Psal. 78.*

*Ecclesia expectans sepulchro Rachel comparatur.*

*Isai. 11.*

*Matt. 25.*

*Eccle. 12.*

*1. Timot. 1.*

*Apocal. 1.*

*1. Reg. 10.*

*Iob 40.*

demerge in foueam: quia reprobi omnem suum intuitum ad cupiditatem terrenam inflectunt. Vel per foveam sententia mortis accipitur, vt in Psalmo. *Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam*, id est seipsos occiderunt, in eo quod me occidere putauerunt. Magnæ sunt istæ foueæ & patentes; sed vltra eas saltum fecerunt, qui & terrenas cupiditates spreverũt, & æternæ mortis sententiam euaserunt. Isti igitur de inuentione asinarum certos reddunt, qui simplices animi motus modificare nouerunt: & subjectos simplices ad stabulum Samaritani scriptis & exemplo reduxerunt.

Psalm. 56.

## In Assumptione Beatæ MARIÆ. SERMO I.

QVÆ *est ista, quæ ascendit*, &c. In via Dei alij impelluntur, sicut coacti: de quibus scriptum est, *Cùm occideret eos, quærebant eum*. Alij trahuntur: qui inter tentationes convalescunt. Vnde Dominus. *In funiculo charitatis traham eos*. Alij vadunt; qui indefesso gradu per tramitem justitiæ inter difficultates gradiuntur: de quibus canitur. *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua*. Alij currunt: qui feruenti desiderio vires conantur excedere. Vnde Dauid ait, *viam mandatorum tuorum cucurri; cum dilatasti cor meum*. Alij ascendunt: qui meritorũ gradus ascendendo in corde suo disponunt. Vnde dicitur. *Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum: in loco quem posuit*. Ascendentium autem alij sunt, qui ascendunt, vt corruant: alij ad hoc corruunt vt postmodum fortiùs ascendant: alij vero ascendunt, ita vt non possint corruere: alij autem ita corruunt, vt jam non possint ascendere. Ascendunt verò, vt corruant; qui de virtutibus suis se reddunt elatos: qui simulatè in religone vivunt: qui in tentatione sunt instabiles: qui adolescentiam animi retinent etiã senescentes: de quibus Salomõ. *Tria sunt difficilia mihi: & quartũ penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam nauis in mari, viam viri in adolescentia sua*. Via aquilæ in cælo, est via hominis ambulantis in magnis, & in mirabilibus super se. Aquila enim est magnarum alarum: quæ tunc venit ad Libanum, quando accedit ad virtutum montẽ candidatum. Sed medullam cedri tollit, cùm ipsis religiosis, spernendo & superbiendo detrahit. Via autem colubri super petram, est vita illorum, qui simulatè se Christo adhærere foris ostendunt, intus vero malitiæ venenum abscõdunt. In hoc enim quod venenum malitiæ portant, colubri sunt: in hoc autem quod religiosè vivunt, super petram vadunt. Supra petram dico, non in petra: quia nec ipsi in Christo sunt, nec Christus in eis est: sicut super cathedram, & non in cathedra Moysi, sedere dicuntur Scribæ & Pharisæi. Via autem nauis in mari est vita eorum, qui inter amaritudines tentationũ aliquo vanitatis vento flante, titubant & merguntur. Via verò viri in adolescentia, est vita eorum, qui cùm senes sint, & ætatis prouectæ, adolescentiam tamen retinent moribus, non ætate. His enim maledicit Isaias, cùm dicit. *Maledictus puer centum annorum*. Corruunt, vt ascendant, qui vt exaltentur, se humiliant: de quibus Salomon. *Quatuor sunt minima terræ: & ipsa sapientiora sapientibus. Formica, quæ in æstate præparat escam sibi. Lepusculus plebs inualida. Regem locusta non habet: & tamen egreditur per turmas. Stellio manibus nititur, & moratur in domibus Regis*. In quibus laboriosi, timidi, humiles, & subjecti designantur. Corruunt, & ascendere non possunt, quos demersit tempestas aquæ: quos jam profundum absorbuit; super quos jam vrget puteus os suum, vt cadant in profundum culpæ, siue in profundum pœnæ. De quibus Salomon. *Tria sunt insatiabilia: & quartum, quod numquam dicit sufficit. Infernus, & os vulvæ: & terra quæ non satiatur aqua: & ignis, qui numquam dicit sufficit*. In primo profundum pœnę demonstratur: in reliquis tribus luxuria, cupiditas, auaritia: quæ sunt profundum culpę. Ascendũt & corruere non possunt, qui nec tentationibus nec aduersitatibus flecti possunt: sed cum Apostolo fiducialiter dicunt. *Quis nos separabit à charitate Christi?* Vel certè qui opere complent, quod ore prædicant: vel qui cautelam innocentia seruant; vt sint de illis, qui agnum immolant, de latere aquilonis: vel quasi columbæ ad fenestras suas: de quibus Salomon ait. *Tria sunt, quæ bene gradiuntur; Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauet occursum: & Gallus succinctus lumbos; & Aries, non est Rex, qui obsistat ei*. In Leone fortissimo designantur illi, qui flecti non possunt per aduersitatem mundi, per infirmitatem carnis, per tentationem cordis. Ad nullius enim pauebit occursum. In Gallo autem succincto lumbos prędicatores significantur: qui quod prædicant voce, demonstrant opere: se ipsos percutiunt, antequam canant: quia castigant corpus suum, & Zona continentiæ restringunt lumbos: nè cùm alijs prædicauerint, ipsi reprobi inueniãtur. In ariete verò, cui nec potest Rex resistere, designati sunt simplices: qui sic tamen astutiam retinent in simplicitate, vt à nullo aduersarij incursu possint timere. Quasi enim columbæ ad fenestras suas sunt, prudentes sicut serpentes, sed simplices sicut columbæ. Notandum quoque: quòd ascendentium alij ad hoc ascendunt, vt fugiant à deserto: alij ascendunt de deserto; alij ascendunt in deserto: alij ascendunt per desertum, alij ascendunt ad desertum. Per desertum namque figurantur plerúmque, vel dæmones vel infernus. Dęmones, vt in Psalmo: *Neque à desertis montibus*; quia nec in ipsis malignis spiritibus patet fugiendi à diuina majestate locus. Infernus; vnde hircus apopumpeius mitti jussus est in desertum; quia Christus secũdùm animam, propter iniquitates populi descendit in infernum. Vel ascendunt de deserto, id est de lege Mosayca; de qua scriptũ est: quòd aquas Mara in deserto amaras dulcorauit Moyses ligno imposito. Vel de sterili gentilitatis ritu. Vnde, *posuit desertum in stagna aquarum*. Et iterum Isaias. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion*. Vel ascendũt de deserto, id est de mundo. Vnde in Canticis. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto*, id est, quæ est ista quæ eleuatur de mundo? Mũdus quippe quinque-pertita ratione deserto comparatur. Propter peregrinationem: vnde, *Non habemus hic manentem mansionem, sed futuram inquirimus*. Propter laborem. Vnde Iob. *Homo natus est ad laborem*. Propter egestatem. Vnde. *Ego sum pauper & dolens*. Propter mor-

Cantic. 8. Psal. 77. Diuersis modis incedunt homines viã Dei. Osea. 11. Psalm. 125. Psalm. 118. Psalm. 83. Prouer. 30. Via aquilæ in cœlo quid sit. Quid sit via colubri, nauis & viri. Isai. 65.

Prouer. 30. Ibidem. Rom. 8. Prouer. 30. Qui per leonem designãtur, &c. Psalm. 74. Hircus emissarius. Psalm. 106. Isai. 16. Cantic. 8. Hebr. 13. Iob. 5. Psalm. 68.

sus serpentium, id est suggestiones dæmonum: vnde. *Illic reptilia quorum non est numerus.* Et quia mundus incultus est, sicut desertum incultum est. Vel ascendunt in deserto: id est in cessatione à vitijs: quæ dicitur desertum pectoris siue sabbatum mentis: sine quo non est salus. Væ vobis Ecclesiæ Prælati: qui hoc desertum deseritis, quando Sion ædificatis in sanguinibus: qui de cornu altaris superbitis: qui de patrimonio crucifixi lasciuitis: qui in vestris parentibus & cognatis sanctam Ecclesiam deformatis. Sic enim Sion in vestris sanguinibus ædificatis, & hoc deserentes desertum, etiam Ecclesiæ jura deseritis. Vel ascendunt in deserto, id est in mente sancta. Vnde in Exodo, *cùm misisset Moyses gregem ad interiora deserti, apparuit ei Dominus:* quia tunc nobis Dominus spiritualiter apparet, quando cogitationes nostras ad veram vnitatem in mente deuota, quæ sanctæ solitudini insistit, redigimus. Vel ascendunt in deserto, id est in sancta conuersatione. Vnde in Exodo. *Sacrificabimus Domino in deserto:* id est, seruiemus Domino in sancta conuersatione. Vel ascendunt per desertum, id est per contemplationem: quæ à multis deseritur, à paucis inhabitatur. Vnde in Canticis. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum?* Vel ascendunt ad desertum, id est ad cœlum. Vnde Dominus dimisit nonaginta nouem oues in deserto: quia Angelicam naturam dimisit in cœlo: quod ideo dicitur desertum: quia ab Angelis derelictum, qui per superbiam corruerunt. Ad hoc autem desertum, tamquam ad thronum veri Salomonis, sex operibus misericordiæ, tamquam sex gradibus ascenditur, id est si esurientibus cibum, si sitientibus potum damus: si inclusos carceribus visitamus; si peregrinos suscipimus hospitio: si nudos vestimus, si infirmis consilij vel auxilij solatium impendamus. Nam propter hæc, verba solatij sunt audituri, quibus dicetur. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Sic ascendit Virgo gloriosa de virtute in virtutem, vt fugeret desertum inferni: vt ascenderet de deserto mundi, in desertum sanctæ conuersationis, per desertum deuotæ contemplationis, vsque ad desertum supernæ vocationis.

*Psalm. 103.* — *Aduersus Prælatos.* — *Exod. 3.* — *Ibidem.* — *Cant. 3.* — *Opera misericordiæ.* — *Matt. 25.*

SERMO II. *In eadem solemnitate.*

[ Congruit magis festo Assumptionis. ]

*Exod. 14.*

E*Leua virgam tuam, & extende manum tuam, & diuide mare: vt transeant filij Israël per medium sicci maris.* Quod vni dico, omnibus dico. Omnibus inquam illis, qui tamquã boni pauperum advocati, contra frivolas excusationes eorum, qui invitati fuerant ad nuptias, didicerunt spiritualiter allegare. Invitati quippe sumus omnes ad nuptias: sed adhuc est, qui dicat, *villam emi.* Villam quippe emere, est in sæculi vanitatibus desudare. Hic est qui in cophino palearum Pharaoni deseruit. Est etiam, & qui dicat. *Iuga boum emi quinque.* Hic est animalis homo ille, qui mundi cupiditatib9 inhiat, & in cophino laterum Pharaoni se subdit. Terrena quippe cupiditas quasi lutum est igne decoctum: illo, qui numquam dicit sufficit: vel certè illo, qui tactas oues puerosq; consumpsit: quoniam *Invidus alterius rebus marcescit opimis.* Est insuper & qui dicit: *vxorem duxi.* Vxorem autem ducere, est carnis lutum per voluptatem mollescere. Hic est qui in cophino luti Pharaoni obedit. Qui igitur vanitates, voluptates, & concupiscentias repellunt; & contra frivolas excusationes excipiunt: colla de sub jugo Pharaonis excutiunt. Sed quis est hic, & laudabimus eum? Ipse est vrgens & leniens: sic enim interpretatur Moyses, cui dictum est. *Eleua virgam tuam, &c.* Vrgens quippe fuit per disciplinam actiuę, liniens per disciplinam contemplatiuæ: propter quod dicit Propheta. *Excidi mihi duas virgas: vnam vocaui funiculum, & alteram decorem.* Nam à radice terræ, virgam quasi disciplinam excidit: funiculum quantum ad activam: decorem, quantum ad contemplativam. Funiculum vrgentem, decorem lenientem. Nihil enim æquè mulcet & lenit animam, sicut sanctæ contemplationis deuotio: vt ait quidam. *In omnibus requiem quæsiui, nec tantam vspiam inueni, quantum in sancta cogitatione.* Vrget autem animum, & quasi funiculo coarctat actiua: dum pungit, dum sollicitat, dum turbatur erga plurima. Hinc est, quòd Virgo gloriosa, quasi virga ex aromatibus myrrhæ & thuris prædicatur. Virga inquam, quia leuis, quia flexibilis: funiculus verò, quia in altum se eleuans odorem suauitatis emisit. Leuis, quia caret pondere peccatorum: flexibilis, quia misericors. Myrrhæ verò & thuris: quia in omni disciplina se semper exercuit. Myrrhæ quippe virga fuit, propter disciplinam actiuæ: thuris verò propter disciplinam contemplativæ. Hinc est quod in hodiernæ diei festiuitate, ipsa castello comparatur: in quo habitabant Maria & Martha, quia castellum fundatum supra firmã petram: castellum inexpugnabile: castellum incorruptum: castellum, quot virtutibus, tot ciuibus plenum: cujus semper clausa fuit porta: nec patuit nisi soli principi. Castellum antonomasticè Iesu; in quo verè habitabat Martha in solicitudine administrationis: Maria verò in fervore dilectionis, vel desiderio amoris. Nam istis duabus sororibus, illæ duæ vitæ significantur, sub nouo testamento: sicut in illis duabus, Lia videlicet & Rachele, in veteri testamento. Quod enim Lia in veteri, hoc Martha in nouo: & quod Rachel ibi, hic Maria significat; sed alia, & alia de causa. Martha enim actiuam, propter officium charitatis: Lia vero propter exercitium laboris: vnde & laboriosa interpretatur. Maria contemplativam designat, propter altitudinẽ contemplationis: Rachel verò propter simplicitatem mentis: vnde & ouis interpretatur. Ergo Maria contemplativã significat, propter superiorem vim contemplatiuæ: Rachel verò propter inferiorem: Martha verò activam, propter superiorem vim actiuæ; Lia verò propter inferiorem. Et cùm multum inter se differant, superior vis contemplatiuæ, & inferior activæ: non multùm tamen differre videntur superior activæ, & inferior contemplativæ. Multùm quippe differt jucunditas devotionis, & afflictio laboris; sed non multùm, officium charitatis & simplicitas bonæ voluntatis. Hinc est, quòd in constructione tabernaculi, secundùm officium quatuor istarum sororum, videtur construi, Atrium, Sanctum, & Sanctũ Sanctorum. In atrio quippe erat altare æreum; craticula, sartago, clibanus. Mactabantur ibi carnes in holocaustum, & pro peccato. In omnibus his officium Liæ, labor videlicet & afflictio

*Luc. 14.* — *Quibus cõparentur, qui se à nuptijs cœlestibus excusant.* — *Qui Pharaonis iugũ excutiant.* — *Zachar. 11.* — *B. Virgo virga comparatur.* — *Luc. 10.* — *Lia & Martha actiuam vitam, Rachel & Maria contemplatiuam designant.*

figuratur. Ecce inferior gradus activæ vitæ. In Sanctis verò erat mensa propositionis, panes calidi desuper combinati; officium videlicet Marthæ, à latere quoque candelabrum cum lucernis, in quo figurabatur officium Rachelis. In Sanctis verò Sanctorum erat altare aureum; in quo offerebatur incensum, secundùm officium Mariæ. Nam in Ecclesia Christi, quatuor sunt rectorum genera instituta: Sacerdotes videlicet, qui implent officium Mariæ: Reges qui officium Rachelis. Vnde quia ista duo genera ad contemplativam vitam pertinent, beneficiū recipiunt vnctionis. Pastores verò implent officium Marthæ, Iudices Liæ: vnde quia ad activam vitam pertinent, non habent beneficium vnctionis: sed virgam potiùs in manibus, propter disciplinam conservandam in operibus. Hinc est, quod in primitiua Ecclesia, quatuor personæ primitus sunt ordinatæ; Aaron, qui implebat officium Sacerdotis: Iacob Pastoris; Moyses Iudicis, Dauid Regis. Istis enim quatuor Ecclesia principaliter ordināda cōmissa est. Sed quid fratres? Insurrexerūt filij Chore contra Aaron Pontificem: virga Aaron floruit, & fructum fecit, in signum Sacerdotij, & contēptum filiorum Chore. Iacob autem nihilominus virgas populeas & amigdalinas, & ex platanis, in canalibus posuit: vt ad earum conspectū oues conciperent diuersos fœtus, & sic Laban illuderet; & quod suum erat multiplicaret. Moyses verò contra Pharaonem virgam eleuauit, & in ipsa, signa & prodigia fecit; & Ægyptum decem plagis afflixit. Dauid autem cùm multotiens in Saül potestatem haberet, manū suam in Christum Domini mittere noluit: & tamen erecta & directa ejus virga fuit; vt dictū est. *Virga directionis, virga regni tui.* Omnia hæc dilectissimi in figura contingebant illis: & facta sunt pro nobis. Data est nobis virga, & virga de radice Iesse; de radice inquam, Iesse, quia de radice incendij. Radix enim totius fervoris & charitatis, Virgo, virga est. Exaltata est virga, eleuata est virga: vt quæ exaltata est in se, exaltata sit in te: exaltata sit tibi, exaltata sit à te, exaltata sit in te, quæ exaltata est pro te. Quicúmque ergo Pastor Dei es: quicúmque officiū Iacob imples, si Laban occurrit, si mundus deprimit: si labores tuos, & luctas derideat, quorum iniquitas prodit ex adipe; tene virgam in canalibus cordis tui; quæ habeat in se amigdalinum fœcunditatis, populeum virginitatis, & platanicum justitiæ & sanctitatis, vel simplicitatis. Eleua igitur virgam fœcundā prole, Virginem corpore & mente, planā justitia, & simplicitate. Sed attende, quid, & de qua dictū est. *Quasi plantatio rosæ in Iericho.* Ad omnes pertinere debet generaliter, quod ad Mariam specialiter, & vtinā ad me finaliter. Iericho quippe significat idem, quod Laban, id est mundum, & justus quasi plantatio rosæ in Iericho est, id est in mundo: quia supponit sibi aculeos tentationis; cùm exteriori mortificatione carnis, & interiori devotione mentis, in omnibus præbés suauitatis odorem. Exemplum accipe, Iacob: exemplum accipe vir luctator. Si mundus derideat, si insurgant aculei tentationum; maneat viror mentis; esto bonus odor Christianæ devotionis. Quòd si sacerdos es, & insurgant in te filij Chore, filij Calvariæ, filij crucis, id est hypocritæ; qui solent aliorum bonis actibus inuidere: vel qui pro beneficijs Ecclesiasticis solent temporale lucrum inquirere: noli sacerdos æternum, nisi pro æternis requirere. Primùm quære regnum Dei & justitiā ejus; & hæc omnia adjicientur tibi. Felix, cujus hæc vox esse poterit: *quasi palma exaltata sum in Cades.* Palma, vt aiunt hi, qui rerum descripsere naturas, centenaria fructum facit: Cades autem mutatio, vel sanctum dicitur. Centenarius etiā perfectionem significat in scripturis. Iustus ergo quasi palma exaltatur in Cades, quando de læua hujus temporalitatis, transfertur ad dexterā beatæ æternitatis; juxta illud. *Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini.* Et sapientia. *Cùm consummauerit homo, tunc incipit.* Tunc enim erit in vtero dexteræ excelsi: quādo dicere poterit, quis, *nunc cœpi.* Erit enim tunc sancta mutatio, quando corruptibile hoc induerit incorruptelam; & mortale hoc induerit immortalitatem. Quòd si Iudex es, & insurgat in te Rex Ægypti, hoc est tenebrarum harum; vt ignores boni & mali, veri & falsi, prophani & sancti, mundi & polluti distantiam: considera Cypressum in monte Sion exaltatā. Mons enim Sion Ecclesiam Dei significat: vbi exaltata fuit Cypressus crucis: quia crucem referūt fuisse de Cypresso, in qua pendens Salvator, lōge ante prædixerat. *Ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me. Et nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Aliud ergo noli quærere judicium. Illum attende, qui ait. *Nolite judicare & non judicabimini.* Ad hoc solùmodo oculos aperi, quomodo nunc princeps mundi hujus ejiciatur foras: vt nec in te, nec in tuis dominetur. Sit tibi colluctatio, non solùm adversus carnem & sanguinem, sed & aduersus principem tenebrarum harum: contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Quòd si Regis officium exercere desideras, ad illum mentē eleua, cui seruire regnare est: illius regni particeps esse desidera, quod æternū est. Considera ergo cedrum exaltatā in Libano. Cedrus enim immensa, odorifera, imputribilis, perseuerat in Libano. Mons Libanus candidus est: quia Libanus cādidatio interpretatur. Ibi quippe sunt viri virtutibus eximij, odoriferi fama, imputribiles æternitate: & quotquot ibi sunt, regnant, quia reges sunt. Ibi exaltationis dignitatem recipiunt: ibi nulli subjiciuntur: non homini, nō Angelo; sed soli Deo. Sequitur. *Extende manum & diuide mare.* Nota quòd Moysi dictū est, *extende manum tuam:* illi videlicet, cui dictum erat: *diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* A te plus exigit, qui vtramque manum in cruce extendit. *Nisi*, inquit, *abundauerit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Propter hoc ergo plus exigit, quia ait. *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos. Si te quis percusserit in maxillam*, &c. Qui solus manus extēdit, & mare diuidit, aquas fortè superiores retinet & inferiores non abjicit. Sacramentum hoc magnū est. Est enim superior amaritudo: & est inferior. Mare enim amaritudinē significat, quia amarū est. Et est superior amaritudo retinenda, inferior amovenda. Si enim amaricaris in animo: quòd diu teneris in hoc exilio, quod visione Dei non frueris, pro superioribus amaricaris: de talibus enim amaritudinibus dictum est. *Pone tibi amaritudines: &*

*In Ecclesia 4. Rectorū genera.*

*Genes. 30.*

*Psal. 44.*

*B. Virgo est virga exaltata.*

*Eccli. 24.*

*Luctator spiritualis est Iacob.*

*Eccli. 24.*

*Psalm. 126.*

*Eccli. 18.*

*Cypressus crucem significat.*

*Joann. 12.*

*Luc. 6.*

*Exod. 14.*

*Matt. 5.*

*Amaritudo duplex, superior & inferior, bona & mala.*

*Ierem. 31.*

Ierem. 31. Isai. 38. Esther 2.

dirige cor tuum in viam rectam. Et alibi. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Hic est enim ille Mardochæus, nutricius Edissæ, quæ alio nomine, vocabatur Esther. Mardochæus enim myrrha munda interpretatur, myrrha autem amaritudinem significat. Et hæc est amaritudo retinenda, quia munda. Nutricius Edissæ, id est misericordiæ; quia Edissa misericordia interpretatur, Esther verò abscondita. Et hæc est misericordia abscondita, de qua dicitur. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine: quam abscondisti timentibus te.* Propter hoc sponsa dicit in Canticis. *Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima:* quæ est munda, & per hoc retinēda. Inferior autem amaritudo est, quando quis amaricatur, eo quod non potest excogitatam in hostem exercere malitiā. Vnde Psalmista. *Filij hominum vsquequo graui corde.* Hæc est amaritudo inferior repellenda, quia immunda: quia magis iram Dei nutrit, quam misericordiam. In prima amaritudine designatur crux Christi: in secunda crux Aman: qui interpretatur iniquitas. Extende igitur manus, & diuide mare; vt scias inter amaritudines vtrasque discernere: ne turberis, vbi debes gaudere; vel gaudeas, vbi debes turbari. Ne gaudeas, quod es in mundo; ne turberis, quòd mancipatus es Dei obsequio. Sic enim gradiuntur filij Israël per maris mediū, id est per viam virtutum, vitijs per amaritudines exsiccatis. Gradiūtur autem vsque ad montem Dei Oreb. Oreb quippe siccitas interpretatur. Hoc tamen notandum; quòd siccitas alia probabilis, alia reprobabilis; quod & in Oreb figuratur. Nam in Oreb bona & laudabilis siccitas figuratur, vt ibi. *Vsque ad montē Dei Oreb.* Mons siquidem ille cælestis Oreb ideo dicitur, quòd ab omni spurcitia mundus esse probatur. A montibus enim spurca, quia & noxia, dilabūtur in valles. Vnde Angelus & homo, alter propter superbiam, alter propter inobedientiam, de monte cœlestis gloriæ, in vallem temporalis miseriæ corruerunt. Vnde scriptum est. *Non habitabit in eo aliquid coinquinatum.* Et Psalmista. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo: aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Ecce hic habes, & de habitatione, & de requie. Est autē laudabilis siccitas, quæ noxios corporeæ pinguedinis humores ebibens petulcos motus lubricæ fragilitatis eneruat, & corpus reddit minùs aptum. Est & vituperabilis; quæ fontem cordis exsiccans, & venas, per quas ad oculos vsque solet deuotio procedere lacrymarum; gratiam deuotionis obcludit. Duplicem hanc siccitatem concupiscentia duplex & infert & aufert. Concupiscentia namque spiritus aduersus carnem, laudabilem siccitatem infert, & vituperabilem aufert: concupiscentia verò carnis aduersus spiritum vituperabilem infert; & laudabilem aufert. Per primam siccitatem, habet homo cor carneum: per secundam lapideum. Carneum per affluentiam deuotionis: lapideū, per duritiam obstinationis.


*Est quedā amaritudo retinenda.*

Psal. 30. Cantic. 5. Psal. 4.


*Alia amaritudo repellenda.*

3. Reg. 19. Apocal. 21. Psalm. 14.

*Quæ sit laudabilis siccitas, quæ vituperabilis.*



SERMO. *In Festo Sancti Bernardi.*



CVM *accubuisset Iesus in domo Simonis leprosi; fractū est alabastrum vnguenti nardi pistici pretiosi: & tota domus impleta est ex odore vnguenti.* Licet dilectissimi, ea quæ proposuimus, beati Lucæ fidelis sermo, & omni acceptione dignus, ante sex dies Paschæ, Bethaniæ in domo Simonis facta fuisse commemorat: tamen quia in hac spirituali Bethania hæc eadem videmus iterata, etsi non historicè, mysticè tamen: misericordiam Dei mirabilem in hoc facto, votis & precibus implorare debemus: quoniam à fidelibus suis non est auersus amor ejus; sed adhuc manus ejus extenta. Quæ est enim hæc Bethania; nisi hæc obedientiæ domus: quę tantorum filiorum matrem se læta cognoscit: quos de Spiritu sancto, obstetricante manu obedientię, parturiuit? Quæ quia exemplo clara, & vallis humilitate cognoscitur, non immeritò Claravallis nuncupatur. In hac igitur domo Simon ille, qui factus est obediens patri vsque ad mortem: cujus spiritus in filijs obedientiæ requiescit, vt scriptum est; *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem verba mea?* requiem quæsiuit & inuenit: quia delitiæ ejus sunt, esse cum filijs hominum. Vel quia per domum in sacro eloquio solet conscientia figurari: de virtutum lapidibus pretiosis domum sibi construxit, & vsque ad cubitum perfectionis consummauit, ille Simō, id est obedientiæ filius, cujus memoria in benedictione est: qui secutus agnum quocumque iuit, ad obedientię præceptum, tamquam alter Abraham, egressus est de terra, & de cognatione sua, vt fieret in Gentem magnam: vnde pater multarum Gentiū constitutus est; in quem clamamus Abba pater. Ipse etiam tamquam alter Isaac in hujus solitudinis agro, quò egressus est ad meditandum, copulauit sibi Rebeccam: quia didicit & docuit pariter ex ijs quæ passus est, patientiam. Ipse quoque tamquam alter Iacob, egressus de terra & de cognatione sua, conjunxit sibi Rachelem & Liam: Liam in officio ministrandi, Rachelem in otio contemplādi. Cujus semen Deus multiplicauit super terram, vt infinitam laborātium multitudinem ex actiua: ex Rachele verò contemplativorum multitudinem genuerit copiosam. In ijs igitur omnibus, Patriarchis & Prophetis meritò comparatur: non solùm, sed Apostolis, Martyribus, Confessoribus, & Virginibus. Quia vobis à Deo missus; etsi non alijs, vobis tamen factus est Apostolus; quia signa Apostolatus sui omnes estis in Domino. Ipse etiam per carnis passionem, & proximi compassionē, in certamine plus cucurrit quàm martyr ictum sufferens, mucrone fundēs sanguinem. Et in confessione laudis adorans Dominum, quod cordis arca credidit, etiam coram hominibus confessus est. Qui cum mulieribus numquam coinquinatus, secutus est agnum, quocumque iuit. Spatiosam quippe viam derelinquens: & arduam aggressus, quæ ducit ad vitam: factus est vobis tamquam lucerna ardens & lucens. Ardens eloquio, lucens exemplo. Ardens in fractione panis, lucens in semitis viarum Dei: vt sic in vtroque bono, & ardens & arduus, non immeritò Bernardus sit vocatus. Intuemini quantus sit iste, qui ingres-

Ioann. 12.

*Claravallis Bethania censetur.*

Isai. 66.

*S. Bernard. omnium Sanctorum gradibus participat.*

*Bernardus quasi bene ardens & arduus.*

sus est, non solùm ad vestram salutem, sed ad omnium correctionem: vt potè Regibus Ioannes, Ægyptijs Moyses, fornicantibus Phinees, Elias idolatris, Elisæus factus auaris, mentientibus Petrus, blasphemantibus Paulus, negotiantibus Christus. Iustitiæ forma, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertor veritatis, defensor fidei, amicus sponsi, sponsæ paranymphus, ordinator Cleri, Pastor plebium, magister insipientium, refugium oppressorum, pauperum aduocatus, miserorum spes, tutor pupillorum, Iudex viduarum, oculus cæcorũ, lingua mutorum, baculus senum; vltor scelerum, metus malorum, bonorum gloria, sal terræ, lumen orbis, sacerdos altissimi, vicarius Christi, Christus Domini, Deus Pharaonis; actu seuerus, vultu serenus, verbo serius, omnibus omnia factus; ita vt eum crederes, non vocatum in partem solicitudinis, sed in plenitudinem potestatis. Ideo accubuit Iesus in domo ejus, qui in omnibus est per essentiam. Vbique enim est, qui nusquam deest. In quibusdam tamen transit, in alijs inhabitat, in alijs cubat, in alijs pascitur & reficitur. Transit quippe per interpolatas cogitationes: sicut Eliphas ait. *Cùm spiritus me præsente transiret, inhorruerunt omnes pili carnis meæ.* Nobis enim præsentibus spiritus transit, quando inuisibilia cogitamus, quia hæc non solidè, sed raptim videmus. Neque enim in contemplatione mens diu figitur, quia ad se ipsam, ipso lumine reuerberata reuocatur: sed tunc pili carnis inhorrescunt, cùm sic vitæ veteris cogitationes à mente rescindimus, vt in illo dolore fatigemur. Inhabitat verò per gratiam nunc operantem, vt velit, quod bonum est: nunc cooperantem, ne frustra velit, sed plerùmque tentatione velatam: vt scriptum est, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine: quam abscondisti timentibus te:* quandoque deuotione nudatã: sed tunc non solum inhabitat, sed cubat; quia cubare est habitare mentem cum deuotione. Reficitur autem in illis, vel de illis, in quibus aut de quibus filius implet voluntatem patris: sicut idem filius ait. *Cibus meus est, vt faciam voluntatem patris mei, qui in cœlis est.* Sic igitur cubat & pascit in domo Simonis: id est in conscientia obedientis. Additur autem leprosi, ob humilitatis custodiam: quia custos obedientiæ, humilitas est. Nisi enim per humilitatem seruetur: citò in contemptum erigitur. Necesse est ergo, vt per humilitatem obedientiæ ad Deum redeat, qui per superbiæ lepram extra castra recesserat: quia simplex obedientia non sufficit, si suis stipata comitibus non aderit. Nam vt plena sit obedientia & perfecta; necesse est ipsam esse puram, voluntariam, humilem, patientem, fidelem, deuotam, diuinæ dilectionis fortitudine roboratam. De qua dictum est. *Fortis est, vt mors dilectio.* Et hæc in illis septem personis figurata sunt, qui vno eodemque nomine, sicut ex diuinis colligimus verbis, id est, nomine Simonis sunt signatæ. Legimus siquidem de Simone mago, de Simone Cyrenæo, de Simone leproso, de Simone Machabæo, de Simone Petro, de Simone Cananæo, de Simone Oniæ filio. Isti septem illa, quæ prædiximus septem figurant: non, omnes omnia, sed aliqui aliqua: quædam remotiuè, quædã positiuè. Sunt enim qui solius ambitionis causa prælatorum mandatis obediunt. Isti Simonem magum induũt: qui sola cupiditate mandatis voluit Apostolicis obedire. Ideo pura debet esse obedientia, vt solus Deus sit in causa, qui est causa causalissima: & ipse idem, qui finis finalis est, sit in perseuerantia. Alij Prælatorum mandatis obediũt, sed semper inuiti: semper cum murmure. Isti induũt Simonem Cyrenæum: qui crucem Domini in angaria bajulauit. Ideo voluntaria debet esse, quia coacta seruitia Deo non placent, sed hilarem datorem diligit: quia illa hostia est ei acceptabilis, super cujus caput offerentis manus imponitur. Alij præteritorum suorum malorum memores, & per hoc humiles, eo diuinis mandatis humiliter obediunt, quò per obediẽtiæ bonum ad Deum se posse redire confidunt. Isti Simonem leprosum induunt: qui quidem cùm Deum inuitauit, leprosus vocabatur. Sic & isti nomen sibi retinent peccatoris; qui etiã de propitiato peccato nesciunt esse securi. Alij de ijs, quæ sibi videntur licita, obediunt: sed si quid minùs licitè præcipi videatur, quod injũgitur, licitè contradicere se posse credant: non attendẽtes obedientiam Abrahæ, nec Ioannis, qui lignum aridum rigauit, & saxum immane volvit: vel illius, qui filium suum in clibanum ardentem propter obedientiam jecit. Nam si solùm in licitis obedientes sumus, quis supplebit, quod ait Legislator noster, re & nomine Benedictus, super illo capitulo, *Si fratri impossibilia injunguntur?* Quid enim adeò illicitum, quam impossibile? Ideo induamur Simonem Machabæum, qui Triphoni fuit obediens: cũ tamen esse sciret illicitum, quod petebat. Cùm enim surrexisset iste Simon pro Ionatha fratre suo, quem Triphon occiderat, quòd Simonem non latebat, misit ad eum Triphon legatos in dolo dicens. *Pro argento, quod debebat frater tuus in ratione regis, detinuimus eum: & nunc mitte argenti talenta centum, & filios ejus obsides, & remittemus.* Cúmque Simon cognouisset dolum ejus: misit tamen argentum & pueros, ne murmuraret populus dicens. *Non redemit fratrem suum, volens regnare.* Hoc exemplo plerúmque obedientes esse debemus ad majus scandalũ remouendum: etiam si illicita fortè injungantur. Et hæc est obedientia patiens. Sed quoniam illicitum est omne, quod est præter fidem, vel non ex fide, non in omni illicito dicimus generaliter obediendum; quia numquam in illis, in quibus fides læditur, obedire tenemur: sed in omnibus obedientiæ factis fidem præuiam habeamus: quia sic induere non debemus Simonem Machabæum, vt Simonem Petrum exuamus: quia quantumcúmque magna sit obedientia, nulla tamen est, si non sit super fidei petram fundata. Nec quamcúmque fidem loquor, sed eam, quæ est affectuosa, & omnium virtutũ æmulatoria. Quid enim est, quod nobis noceat, si boni æmulatores fuerimus? Æmulamini igitur diuina Charismata: vt sit obedientia vestra sicut fidelis, sic affectuosa: sic induentes Simonem Petrum, vt etiam induatis & Cananæum. Cananæus quippe Zelotes, vel æmulator, vel quod idem est, imitator interpretatur. Nec vos terreat fragilitatis humanæ defectus, si quandoq; sarcina mandatorum vires vestras excedere videatur. Scitote, quòd qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem. Non enim in vobis, sed in Deo debet esse fortitudo vestra: & in ejus obedientiæ fortitudine, qui facit cum ten-

*S. Bernardus Sanctos vtriusque Testamenti refert.*

*Iob 4.*

*Psalm. 30.*

*Deus quandoque etiã in anima cubat.*

*Ioann. 4.*

*Cantic. 8.*

*Septem viris in Scriptura Simonis nomen inditum.*

*Marc. 15.*

*Cautè hu lege, & benignè nobiscum interpretare.*

*1. Mac. 13.*

*Hebr. 11.*

*Fiducia in Deum fortissima facit*

ratione prouentum. Cum igitur alicui fratri aliquid graue præcipitur, dicat vtilis frater in corde suo: fortitudo mea Deus, vis mea Dominus;&ideo humano defectu aggrediar,quod diuina fortitudo perficiet.Sic fractus est Simon Oniæ filius,id est imitator ejus, qui semper in animo dicit.Non est fortitudo mea, vt sustineã; sed tamen vis mea Dominus: vt perficere queã. Vnde Onias vis mea Dominus interpretatur. In hujus,quia Simonis,domo Iesus accubuit:& cùm esset in accubitu suo, nardus dedit odorẽ suum: quia fractum est alabastrum vnguenti nardi pistici pretiosi, & tota domus impleta est ex odore vnguenti. Alabastrum dicitur, vas marmoris candidi, perlucidi: quod incorrupta seruat vnguenta.Tale fuit alabastrum,vas istud electionis, vas Psalmi, vas Cantici, hydria faninæ, lecythus olei, cyphus Pharaonis, crater tornatilis: calix inebrians & præclarus. Fuit marmoris in perseuerantia, candidi munditia, perlucidi fama. Quod semper vnguenta seruauit incorrupta:quia nec infamia denigrauit,nec actus illicitus, nec cogitationis consensus collatum sibi gratiarum munus corrupit. Dicitur autem alabastrum vnguenti, sicut solemus dicere cyphũ vini: & dicitur vnguenti, quia verba quæ de vase diffundebantur, sic medicinalia erant, vt per ea ægri sanarentur, cæci illuminarentur,fortes ad robur vngerentur. Erant enim antidotum infirmorum, collyriũ cæcutientiũ, chrisma robustorum: ita quòd illud,quod Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome fecerunt, vt caput vngerent: hoc iste multis laboribus, multo vigiliarum & ejuniorum sibi pretio comparauit: vt membra capitis, imo caput vngeret in membris. Hoc igitur alabastrũ hodie fuit fractum: quia morte pretiosa dissolutũ: sed non sicut vas figuli, sed sicut vas auri, quod carnis vinculis absolutum, talentum sibi creditum cum lucro Domino reportauit: & tota domus impleta est ex odore vnguenti. Per ipsius siquidem verba totaEcclesia bonus odor est Deo in omni loco; quia odor ejus, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Curremus igitur in odore vnguentorum suorum:hoc est in odore vnguenti pistici, id est, fidelis & pretiosi,& per hoc boni. Fractum est enim alabastrum vnguenti boni nardi, vel per syncopã, Bernardi; cujus verba & Martyribus rosam, & castis lilium redolebant. Trahat igitur post se fideles Christi exteriorum membrorum dispositio ordinata, morum disciplina, laboris exercitium, ornatus virtutum, exemplum operum, pigmentaria medicina verborum. Trahat autẽ de exilio ad patriam, de labore ad requiem, de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, quæ nescit occasum, Iesum Christum Dominum nostrum: cui est honor & gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

*S. Bernardus alabastrum fuit.*

*Marc. 16.*

*Alabastrũ S. Bernardi per mortem fractum.*

## SERMO I. *In Natiuitate B. Virginis* MARIÆ.

*Deuter. 22.*



SI *ambulans per viam in arbore, vel in terra nidum avis inueneris, matrémque pullis, vel ouis desuper incubantem: non tenebis matrem cum filiis: sed patieris abire, pullos tenens captos; vt bene sit tibi, & longo viuas tempore.* Quotiens dilecta sapientiæ tabernacula, sub diuo positus, ventis expositus, perpendo sedulus; ædificandũ necesse mihi videor in Cariatsepher, Sed cum de loci ariditate quæro, vel cõqueror, Axę suspirio præeunte: à patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum descendit, vtrumque impetrãdum esse irriguum, vt nomine Dabir dignè ciuitas censeatur. Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. In quibus fecit nos Dominus ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu: litera enim occidit. Quia hæc est ariditas Cariatsepher. Interpretatur enim ciuitas literarum. Et quæ est ciuitas literarum: nisi illa literatura, quæ tuetur ab hostibus; & ornat virtutibus? Nam ad differentiam illius literaturæ, quæ nec munit, nec ornat, ciuitas appellatur. Vnde Psalmista ait. *Quoniam non cognoui literaturam introibo in potentias Domini.* Sed ariditas hujus ciuitatis superficies est literæ; quæ nullum fructum in se videtur habere, nisi quando inferiori timoris, & amoris irriguo superiori, fides & intellectus irrigatur. Nam vt aurum in sapientia, argentum in eloquẽtia, lapides pretiosos superædificemus,* argentum in Logica, aurum superædificemus in Theologia; necesse est,vt timor pariter & amor præcedant; vt sicut illi duo, Aaron videlicet & Hur, antiquitus graues Moysi sustentabant manus; sic & faciem ejus detegant & detergant. Alioquin timendum nobis est, ne lignum superædificemus, quod mittere solent hæretici in verbum panis, vt scriptũ est, *Mittamus lignum in pane ejus:* vel ne supponamus fœnum humanæ fragilitatis, quod sibi supponere debent famelici; sicut hærentes literę facere solent in Cãticis: vel ne superædificemus stipulam alicujus vanitatis; ad quam nos induceret ariditas præsentis thematis, nisi timoris irriguo fœcunderetur & amoris. *Si ambulans*, inquit, *per viam*, &c. Quid isto vanius, si literæ superficies attendatur? Quid enim, si pullis captis matrem finit abire? Melius habuit, vel vita longiore vixit? Tamen si timor Dei & amor præuenerint intellectum; nihil deuotius, nihil verius, nihil dignius Deo inuenitur. Tunc nomine Dabir dignè ciuitas censebitur; quia tunc sermo diuinus probabitur, & eloquentia, quam interpretatur Dabir, approbabitur. Dicit enim. *Si ambulans per viam.* Non conditionaliter, sed causatiuè ponitur istud, *si.* Neque enim est homo super terram, qui non ambulet per viam, donec perueniat ad patriam; Deus enim stabilis & incommutabilis, moueri dat omnia & mutari. Non differt à vigilante dormiens, nec à laborante quiescens. Omnes enim perendinamus ad mortem: omnes circa spheram mundi voluimur; & cum animalibus circa rotæ gyrum ambulamus. Ibant enim animalia & non reuertebantur: ibant & reuertebantur. Imò quod mirabilius est, & non reuertendo reuertebantur: & reuertendo non reuertebantur. Quæ est ista vitæ humanæ instabilitas; vt cùm reuertitur ad id, vnde sumpta est: dicente Domino, *Terra es, & in terram ibis:* Iob etiam attestante, qui ait; *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*, nec tamen ad juuentutis, vel infantiæ reuertitur initium, si peruenerit ad senectam & senium? Sicut motum vides in choro cantantium; ad locum reuertuntur vnde incipiunt: nec tamen reuertuntur, quia semper ante faciem suam vadunt. Quicumq; igitur non-

*Psalm. 70.*

** De sunt hic aliqua verba.*

*Ierem. 11.*

*Deuter. 22.*

*Omnes homines per viam ambulant.*

*Ezech. 1.*

*Genes. 3.*

*Iob. 1.*

dum meruisti requiescere in patria, sed adhuc peregrinus es & aduena; si adhoc ambulas per viam, vt peruenias ad patriam: necesse tibi est, nidum auis quærere pariter & inuenire. Notādum, quòd singularis auis singularem nidum tibi scriptura proponit, ad differentiam avium plurimarum; quarum aliæ semen quod juxta viam cecidit comederunt; aliæ cibum præparatum de canistro pistoris sustulerunt; aliæ verò ad ipsum etiam sacrificium patris nostri Abrahā aspirauerunt. Aves quippe, eo quod avidæ, dæmones sunt; quæ plerumque cogitationes quasi semina, plerumque actiones tamquam cibum paratum; plerumque ipsam Deo dicatam deuotionem, tamquam sacrificium aut auferunt, aut auferre nituntur. Istarum igitur aviū nidi sunt corda peccantium. Mergulionum cupidi, nocte volantium hæretici; rapacium auari, corvini generis avium, diuersa genera peccantium. Propter hoc, hujusmodi aues censuit immundas Legislator, nec earum nidi quærendi sunt; sed si non quæsiti inueniuntur, vel abigendi sunt; vel nec mater, nec pulli capiendi. Singularis igitur avis, & phœnix vnicus, qui de aromatibus alterius phœnicis, Virginis scilicet singularis, igne sancti Spiritus mediante in lucem prodijt, & cordibus sanctorum nidificauit. Vnde multis generibus aviū se comparat; vt est illud *Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.* Et alibi Psalmista, de ejus humanitate ait. *Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum.* Sed & ipse Ionæ, qui columba interpretatur, se ipsum comparat, vbi ait. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus.* Comparatur enim gallinæ, vbi ait. *Ierusalem Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti:* id est te nolente feci. Comparatur aquilæ, vbi ait. *Sicut aquila pronocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans.* Et bene pellicanus fuit compatiendo, nycticorax patiendo, turtur pasciscendo, columba pascendo, gallina pacando, aquila pacificando. Vnde scriptum est. *Homo nascitur ad laborem: & auis ad volatum.* Quia enim homo fuit in labore passionis; quasi avis factus est in volatu resurrectionis. Hujus igitur avis nidus plerumque in arboribus reperitur: cùm in cordibus eorum, qui devotionis odore suggestiones malas, tamquā serpentes abjiciunt, quasi in cedro nidificat. In spina verò, cùm in cordibus pœnitentium, in myrtho continentium, in oliva misericordium, in abjete contemplativorum. Iu buxo, cùm in cordibus fidelium: in cedro nidificauit dæmoniaco, in spina in deserto. In myrtho coram Caïpha & Pilato; in oliva, mulieri deprehensæ in adulterio; in abjete coram Petro Iacobo & Ioanne; in vlmo quando dolores nostros tulit in patibulo; in buxo quando perseuerauit in mortis calculo. Inuenitur etiam in terra: quia non solùm in contemplatiuis, sed etiam in actiuis Christus nidificat. Descendit Zachæus de arbore, vt ipsum hospitio susciperet, Petrus in mare, vt ad ipsum perueniat; sed & eum, qui de Ierusalem descendit in Iericho Samaritanus visitat: sed & vsque in Babilonem peccatorem captivari permittit, ibique liberat. Vnde & Eliç præsumptionē redarguit dicentis. *Domine, Prophetas tuos occiderunt: altaria tua suffoderunt: & remansi ego solus,* Et dicit ei diuinum responsum. *Reliqui mihi multa millia virorum: qui non curvauerunt genua ante Baal.* Sequitur. *Matrémque pullis desuper incubantem.* Mater nidi virgo Maria; quia de suç carnis substantia nidus prodijt humanitatis: de quo scriptum est. *In nidulo meo moriar; & quasi palma multiplicabo dies.* Hæc igitur totiens super pullos & ova incubuit, quotiens cogitationes sanctas calore charitatis ad opus perduxit: tot enī pulli quot opera, quot cogitationes tot ova. Si igitur talem matrem incubantem inueneris, nō tenebis eam cum filijs: quia frustra jacitur rete ante oculos pennatorum: multomagis ante pēnas ejus, quæ volauit super pennas ventorum: multomagis ante virtutem ejus, quæ transcendit beatitudinem omnium spirituum, hominū videlicet & Angelorum; quia etsi similitudo repromittitur, tamen veritas denegatur. Si enim similitudo tibi æqualitatis promittitur: tamen veritas ..... denegatur: de ista enim dicitur. *Exaltata es sancta Dei genitrix, super choros Angelorum, ad cœlestia regna.* Ceteris autem hominibus multum, si vsque ad choros Angelorum. Non igitur eam tenebis, quia nec poteris: quia nec si te ruperis, ad gratiam vel gloriā, ad meritum seu præmium, ad agonem seu braviū ejus poteris peruenire. Perfectā quippe Dei genitricis sanctitatem imitantur quidem qui sunt ex parte ejus; & vnusquisque tantò perfectiùs, quantò & ipse perfectior fuerit. Sed etsi omnes ei assimilari contendant, nullus tamen æquari. Vnde scriptum est in libro Iosuë: quia cùm essent filij Israël transituri Iordanem: prçcones per castrorum medium transeuntes clamare cœperunt. *Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, & sacerdotes stirpis Leniticæ portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini precedentes: sitque inter vos & arcam, spatium cubitorum duorum millium, vt procul videre possitis & nosse, per quam viam ingrediamini.* Arca igitur testamenti est illa, de qua scribitur. *Beata mater munerç, cujus supernus artifex mundum pugillo continens, ventris sub arca clausus est.* Arca ista populum præcessit; quia sicut donis virtutum, sic excellentia præmiorum excelsior fuit. Inter arcam & populum spatiū relinquitur quia sanctitati ejus nullus adjungitur: in intervallo verò illo, duo computantur millia passuum: quia intùs & exteriùs perfecta ejus sanctificatio aliorum gratiam antecellit. Vnde & omnibus præcipitur: *Cauete ne appropinquetis ad arcam.* Pullos tamen captos tenebis; quia virtutes imitaberis. Considera quod se fatetur ancillam, quæ se nouit reginam; ascendit in mōtana cum festinatione in ciuitatem Iuda, vt ministraret Elisabeth; quæ sibi debuit ministrare. Disce exemplo patientiam, quādo gladius passionis animam suam transiuit; quia nec murmurasse legitur, nec maledixit. Disce exemplo deuotionem, quando conseruabat omnia verba, quæ de Christo dicebantur, conferens in corde suo. Hi n. sūt pulli: quos captos tenere teneris, vt bene sit tibi. Tunc n. captos tenebis, cum opere cōplebis; quia scriptū est. *Dicite justo quoniā bene, quia fructum adinu. suarū comedet.* Fructū n. adinuētionū suarū comedet; qui sic quærit & inuenit: & opere cōplet quod sufficit. *Et longo viuas tēpore:* nil n. longius æternitate. Sic bene erit tibi: cùm centuplū in hac vita recepis: & lōgo vives tēpore, cū vitā æternā possidebis.

*Aues aliquando dæmones designant.*

*Christus Phœnix ex Phœnice Virgine natus.*

*Psalm.* 101.

*Psalm.* 83.

*Matt.* 12. & 23.

*Deuter.* 32.

*Iob.* 5.

*Nidus Christi quibus in arboribus reperiatur.*

3. *Reg.* 19.

*Deuter.* 26.

*Maria mater nidi.*

*Iob* 29.

*Nullus beatæ Virginis sanctitatem potest æquare.*

*Iosue* 3.

*Iosue* 3.

*Virtutes B. Virginis imitandæ.*

*Isai.* 3.

*Deuter.* 26.

SERMO I. *In Natiuitate B. Virginis* MARIÆ.

2. *Esdræ 3.* *Ioan. 10.* PORtam fontis ædificauit Sellum filius Colhoza, princeps pagi Masphæ. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium; sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autem pulsat ad ostium, huic ostiarius aperit, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet.* Ovile ouium, dilectissimi fratres, illud est, in quo pastor bonus reliquit nonaginta novem oves, & venit centesimam quærere, quæ perierat. Hujus ovilis ille est ostium, qui de seipso dicit. *Ego sum ostium.* Pulsemus igitur ad hoc ostium, dilectissimi, pulsemus precibus, pulsemus operibus, & ingrediamur ad bene meditandum; egrediamur ad bene operãdum; & pascua cœlestis doctrinæ inueniemus ad bene viuendum. Pulsate, & aperietur vobis; & introite portas ejus in confessione, qui vos exaltat de portis mortis, vt annuntietis omnes laudes ejus in portis filiæ Sion. Ante tamen quã pulsetis portas ejus, ponite custodiam portis vestris, ne fortè fortis armatus, vel filij Berothitæ, inueniant conscientiæ domum vacuam, & expositam transeũti, & ingressi habitent ibi.

*Christus ostiũ, ouile cœlum & Ecclesia.*

*Ioan. 10.*

2. *Esdræ 13.* Portæ verò nostræ sunt, de quibus Esdras præcepit filijs Israël, ne inferrent onera sua per portas suas in die sabbati. Et bene, quia qui contemplationis & internæ claritatis quietem habere desiderat, admittere non debet, vel per visum vanitatem, vel per auditum curiositatem, vel per olfactum delectationem, vel per gustũ edacitatem, vel per tactum impuritatem. Vnde si diligenter custoditæ non fuerint, statim pro foribus peccatum aderit. Non ergo ostiariæ negligenti, sed ostiario diligenti committamus eas; illud timentes & habentes præ oculis, quòd ostiaria purgans triticum obdormiuit: vel certè, quòd ostiaria Caïphę Petrum calefacientem ad prunas compulit ad negandum. Ostiarius enim strenuus & fidelis est timor Domini, cujus maturitas non sinat euagari. Stabilitas enim ejus commendatur, cùm dicitur. Timor Domini permanet in sæculum sæculi. Solicitudo verò commendatur, vbi dicit. *Qui timet Deum, nihil negligit.* Et bene, quia ab initio tentationis vsque in finem mentem sibi commissam non deserit; sed super ipsã sẽper inuigilat. Ab initio, quia scriptũ est. *Initium sapientiæ timor Domini.* Vsque in finem, quia scriptum est. *Finem loquendi pariter audiamus. Deum time, & mandata ejus obserua; hoc est omnis homo.* Hujus ergo fidelis ostiarij proprium est; vt portas nostras claudat; vel si aperiantur, attollat clausas: quia clausis januis intrauit Dominus ad discipulos. Commendabilis apud Ezechielem dicitur porta clausa, per quam non intrauit vir, sed princeps ipse sedit, vt in ea comederet panem suũ. Si obturas aures tuas, ne audias sanguinem, & claudis oculos tuos, ne videant malum, benè portas tuas claudit timor Domini. Bene claudebat Iob portas suas, qui dicebat. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem quidem de virgine.* Et Psalmista. *Obmutui, & non aperui os meum.* Phinees enim qui dicitur os mutum, placauit, & cessauit quassatio. Cultus enim justitię silentium; & in silentio & spe erit fortitudo nostra. Quod si aperiantur, attollantur; sicut scriptum est. *Attollite portas principes vestras.* Qui leuat oculos suos in montes, vnde veniat auxilium ejus; qui extollit manus suas in sancta, vt scriptum est, *Leuabo ad cœlum manum meam,* ille est, qui extollit portas suas. Sequitur. *Et introite portas ejus in confessione.* In confessione cordis, de qua scriptum est. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo.* In confessione oris, de qua dicitur. *Confitebor Domino nimis in ore meo.* In confessione operis, ne simus illi, de quibus dictum est. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Introite *portas ejus in confessione.* Quę sint portæ ejus alibi aperit, cùm dicit. *Aperite mihi portas justitiæ, & ingressus in eas, confitebor Domino.* Portæ enim justitiæ, portæ sunt ejus. Quidquid morum, quidquid virtutum, quidquid bonorum operum est, portæ sunt ejus. Quarum quædam porta fuit patientia, per quã intrauit Iob ad Deum; fides, per quam Abrahã: mansuetudo, per quam Moyses: humilitas, per quam Dauid. Talibus ergo portis intrandi ad Deum sancti aditum meruerunt. Sed portarum justitiæ aliæ sunt temporales, aliæ æternales. Temporales, quę euacuabuntur & destruentur, sicut fides & spes. Æternales, sicut charitas & vsus ejus. Diligere quippe Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute, in hac vita incipitur; sed in æterna perficietur. In hac quippe vita potest incipi; sed nec perfici potest, neque consummari. De talibus ergo portis dictum est. *Attollite portas principes vestras & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ,* qui vos exaltat de portis mortis. Sicut virtutes portæ justitiæ dicuntur: sic & vitia portæ. Tamen quinque principales ex sacro colliguntur eloquio: cupiditatis, voluptatis, obstinationis, exprobrationis, reprobationis. De prima legitur in Iudicum, quòd portas Gazæ transtulit Samson in supercilium montis. De secunda in Daniele, vbi hircus caprarũ efferabatur in porta Vlai contra arietem. Vlai quippe palus, non à palo, sed à palude vocatur. Vlai ergo porta paludis est, per quod lutum voluptatis accipitur. De tertia dicitur in Psalmo. *Quia confregit portas æreas, & vectes ferreos.* Æs enim inflexibile est; & propter hoc obstinationis duritiam præfigurat. De duabus vltimis legitur in Sophonia. *A prima,* inquit, *porta erit clamor, & vlulatus à secunda.* Veniens siquidem Dominus ad judiciũ dicturus est malis. *Esuriui, & non dedistis mihi manducare,* &c. Tunc ipsi clamabunt & dicent. Væ nobis. *Nos insensati vitam eorum putabamus insaniam: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Et cùm Dominus subjunget, *Ite maledicti in ignem æternum,* tunc erit vlulatus. Bestialem quidem vocem emittent, quia bestialiter vixerunt. In prima erit exprobratio, in secunda reprobatio. Exprobratio; vbi dicet Dominus, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare;* reprobatio, vbi dicet, *Ite maledicti in ignem æternum.* Tunc erit vlulatus. De talibus portis Dominus vos exaltat, vt annuntietis *laudationes ejus in portis filiæ Sion.* Sion interpretatur speculatio. Est autem speculatio alia ænigmatica, alia anagogica. Vnde à speculo vel à specula nominatur. Quando enim per speculum in ænigmate, id est per similitudines & imagines rerum, Deum quis contemplatur: à speculo speculatio dicitur, & ænigmatica vocatur. Fit autẽ tribus modis. Per similes similitudines, vel per similes dissimilitudines, vel per dissimiles similitudines. Per similes similitudines; quando

*Timor Dei ostiarius animæ instituendus.*

*2. Reg. 4.* *Ioann. 18.* *Eccle. 7.* *Psalm. 110.* *Eccle. 12.* *Ezech. 44.* *Iob 31.* *Psal. 38.* *Psalm. 8.*

*Deuter. 32.* *Psalm. 99.* *Psalm. 9. & 108.* *Tit. 1.* *Psalm. 117.*

*Diuersæ portæ virtutũ.*

*Psalm. 23.*

*Vitiorum portæ.*

*Iudic. 16.* *Dani. 8.* *Psal. 106.* *Sopho. 1.* *Matt. 25.* *Sapien. 5.* *Psalm. 9.*

*Speculatio duplex, ænigmatica & anagogica.*

quis comprehendere Deum nititur per aliquā rem sibi valde similem, sicut per Angelum. Nā sicut Deus subtilis, agilis, inuisibilis, incorporeus; ita & Angelus. Hinc est, quòd Angelus qui apparuit Agar, Deus appellatur, sicut ipsa ait. *Tu Deus, qui vidisti me.* Per similem verò dissimilitudinem, quando fit comparatio per antithesin, hoc est per contrarium, vt scriptum est; quia cognito vno contrariorum, cognoscitur & reliquū: vt si de bonitate Dei locuturus, primò malitiam diaboli describo, vt dulciùs mihi in ore sapiat bonitas Dei, & clariùs innotescat. Hinc est, quòd in Evangelio dicitur. *Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua; & Lazarus similiter mala.* Per dissimiles verò similitudines, quando per aliquā rem vilem & despectam, magnitudinem Dei tam sublimem, tam arduam, apprehendere conamur. Vnde se vermi & serpenti comparat. Et quid verme vilius, aut serpente? In Psalmo tamen dicit. *Ego sum vermis, & non homo.* Et in Euangelio. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; sic exaltari oportet filium hominis.* A specula verò speculatio dicitur, quando mens ita sursum ducitur, vt nullis signis præcedentibus, nullis causis subsistentibus, mens ab omni imagine defæcata, ad superessentialem & infinitiuam originē simpliciter & reciprocè refertur; quod in multis locis in soliloquio,... quæquidem admodum paucorū est, & anagogica dicitur, ab *ana*, quod est sursum, & *agoge*, quod est ductio. Vix contingere potest, vt Rachel de domo patris sui veniens, & ad terram promissionis properās, proficisci possit sine imaginibus Laban. Est igitur filia Sion anima speculatiua, quam oportet ad contemplationis gradus per multas portas introire. Et si per portas illas ad pacis visionem non venerit, frustra laudationes Dei cantabit: quia nō est speciosa laus in ore peccatoris. Hinc est, quòd in Ierusalem, quæ interpretatur visio pacis, erat portarum multitudo; scilicet porta vetus, porta nebulosa, porta equorum, porta scutariorum, piscium, sterquilinij, vallis Iosaphat, & porta fontis. Quicúmque Deum vult contemplari, necesse est, vt per aliquam istarū portarum ingrediatur ad Deum. Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei: quia diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te, anima speculativa, quæ virtutibus tamquam ciuibus plena, muro fortitudinis circumdata, & talibus portis es ornata. Prima porta dicebatur vetus. Sed quomodo vetus? Quod enim antiquatur & senescit, prope interitum est. Veterem quoque hominē renovans Salvator venit ad baptismum. Pessima est talis vetustas, videlicet originale peccatum: quod à primo homine vsque ad vltimum perseuerat, nec in aliquo homine deletur, etiam post baptismum. In baptismo siquidem non potest deleri, vt non sit; sed debilitatur, vt non obsit. Inest post baptismum ad pœnam, non ad culpam; inest actu, non reatu. Actualia quidem peccata, si sunt actu, necesse est, vt sint reatu: sed reatu esse possunt, etiamsi non sunt actu. Illud verò inesse potest actu, & non reatu: sed si reatu est, necesse est, vt sit actu. Propter hoc in Oratione rogamus, vt *noua incarnati Verbi natiuitas liberet, quos sub peccati iugo vetusta seruitus tenet.* Laudabilis autem vetustas est, de qua legitur in Canticis. *Omnia poma noua & vetera*

*Genes. 21.*
*Luc. 16.*
*Psalm. 21.*
*Ioann. 12.*
*Anima contemplatiua est filia Sion.*
*Portarum Ierusalem nomina, ex 2. Esdræ. 3.*
*Concupiscētia manet in renatis, sed nō obest. Vide notas.*
*Cantic. 8.*

*seruaui tibi, dilecte mi.* Et in Euangelio. *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.* Porta ergo vetus Ecclesia Dei est, quæ à primo iusto vsque ad vltimum perseuerat, militans, expectans, triumphans. Militans in mundo, expectans in purgatorio, triumphans in cœlo. Ipsa enim domus est fundata supra firmam petram. Venerūt flumina, flauerunt venti, sed non cecidit: quia vir sapiens supra petram eam fundauit. In hac veteri porta sedet antiquus dierum cum senioribus suis; id est Deus Pater requiescit in ea cū Angelis suis, qui post lapsum apostatę permanserunt. Ibi comeduntur vetustissima veterum; quia oblatio panis & vini, quam Sacerdos Melchisedech ante legem obtulit patri nostro Abrahæ in corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, in Ecclesia quotidie transsubstantiatur. Vnde & idem Dominus, qui hęc præcepit fieri; dictus est Sacerdos in ęternum secundùm ordinem Melchisedech. Necesse est ergo per portā istam nos intrare ad pacis visionem; videlicet Ecclesiæ fidem; quia cœlestis glorię diuitias habere non meretur, qui per eas non ingreditur. Habet enim ibi argentum venarum suarū principia, & auro locus est, vbi conflatur. Secunda porta dicebatur nebulosa; illa scilicet, de qua dicitur. *Longè fiant filij eius à salute, & conterantur à porta.* Portam vocat Christum, si ne quo non est ingressus ad visionis pacem, vel ad pacis visionem. Vnde orationes omnes terminamus per Dominum nostrum Iesum Christum; eò quòd per ipsum solum patet introitus ad cœleste regnum. Vocata est autem nebulosa multis de causis: quia à nube dicitur nebulosa. Nebulosa dicebatur, vel propter profundum diuini consilij secretū; vel propter obscuritatem Prophetarum, qui de eo, quæ ventura erant, prædixerant: vel propter occultam & inopinatam Virginis fœcunditatem: vel propter ascensum, qui naturaliter est in nubibus: vel propter emissionem pluuiæ, vel propter nubium celeritatē. Propter profundum diuini consilij secretum, vt scriptum est. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum*; id est, profundo diuini consilij secreto pluat: à superioribus quasi pluuia descendat ille, de quo scriptum est. *Tenebrosa aqua in nubibus aëris*, id est obscura scientia in Prophetis, propter occultam Virginis fœcūditatem. Vnde scriptum est. *Ascendet Dominus super nubem leuem.* Propter ascensum verò, quia scriptum est. *Qui ponit nubem ascensum suum, qui ambulat super pennas ventorum.* Propter emissionem pluuiæ, quia descendit sicut pluvia in vellus. Propter celeritatem, quia scriptum est. *Voca nomen eius accelera spolia detrahere, citò prædare.* Vnde in Euangelio. *Sicut fulgur ab Oriente paret in Occidentem: ita erit aduentus filij hominis.* Tertia porta dicebatur equorum. Equi sunt, qui sustinendo, confitendo, prædicando, per vniuersū mundum Dominum portauerunt, per viam mandatorum Dei cucurrerunt; & in omnem terram exiuit sonus eorū; & in fines orbis terræ verba eorum; quia velociter cucurrit sermo eorum. Talium virtutes equorum per similitudinem fortis equi describit Iob, ita dicens. *Gloria narium eius terror, terram vngula fodit, exultat audacter. In occursum pergit armatis. Super eum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus. Non reputat tubæ sonare clangorem: sed cùm audierit*

*Matt. 13.*
*Ecclesia militans, expectans, triumphans.*
*Transsubstantiationis assertio & vocabulum.*
*Iob. 5.*
*Christus porta nebulosa.*
*Isai. 45.*
*Psalm. 17.*
*Isai. 19.*
*Psalm. 103.*
*Isai. 8.*
*Matt. 24.*
*Porta equorum porta Apostolorū.*
*Iob 39.*

*Descriptio generosi militis Christi.* buccinam; dicit, vah. Ideo gloria narium ejus terror: quia in terrore aduersitatis, quem sibi venturum prænoscit, gloriatur. Terram vngula fodit, quia exemplo operum suorum terrenas cogitationes excutit. Exultat audacter, quia dignus est pro nomine Iesu contumeliam pati. In occursum currit armatis: quia spiritualium machinamentis hostium viriliter resistit. Super eũ sonat pharetra, qua nobis prædicat diuina secreta. Vibrat hasta, quando diabolum repellit à terminis suis. Vibrat & clypeus, quando se protegit ab ejus insidijs. Non reputat tubæ sonare clangorem: quia potentium comminationes parvipendit. Sed cùm audierit buccinam, dicit, vah, quia cùm paratam sibi tribulationẽ audit, exultat. Vah, siquidem vox exultationis est. Tales equos in spiritu vidit Zacharias, videlicet albos & varios, pallidos & rufos: per albos Virgines intelligens, per rufos martyres, per pallidos abstinentes, per varios, eos qui secundùm varias virtutes Deo placuerũt, sicut Abraham per fidem, Iob per patientiam. Beati qui portam istam intrare meruerunt: qui talem introitum ad visionem pacis habuerunt. Quarta scutariorum erat. Scutarius à scuto vocatur. Scutarij sunt, qui prædestinati sunt à Deo æternaliter, vel à Deo proteguntur, vel alios protegunt temporaliter; aut qui Dei adjutorio contra antiquũ hostem pugnant viriliter. De prædestinatis æternaliter dicit Psalmista. *Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* De protegendis temporaliter idem alibi. *Scuto circumdabit te veritas ejus.* De viri pugna alibi. *Apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi.* Vnde in Canticis. *Mille clypei pendent in ea;* id est in Ecclesia, *omnis armatura fortium.* Ergo scutarij sunt, qui à Deo prædestinati sunt, vel merentur protegi; vel à bello spirituali non desistunt, adjutorio Dei præmuniti. O verè felices, qui per portam scutariorum intrant in Ierusalem, id est ad pacis visionem. Caueat tamẽ scutarius, dum pugnat adhuc accinctus, ne consilio Naas dextrum sibi eruat oculum, & abscondat sub scutum sinistrum. Nihil enim differt in prælio talis monoculus à cœco. Consilio siquidem Naas dextrum sibi eruit oculum, qui monitis serpentis antiqui, non propter cæleste pręmium pugnat; sed propter temporale lucrum. Nam per dextrum oculum intellectus cœlestium, per sinistrum verò terrestrium figuratur. Sequitur de porta piscium. Piscis est, qui inter fluctus hujus maris magni & spatiosi se subleuat à profundo spei pennulis, & defendit à flatibus patientiæ squamis: quorum primus & maximus ille fuit, cujus cor & fel & jecur omne genus dæmoniorum extricat. Quis enim dilectionem & affectum cogitans cordis, quem Christus erga nos habuit, de quo scriptum est, *Obtulerunt ei partem piscis assi:* vel effusionem sanguinis sui tamquam hepar, vel passionis amaritudinem tamquam fel; quæ omnia super charitatis prunas assata sunt, omne dæmonium non repellat? Verè fumus ejus, id est fama dilectionis ejus, omnia sophismata siue phantasmata nequitiæ spiritualis exterminat. Sequitur de porta sterquilinij. Porta sterquilinij erat, per quam foras stercora ciuitatis efferebantur. Scitis, fratres, quòd quidquid est in mundo, quasi stercora sancti reputant. Vnde Apostolus. *Omnia reputaui vt stercora, vt Christum lucrifacerem.* Quid igitur aliud est congregatio diuitiarum, vel honorum, vel dignitatũ, nisi quasi quædam congregatio stercorũ, quasi sterquiliniũ? Hinc est, quòd Tobias calido stercore hirundinis legitur excæcatus. Calido stercore, id est nimio cupiditatis affectu. Vnde conqueritur vxor sua dicens. [Vtinam numquam fuisset pecunia ipsa, pro qua misisti filium nostrum peregrinari; lumen oculorum nostrorũ, baculum senectutis nostræ.] Et bene dicitur hirundinis stercus fuisse: quia hirundo volando acquirit vnde viuit. Bene igitur per hirundinẽ significantur, qui solo corpore in hac peregrinatione constituti, cogitatione & aviditate animæ cibum sibi acquirunt. Vnde & Ioannes Baptista, qui licet mole leuatus corporea totus pergebat ad Deum, per hirundinem figuratur, sicut legitur in Ieremia. *Turtur & hirundo, & miluus & ciconia cognouerunt tempus aduentus sui: Israël autem me non cognouit.* Per turturẽ autem scilicet gemebundum, Simeon ille significatur, qui dicebat. *Putas videbo, putas durabo?* Ille cognouit tempus aduentus gratiæ, quando dixit. *Nunc dimittis seruum tuum Domine: secundùm verbum tuum in pace.* Milvo verò, qui rapiendo viuit, ille rapax & cupidus Balaam figuratur; qui sola cupiditate ductus consilium dedit Balaac contra Israël. Cognouit tamen tempus aduentus gratiæ, qui dixit. *Orietur stella ex Iacob, & consurget homo de Israël:* Ciconia verò, quæ pascitur venenosis, Sibyllam significat venenosam & magam, quæ tamen aduentum Domini prædixit, dicens. *De cœlo Rex adueniet per sæcla futurus, scilicet in carne præsens, vt judicet orbem.* Sic enim oportuit inimicos nostros esse Iudices fidei; vnde infideles justo judicio damnari meruerunt, qui nec suis credere voluerunt. Per hirundinem verò Ioannes figuratur, quia collum rubeum habuit in decollatione, ventrem candidum virginitate, dorsum verò nigrum laboris onere. Ipse igitur cognouit tempus aduentus gratiæ, cùm dixit. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sic amicis & inimicis Dominus largitus est charismata charitatis, vt nullus à fide & dilectione sua valeat excusari. Igitur porta sterquilinij est ingressus vel egressus ad sterquilinium gratiæ temporalis. In ea plerumque sedent auari, quando cogitant, quomodo deceptorij sunt honores mundi, fallaces diuitiæ, momentaneæ voluptates, vt sic radant eas à conscientijs suis, & remoueant à cordibus suis. Sic sedebat Iob in sterquilinio, saniẽ, id est putredinem sterquilinij radens, id est remouẽs, testa, id est forti pœnitentiæ disciplina. Vel per sterquilinium vitia figurantur, sicut de peccatore legitur in Iob. *Et quasi sterquilinium in fine perdetur.* Porta ergo sterquilinij sunt Prælati, quibus peccatores vitia confitentur. Per ipsos enim tamquam per portam peccatorum stercora foris efferuntur. Videte dilectissimi, videte quem locum teneant in Ecclesia Dei, qui superbiunt hodie de patrimonio crucifixi. In tabernaculo sunt saga cilicina, in arca Noë mansio stercoraria, in Ierusalem sterquilinij porta. Quid superbis scopa furni? Quid superbis sacerdos veteris testamenti? Sacerdotum quidem erat extra castra sacrificium offerre; ipsi tamen immundi remanebant vsque ad vesperam. Sic scopa furni furnum mundat, eò tamen immundior atque sordidior. Tales sunt, qui peccata

Marginalia: *Zachar. 6.* — *Psalm. 5.* — *Psalm. 90. & 34.* — *Cant. 4.* — *1. Reg. 11.* — *Luc. 24.* — *Meditatio passionis Christi quã efficax.* — *Philip. 3.* — *Congregatio diuitiarũ &c. congeries est stercorum.* — *Tobiæ 5.* — *Ierem. 8.* — *August. sermo de Purificat.* — *Luc. 2.* — *Num. 24.* — *S. Ioann. Baptista hirundine designatus.* — *Ioann. 1.* — *Iob 20.* — *In malos sacerdotes acris inuectiua.*

*Boni sacerdotes.*

populi comedunt, & confessiones aliorum recipiũt: non tamen omnes; quia sicut, nec hiems laurum, nec comburit rogus aurum, sic infusio vitiorum non tangit corda sanctorum, nec patiendo sentiunt, cùm eis dicitur, sed magis cõpatiendo. Difficile tamen est, tangere picem, & non inquinari ab ea. Sequitur de porta vallis Iosaphat. De hac sic legitur in Ioële, dicente Domino. *Congregabo omnes, & educam eos in valle Iosaphat, quia ibi sedebo, vt judicem omnes gentes in circuitu.* Hanc sententiam quidam pueriliter intelligentes, judicium Domini venturũ in terra debere fieri mentiuntur, id est in valle Iosaphat, quæ est à latere montis Oliueti, cùm Apostolus ad Thessalonicenses dicat, quòd in spatio hujus aëris futurum sit. Ait enim. *Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra.* Ecce apertè dicitur, quòd in aëre fiet judicium: sed ideo se dicit Dominus disceptare cum gentibus in valle Iosaphat, quia Iosaphat judicium interpretatur, & vallis dicitur. Et bene vallis dicitur, quia occultum est nobis, quando vel quomodo fiet. Vnde scriptum est. *Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet.* Disceptabit ergo cum gentibus in valle Iosaphat; quia judicabit eos occulto judicio. Vnde scriptum est. *Iudicia tua abyssus multa.* Eo ergo magis timendum judicium, quo occultum. Leo rugiet, quis non timebit? Quis stabit ad videndum eum, ante cujus conspectũ astra non sunt munda, & in Angelis suis inuenit prauitatem? Quanto magis immundi & pravi sunt, qui domos inhabitant luteas, & terrenum habent fundamentum; quorum justitiæ quasi stilla situlæ, & quasi pannus menstruatæ apparebũt, quando loquetur inimicis in porta: quãdo veniet ad judicium cum senioribus suis, vt scriptum est. *Nobilis in portis vir ejus, cùm sederit cum senatoribus suis.* Et verè in portis, quia de portis egredientur omnes homines, filij videlicet hominum conjudices filij hominis, sicut scriptũ est. *Vos qui reliquistis omnia, sedebitis super sedes, indicantes duodecim tribus* Israël. Egredientur enim de porta veteri Angeli, qui peccatores accusabunt; eo quòd monitis eorũ credere noluerunt. De porta nebulosa Prophetæ, accusantes eos, quia prophetijs eorum acquiescere noluerunt. De porta equorum Apostoli, accusantes eos, quòd prædicationibus eorum non acquieuerunt. De porta scutariorum Martyres, accusantes eos, quòd exemplis eorũ pati pro Domino noluerunt. De porta piscium Confessores; accusantes eos, quòd eorum exẽplis inter fluctus hujus maris magni & spatiosi per patientiam animas suas non possederunt. De porta vallis Iosaphat Virgines egredientur; accusantes eos, quòd non solùm corporali fornicatione, sed etiam spirituali animas suas corruperunt. Cur ergo miseri cum fatuis Virginibus verbum illud non timetis, quo dicetur, *Amen dico vobis, nescio vos,* & clausa erit janua? Clausa quidem erit vobis janua cœli; qui iniquitate hypocrisi & infidelitate aperitis vobis portas inferni. Iniquitas siquidem vestra porta est inferni patens & euidens, vt scriptum

*Ioel. 3.* — *Iudiciũ futurum in valle Iosaphat multi credunt.* — *1. Thessa. 4.* — *Luc. 12.* — *Psalm. 35.* — *Prover. 31.* — *Matt. 19.* — *Per quas portas egredientur sancti ad iudicium.* — *Matt. 25.*

est. *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta.* Quòd autem hæc porta sit, aperitur alibi, cùm dicitur. *Erubescant impij, & deducantur in infernum*, id est erubescent & deducentur in infernum. Non enim optatiuè, sed propheticè intelligendum est, * *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus iustum iniquitatem in superbia & in abusione.* Hypocrisis etiam porta inferni est, sicut figuratum est in porta, in qua simulator ore Absalon per hypocrisin decipiebat ad judicium venientes. Infidelitas quoque porta est, & introitus ad infernum, in qua perijt dux Samariæ, qui Elisæo promittenti temporis vbertatem credere noluit, sed ait. *Etsi aperuerit Dominus cataractas cœli, non fiet quod promittis.* Quid igitur agendum est fratres? Fugiamus de corruptione ad correptionem, de directione ad directionem, per desiderium vitæ cœlestis, ad refugium nostri humani * sceleris, ad refugium nostri succursus sceleris, videlicet ad portam fontis, portum salutis, portum sanitatis. Quæ est ista porta fontis? Hæc est illa, quam ædificauit Sellum, virgo scilicet gloriosa, cujus hodie natiuitas, memoria in benedictione est. De qua alibi dicitur. *Tu Regis alti ianua, & porta lucis fulgida.* De hac sic in Ezechiele legitur. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur. Non introibit vir per eam: princeps sedebit in ea, vt comedat panem suum.* Et bene clausa, quia nec ante partum, nec in partu, nec post partũ, corrupta fuit. Non est aperta, quia virginitatem non amisit. Non est ingressus vir per eam, quia sine virili semine concepit. Princeps sedit in ea; quia Princeps Regum in ejus vtero se humiliauit. Panem suum ibi comedit: quia Patris sui voluntatem compleuit, vt scriptum est. *Cibus meus est, vt faciam voluntatem patris mei qui in cœlis est.* Et bene dicitur porta fontis: quia ipsa porta fuit sacræ eruditionis, porta charitatis, porta vitæ. Eruditionis, de qua scriptum est. *Et fontes putei tui diriventur foras.* Charitatis, de qua legitur. *Fons proprius, cui non communicat alienus.* Vitæ, sicut in Psalmo legitur. *Quoniam apud te est fons vitæ.* Vnde & ipsa Virgo gloriosa fons hortorum vocatur, & benè; quia ipsa non cessat irrigare hortum nucum, hortum pomorum, hortum aromatum. Nucũ, quia suam animã pertransiuit gladius passionis. Pomorum, quando ascendit in montana cum festinatione, & ministrauit Elizabeth. Aromatum, quando conseruabat omnia verba, quæ de Christo dicebantur, conferens in corde suo. Hanc igitur portam fontis ædificauit Sellum; ædificauit, id est ædem fecit, mansionem scilicet & thalamum: quia cum dilectione Dei mãdata servauit, vt scriptum est. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Christus enim prodijt de Virginis vtero, tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Ædificauit eam Sellum. Sellum pacificus interpretatur. Et quis est iste pacificus; nisi ille, in cujus typum Psalmista canit, *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus?* Ipse enim non solùm pacificus est, sed ipsa pax, sicut Apostolus ait. *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnũ.* Reliquit enim nobis pacem pectoris, quæ facit patientem, de qua scriptum est. *Sectamini sanctimoniam & pacem, sine qua nemo videbit Deũ.* Hæc pax relicta est laborantibus in mundo.

*Psalm. 68.* — * *sicut illud Psalm. 30.* — *Hypocrisis inferni porta.* — *4. Reg. 7.* — * *fortè generis.* — *Ezech. 44.* — *B. Virgo est porta clausa.* — *Ioan. 4.* — *Prouer. 5.* — *Psal. 35.* — *B. Virgo cur fons hortorum.* — *Ioann. 14.* — *Psalm. 119.* — *Ephes. 2.* — *Hebr. 12.*

Vnde

Vnde in missa pro defunctis, pax non datur; quia defunctis non est necessaria pax pectoris, sed pax æternitatis. Vnde scriptum est. *Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt*, id est in spe certissimæ pacis æternæ. Illam reliquit, istam dedit, vt scriptum est. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Pacem verò temporis nec reliquit, nec dedit, vt scriptum est. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Neque eam dare voluit; quia ipsa pax semper imperfecta est, aut simulata, aut inquinata, aut scelerata, aut inordinata. Imperfecta, quia caro semper concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Simulata, sicut eorum, qui propter carnis lenocinium se diligunt. Scelerata verò, qui propter furtum, vel rapinam, vel aliud scelus sibi sunt pacati. Inordinata verò, quando non diligimus diligẽtes, vel diligenda non diligimus, vel minùs diligenda magis, vel magis diligenda minùs diligimus. Quis sit autem iste Sellum, ostenditur, cùm dicitur, *Filius Colhozai.* Colhozai interpretatur videns omnia, vel propinans omnia. Quid igitur iste significat, nisi Deũ Patrem? Vnde Iob loquitur. *Sapiens est corde, & fortis robore.* Videt enim omnia, qui nouit omnia antequàm fiant. Videt enim omnia per sapientiam, propugnat omnia per potentiam. Scientia siquidem & potentia, quasi duabus clavibus cœlestis regni thesaurum claudit vel aperit. Claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Vnde Petro & successoribus ejus claves istas dedit, ipso dicente. *Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcúmque ligaveris super terram: erit ligatum & in cœlis. Et quodcúmque solveris super terram: erit solutum & in cœlis.* Hinc est, quòd Iaël vxor Aber Cinæi in typum Ecclesiæ clavo & malleo Sisaram interfecit. Clavo scientiæ, & malleo potentiæ. Clavo inquam scientiæ, quia scriptum est. *Verba sapientis, vt stimuli, & quasi clavi in altum defixi.* Vtraque clavis necessaria est Petri successoribus: quia qui scientiam habet sine potentia, clave caret, sed non clauo: qui verò potentiam sine sciẽtia, clave caret, sed non clava. Scientia enim sine potentia clavus est in oculo cæci: potentia sine scientia clava est in manu furiosi. Bene ergo filius Colhozai fuit Sellum, id est omnia intelligentis & omnipotentis fuit filius, non imitationis, non adoptionis, non doctrinæ, non gratiæ, sed naturæ: quamvis gratiæ fuerit, quòd ens homo fuerit filius Dei, tamen non fuit filius Dei per gratiam, sed per naturam. Dicit tamen Apostolus. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute*; quod tamen sic intelligendũ est, quòd prædestinatum fuit in virtute Dei, vt ens homo esset filius Dei. Sequitur de dignitate. *Princeps pagi Maspha.* Nota, quia princeps multis modis accipitur. Potest enim dici à principio. Vnde Christus dicitur princeps Regum terræ, qui alibi ait. *Ego principium, qui & loquor vobis.* Et in Apocalypsi. *Ego sum Alpha & O, principium & finis.* Potest etiam dici à præcipio. Vnde Apostoli principes vocãtur; quia præcepta Dei prædicauerunt. Potest etiam dici à præcipitio. Vnde diabolus dicitur princeps mundi, quia præcipitat amatores suos. Vnde scriptum est. *Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Videtur tamen dici princeps à principio; quia scriptum est. *Ille erat homicida ab initio.* Sed ab initio dicit, id est post initium, sicut ibi, *A prima substantia nulla est prædicatio*, id est post primam substantiam. Et ibi. *O Iane à tergo quem nulla ciconia pinsit*, id est post tergum. Princeps ergo pagi Maspha fuit Sellũ. Pagus dicitur à pege, quòd est fons. Vnde dicuntur pagani, quasi pegeni: quia ipsi villas facere solebant super fontes. Vnde Isaac legitur puteos fodisse. Erat ergo Sellum princeps pagi Maspha, id est fontis Maspha. Maspha interpretatur speculatio. Vnde de Christo dicitur in Psalmo. *Et factus est in pace locus eius; & habitatio eius in Sion.* Sion & Maspha idem interpretatur. Habitatio Sion, pagus Maspha; princeps pagi Maspha, princeps habitationis Sion. Quoties ergo Christum in corde tuo præfers omnibus, & cum devotione contemplaris, & facta ipsius fideliter ac devotè circumspicis; in habitatione Sion, vel in pago Maspha habitas, & pacificè requiescis. Nam de prælationis specula, scriptum est in Ezechiele. *Speculatorem dedi te domui Israël.* De contemplationis verò in Isaïa. *Pone tibi mensam, & contemplare in specula.* De circumspectione in Ieremia. *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, & dirige cor tuum in viam rectam.* Ergo, dilectissimi, præferamus omnibus Christum, contemplemur eum, circumspiciamus virtutem ejus, sapientiã ejus, bonitatem ejus. Dirigamus viam nostram in viam rectam; vt habitemus in Sion, & in pago Maspha; ipso principe pagi præeunte & præuio, Iesu Christo Domino nostro, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

*Eccli. 39. Ioann. 14. Matt. 10. Quænam pax mala. 2. Esdræ 3. Iob. 9. Scientia & potentia sunt claues cœli. Matt. 16. Eccle. 12. Rom. 1. Christi prædestinatio quomodo intelligenda. 2. Esdræ 3. Ioann. 8. Apocal. 1. Ioan. 12. Ioan. 8. Aristot. in Categor. Persius. Psal. 75. Specula Prælationis, contemplationis, &c. Ezech. 3. Isai. 21. Ierem. 31.*

## SERMO III. *In Natiuitate B. Virginis* MARIÆ.

STELLA *in medio nebulæ*, Ex regali progenie Maria exorta refulget. Quotiens, dilectissimi fratres, ad audiendum verbum solatij, solatium verbi Dei eligitis, non debetis attendere, quis dicat: sed quid dicatur. Viri enim leprosi fuerunt, qui verbum solatij prædicauerunt in porta Samariæ: sed dux ille, super cujus manũ Rex incumbebat, quia credere noluit, mortem incurrit. Amalechites quoque fessus in itinere, dux factus est exercitus David. Ciuitas etiam illa, quæ lingua Chananæa loqui solebat, facta est ciuitas solis; videlicet gentilitas, quando lingua exsiccativa, illuminativa, accensiva, nobis locuta est. Exsiccativa, dico, nostræ iniquitatis, illuminativa veritatis, accensiva charitatis. Et bene, quia tanta est gloria Cherub, vt plerúmque audiri possit vox ejus in atrio exteriori, secundùm quod Dominus mittit crystallum suũ sicut buccellas, panem educit de terra, vel de petra, oleúmque de saxo durissimo. Multotiens ergo asina Angelum videt, quem homo non videt: quia sicut hirundo & turtur cognoverunt tempus adventus Christi, ita & milvus & ciconia. Hirundinem dico Ioannem Baptistam, turturem Simeonem, milvum Balaam, ciconiã verò Sibyllam: isti mirabiliter de Deo prædicaverunt. Ioannes, *Ecce agnus Dei*; Simeon, *Nunc dimittis:* Balaam, *orietur stella ex Iacob*, Sibylla, *De cœlo Rex adveniet per sæcla futurus.* Vulgò enim dicitur; porcus iners multociens radicem bonam inuenit. Et hos porcos dixerim, qui non ruminando, sed quasi in terra fodiendo, id est terrena scrutando, Iesse nobis radicem effoderunt; & ostenderunt nobis, quomodo de radice Iesse Maria exorta refulget. Hermes siquidem & Asterius Philosophi Regis Persarũ hujus

*Eccli. 50. 4. Reg. 7. Asina sæpe Angelum videt, quem homo non videt. Ioann. 1. Luc. 2. Num. 24.*

S

gloriosæ virginis solemnitatis multis & dignis præconijs, nescio ex magnitudine literaturæ, siue à spiritu Prophetiæ, quem habere potuerunt à spiritu; & si non fortè in spiritu, prædicauerunt multis modis; à natiuitate scilicet virginis, à plenitudine temporis, ab impositione nominis, à nobilitate generis, à studio doctrinæ spiritualis, ab exercitio vitæ temporalis: à loco, vbi conflatum est aurum sapientię suæ: tandem à consummatione beatitudinis veræ & certæ, & plenæ. Dicit enim Asterius. *Orietur sub decano Virginis, puella quadam, quæ lingua Persica dicitur Sedeozordama, Arabicè verò Adreuedesa, sedens super solium auleatum, binas manu tenens spicas; & pascens filium suum iure, in loco vbi dicitur, Aue, & nomen pueri vocabunt Iesum.* Hermes vero paucis verbis mutatis, de eadem virgine sic locutus est. *Nascetur sub virgine puella quadam, quæ vocatur Corcisclastalis, sedens super stratam publicam: gemina manu gerens aristas: dans filio suo ius ad pascendum in terra Hebræa: nomen autem filij vocabunt Iesum*: quibus consentit tertius Poëta, cujus nomen est Albumazar, ita dicēs. *Orietur sub Decano virginis mater virgo: lactátque patrem; & eidem solio assidet, vir eam non attingens.* Audite dilectissimi fratres, viros leprosos proferentes præconiū laudis Christianæ, Amalechitas duces itineris fidei catholicæ, asinas videntes Angelos Dei, ciconias mirabiliter crocitantes. Sugite mel de petra, vngimini oleo de saxo durissimo, frangite buccellas crystallinas, & comedite panem de terra. Tanta est enim fidei Catholicæ veritas gloriosa; quòd inimici nostri sunt judices: & in ore trium testium stat verbum gloriæ, & testimonium Virginis gloriosæ. Vbi enim dicitur, *orietur*, commendatur natiuitas; plenitudo tēporis, vbi additur, *sub decano virginis*: impositio nominis, vbi additur, *Sedeozardama*, &c. nobilitas generis, cùm subinfertur, *sedens super solium auleatum*: doctrinæ spiritualis studium, vbi subjungitur, *binas manu tenens spicas*: exercitium temporale, vbi dicitur, *& pascens filium suum iure*, locus sapientiæ suæ, vbi ponitur, *Aue*: consūmatio verò beatitudinis, vbi dicit, *nomen pueri vocabunt Iesum*. Audiamus igitur & miremur extensionem colli ciconiarij, extendentis ad cœlum, & hoc mirabile crocitantis præconium. Certum est, quòd sol ascendit in virgine, scilicet in Septembri, sub quo mense nata est virgo gloriosa. Quod autem dicit, *Decanum virginis*, arbitror, decanum, portionem esse decanā alicujus gradus eorū, per quos sol ascendit in virgine; omne siquidem signum habet gradus triginta, & illi gradus habent portiones. Tamen siue de gradibus, siue de portionibus graduum, intellexerit Poëta, hoc certum est, quòd Maria orta est sub virgine. Aliquid simile in libro Regum reperies, vbi dicitur. *In mense Ethanim posita est arca fœderis in domo Domini.* Arca inquam, de qua dictum est. *Beata mater munere, cujus supernus artifex, mundum pugillo continens, ventris sub arca clausus est:* & dicitur fœderis, quia in secreto vteri virginalis initum est fœdus per Deum hominem, & inter Deum & hominem. Ista enim arca in templo Domini, id est in honore Ecclesiæ Dei posita est nascendo, & exposita mundo. Ipsa enim fuit Musac Regis, & Corban sacerdotum, Gazophilacium pauperum, arca cœlestium thesaurorum. In mense Bethanim, id est in mense septimo. Ergo in mense Bethanim, id est sub virgine, nata est virgo gloriosa. Orietur ergo sub virgine puella, vel adolescentula, de qua Salomon in parabolis ita loquitur. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Via aquilæ in cœlo, via colubri supra petram, via nauis in medio maris*: quæ sine difficultate discerni non possunt, vel inueniri. Quartum verò Salomon penitus ignorauit: *viam scilicet viri in adolescentula*, in adolescentia solemus dicere: sed Hebræus melius nos corrigit, *in adolescentula*: non enim per naturam, vel per scripturam, vel per rationem, intelligere potuit, quia nouum fecit Dominus super terram, id est, quòd adolescentula circumdedit virum: virum inquam, de quo scriptum est. *Ecce vir, Oriens nomen ejus.* Vnde Iosephus. *In diebus illis fuit Iesus vir sapiens: (si tamen fas est eum nominare virum,) & doctor eorum qui libenter, quæ vera sunt audiunt, & mirabilium erat effector operum*: & sic concludit. *Christus hic erat.* Hæc igitur puella vocata est Sedeozardama Adreuedesa, vel Corcisclastalis, tria hæc enim vocabula vnivoca sunt, vnam interpretationē habentia. Interpretantur enim virgo munda & honesta, de qua Ieremias dedit signum Ægyptijs, quòd eorum oporteret euelli idola, cùm virgo pareret, vnde sacerdote Ægyptiorum in secretis templi imaginem virginis & filij statuentes adorauerunt. Cúmque eis diceret Ptolomæus, cur hoc facerent: responderunt, paternæ traditionis est mysterium, quod accepimus à sancto Propheta; & credimus in rebus ita esse venturum. Vnde Isaïas. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*: vel vt melius Hebræi nos corrigunt; *Ecce alma concipiet:* virgo enim apud Hebræos dicebatur juuēcula, quæ nuptui tradi poterat. Bethula verò vetula dicebatur, quæ virum non cognouit: alma verò, id est abscondita, dicebatur, quæ sic à conspectu hominum fuerat occultata, vt de illa nulla esset suspicio, ipsam fuisse corruptam. Vnde & alma sancta vocatur: sancta verò firma dicitur: quia firmum erat & ratum, ipsam esse incorruptam. Erat ergo virgo munda & honesta. Quādo Domin⁹ discipulos suos erudiuit, dixit. *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes*: quia in lumbis est luxuria virorum, in vmbilico mulierum. Sed ista fuit munda & honesta, cujus vmbilicus præcisus fuit; & lucernæ ardentes, quia ipsa de prudentibus virginibus vna & specialis fuit: quia sine macula fuit, sine ruga, sine cerusa. Sine macula peccati, sine ruga duplicitatis, sine cerusa deceptionis. Vel ideo munda, & honesta, quia tota pulchra est. *Tota pulchra es amica mea, tota pulchra.* Sicut enim mulier infamis & procax tota turpis est, à planta pedis vsque ad verticem: ita sancta mulier tota pulchra est, à planta pedis vsque ad verticem. Quid enim turpius illo monstro, nulla virtute redēpto, quod serpentem effigiat in crinibus tortuosis, habens oculos basilisci, genas phareæ, nares suis, dentes caninos, labia sirenæ, mammas lamiæ, manus lupi, ventrem capri, tibias luteas, & pedes pauonis? E contrario verò tota pulchra est, quæ in vno crine colli sui vulnerauit cor sponsi sui: habens oculos columbarum, genas turturis, nasum sicut turrim Dauid, dentes sicut gregem tonsarum, quæ ascenderūt de lauacro, labia coccinea, mammas sicut duo

*Verba vatis Ethnici.*

*B. Virgo nata est mēse, quo sol est in virgine.*

*3. Reg. 8.*

*Ecclesia in hymno.*

*Prouer. 30.*

*Zachar. 6.*

*Testimonium Iosephi Iudæi de Christo.*

*Isai. 7.*

*Luc. 12.*

*Virgo sine macula & ruga fuit.*

*Cant. 4.*

*Monstri descriptio.*

hinnuli capræ gemelli, manus tornatiles, ventrem eburneũ, tibias marmoreas, pedes rectos? Vel certè tota pulchra est: quia corpore & anima glorificata est: sicut gratia plena, ita beatitudine plena. Nec enim gratia esset plena: si non esset beatitudine plena. Si enim putridum corpus in tumulo remansisset: nec gratia esset plena, nec beatitudo plena. Esset fortè beatitudo ejus vera & certa, sed non plena: quia tunc erit beatitudo plena, quando pro merito reddetur homini duplex stola; & glorificabitur corpore simul & anima. Sequitur. *Super solium auleatum*, id est solium regium. Hæc est nobilitas generis: quia fuit virga de radice Iesse: Iesse autem genuit Dauid regem, de cujus solio ita loquitur Isaïas. *Super solium David, & super regnum ejus sedebit* Dominus. Vnde. *Regali ex progenie Maria exorta refulget*. Propter hoc dicit Albommazar, *& eidem solio assidet vir eam non attingens*, id est Ioseph; qui eadem regali progenie genitus est. Quod Hermes dicit, eam sedisse supra stratam publicam, de loco pariendi nos certificauit: quia quando filium suum peperit, non fuit ei locus in diuersorio; sed super stratam publicam paritura sedit. Sequitur. *Duas manu tenens spicas*. Duæ spicæ, duo sunt testamenta: quia sicut in spica vel in arista granum est cum palea ita sunt sacramenta latentia sub litera. Istas aristas fricabant Apostoli; vnde Iudæi murmurabant: qui plus literæ quam mysterijs solent adhærere. Vel certè per spicas sententiæ Scripturarum figurantur, & opera. Sententiæ Scripturarum; sicut de hæreticis ait Iob, *esurientibus auferunt spicas*: quia esurientibus bonum, sententias Scripturarum, quibus pugnare vel expugnare debent eos: hæretici tollunt. Opera verò, vnde legitur: quod principes latronum Rechab & Baana intrauerunt domum Isboseth, & tollentes spicas percusserunt eum in inguine: quia maligni spiritus negligenti cuilibet bona opera quæ habet, auferunt, & eum carnis delectatione occidunt. Hinc est, quòd filij Benjamin persecuti sunt Ephratæos nescientes pronuntiare *Sciboleth*: quia dicebant *siboleth*, non valentes explicare spicas. Filij Benjamin, id est, filij dexteræ, Ephratæos, id est hæreticos, videntes, sententijs Scripturarum percusserunt: istas enim spicas alij portant in ore prædicando, alij in manu operando. Vnde scriptum est. *Verbum, quod factum est in manu Aggæi Prophetæ*. Ista igitur Virgo binas manus tenuit spicas, quæ vita claruit & doctrina. Sequitur. *Et filium suum pauit jure*. Audi. Sedeozardima virgo munda & honesta filium suum pascit, virgo filium pascit, virgo mater lactat patrem, pascit jure, id est crassitudine. Vnde legimus, quòd Ierobaal carnes hœdi ponens in canistro, & jus carnium in olla, quod vtraque totum posuit supra petram: & tetigit Angelus virga & consumpsit ignis carnes, & ipsum jus. Et sciendum, quia crassitudo triplex est, exterior, quæ propriè dicitur pinguedo, & interior adeps; quæ verò est in ossibus, medulla. Est enim pinguedo exterior, motus charitatis in actu: interior verò, motus charitatis in effectu: medulla verò, affectus diligendi in vtroq; motu. Sicut enim pejus est statuere, declinare animũ in terra: ita melius est affectus diligendi, quam diligere. Sicut enim tuba larga in ore, largior in manu, vltra manum largissima: ita Dei dilectio lata debet esse in ore per prædicationẽ, latior per operationem, latissima per affectum & bonam voluntatem. Quòd si jus à justitia nominetur; quia Seneca dicit. Iustitia est virtus, quæ vnicuique reddit jus suum; filium suum pascit jure, qui vnicuique reddit jus suum: id est qui reddit latriam creatori, duliam creaturę, reverentiam majoribus, concordiam paribus, pacem cunctis. Sequitur. *In loco, vbi dictum est, Aue.* Ecce locus vbi conflatum est aurum sapientiæ virginis, scilicet in terra Hebræa: vbi dicit ad eam Angelus, *Aue gratia plena Dominus tecum*. Illa verò obstupescit dicens. *Quomodo fiet istud?* &c. Et Angelus. *Spiritus sanctus* inquit, *superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*, &c. Et virgo, *Ecce ancilla Domini*. Et quasi aurora rutillans diem venturum annũtiauit dicens. *Magnificat anima mea Dominum*. Et hæc est consummatio beatitudinis ejus: quia nomen filij sui vocatum est Iesus; & vocatũ est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. His igitur omnibus modis ex regali progenie Maria exorta refulget. Maria, id est illuminans vel illuminata, vel stella maris. Stella verò maris dicitur transmontana, qua nautæ statũ maris vel cursum nauis considerant. Et verè stella à stando dicitur; quia quasi in centro Zodiaci stare dicitur: quæ non retrogradè, sed regulariter & vniformiter firmatur: & dicitur matutina; quia nocte præcedente, per ipsam, solis justitiæ aurora refulsit. In medio autem nebulæ luxit, scilicet inter ignorantiam & desperationem: quia primo nesciebant aduentum Christi gentes, antequam venirent Prophetę. Post prędicationem verò Prophetarũ, dum moram faceret, desperauerunt; & tunc subitò stella matutina refulsit, quasi rutilans de radice Iesse. Et verè de radice Iesse, id est de radice incendij. Iesse enim incendium interpretatur. Mirabiliter enim incendimur hujus novalis incendio, quæ vel ligni, vel fœni, vel stipulæ expers fuit: & omnes accendit, qui in ea confidunt, & meritis ejus adjuvari posse se credunt: per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

*Beatitudo plena quando erit.* *Isai. 9.* *Ecclesia.* *Vatis Ethnici verba.* *Iob 24.* *2. Reg. 4.* *Iudic. 12.* *Aggæi 1.* *Vatis Ethnici verba.* *Iudic. 6.* *Ius æquiuocè sumitur hoc loco.* *Luc. 1.* *Maria stella transmontana.*

### *In Capitulo Generali.* SERMO I.



SI *videritis filias Silo ad deducendos choros ex more procedere: exite repentè de vineis, & rapite eas singuli vxores singulas; & pergite in terram Benjamin.* Teste Gregorio, vera justitia habet compassionem, falsa indignationẽ: vnde & truculentia quandoq; palliatur sub rigore, & inertia sub mansuetudine: vt & vigor sit rigidus, & mansuetudo dissoluta: cùm vigor regere debeat mansuetudinem, & mansuetudo ornare vigorem. Hæc igitur minùs attendentes speculatores nostri, parietes nostros effodiunt, vbi patet foramen; vel vt erectos inclinent, vel vt inclinatos depellant; vel certè liniant absque temperamẽto, luto videlicet absq; palea. In vtroque redarguendi, quòd vel fodere non valent cum iniquo villico: vel quòd ligna secando ferrum effugit manubrium eorum cum Propheta stulto. Sic enim debet constringi suauiter calamus quassatus, vt non conteratur: sic linum fumigans accendi fortiter, vt non extinguatur. Hinc est enim, quòd filij Israël filios Benjamin contumaces viriliter affligunt: Pœni-

*Iudic. 21.* *Gregorius homil. 34. in Evangel.* *Vt se debeãt gerere Prælati erga inferiores.*

tentes piè suscipiunt & non improperant: vnde post vindictam peccatium pœnitentibus dictũ est, *Si videritis filias Silo*. Et quoniam nos omnes peccauimus, & indigemus pœnitentia: pœnitentiæ consiliũ audiamus diligenter. Et quoniam viua ratio vita bonorum est, necesse est, vt sicut per praua opera deformati sumus à forma formantis, & comparati jumentis insipientibus & similes facti illis: sic per exempla bonornm in eandem imaginem reformemur, comparati cælestibus Angelis, & similis facturæ cũ illis. Dicit ergo. *Si videritis*, non corporeis oculis, sed intellectu mentis; non effectu, sed magis affectu cognoscatis, & intelligatis, *filias Silo*, id est animas, quas filius Dei per naturam formauit, & per sanguinis sui effusionem reformauit; quę tamquam patrissantes, & informauerunt se moribus ex patris monitis, & conformauerunt operibus ejusdem exemplis. Propter hoc dictæ sunt filiæ Silo. Silo quippe interpretatur missus vel dimissus, vel petitus, vel semen. Semen autem est verbum Dei: verbũ verò Dei filius Dei. Semen ergo est filius Dei. Hinc est, quod ait Isaïas. *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus*. Quia igitur hic Dei filius & petitus fuit à Patriarchis & Prophetis, dimissus à Iudæis, missus verò fidelibus Christianis: bene animæ & per Euangelium genitæ, & per baptismum regeneratæ, filiæ Silo nominantur. Dicit ergo. *Si videritis filias Silo ad deducendos choros ex more procedere*, &c. Quid in choro, nisi hujus mundi vita volubilis designatur? Hæc est Ezechielis rota, circa quam animalia sancta voluebantur, quam designanter describit, vbi ait. *In visione Dei vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu ejus*. Quatuor in visione Dei se vidisse proposuit, duo contra duo; ventum frigidum contra calorem ignis, contra splendorem densitatem nubis. Ventum & nubem, ne prospera nimis eleuent: ignem & splendorem, ne aduersa premãt. Ventus enim ab aquilone veniens, est turbo tẽtationis ex mentis frigiditate procedens: nubes autem, cęcitas mentis ex tentatione proueniẽs. Sed ignis feruor vtrũmque inuoluit: quia & cor frigidum accendit, & cæcitatem illuminat. Sed omnia splendor circuit: quia bonæ voluntatis hilaritas, & in prosperis & in aduersis mentem ad deuotionem perducit. Splendorem tibi proponit Deus, vt speres: feruorem, vt gaudeas: tentationis ventum, vt timeas: peccati nubem, vt doleas. Hunc igitur chorum deducis per vias rectas, si sic times de præteritis, vt gaudeas de misericordia Dei, & speres de promissis: si sic etiam de præsentibus doleas, vt speres simul & gaudeas: sic etiam de Dei misericordia gaudeas, vt de facto tuo turberis: & timeas comminationes futuras: sic etiam speres, vt timor pariter & dolor non recedant. Multotiens enim post vẽtum aquilonis redimus ad ignem; de nube tendimus ad splendorem; quia vbi abundauit peccatum, abundare solet & gratia. Multotiens & ignis à vento dissipatur; & splẽdor à nube: quia obscuratur aurum, & mutatur color optimus in vasa testea, & opus manuum figuli. Deducendi sunt ergo chori ex more filiarum Silo; vt in hujus mundi volubilitate & vita instabili, nec timor in tentationibus reddat pusillanimem: nec peccati dolor ducat ad desperationem. Sic etiam de bonis gaudeas, ne eleueris in superbiam: sic etiam de Dei promissis speres, ne cadas in peccandi præsumptionem. Ecce sic procedunt ad deducendos choros filiæ Silo. Quòd si, vt dictum est, videris; exi de vineis. Sunt vineæ Sodomorum; quarum vinum fel draconum, & venenum aspidum insanabile. Sunt & vineæ, quæ pro uvis fecerunt labruscas: ex quibus exire bonum esse, nulli dubium est. Sed & vinea Domini Sabaoth, cujus botrus Cypri, cujus vitis vera, cujus palmites sunt fideles, inter quos plerumque latitant infideles, eò timendi & odibiles; quò sagittant in obscuro rectos corde: de quibus sub specie vulpiũ sponsus ait. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*. Istorum igitur est exire de vineis, si viderint filias Silo ad deducendos choros ex more procedere: vel quia in Ecclesia sunt peccatores, qui peccata sua per confessionem propalare erubescunt; sed sicut Adam in Paradiso, post peccatum inter ligna abscondit se; sic inter hujus vineæ palmites latitare volunt, & aliter videri, quam esse: necesse est, vt tales de vineis exeant: vt seipsos detegant: & quamvis nudi sine virtutibus; ei à cujus calore non est abscondere se, videri non erubescant. Sequitur. *Et capite eas singuli, vxores singulas*. Ecce repente exeundum est: nec solùm capiendæ, sed rapiendæ sunt filiæ Silo. Neque enim sine violentia fieri potest, vt tali matrimonio conjungaris, vt Sanctorum societatibus copuleris: quia regnũ cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Sed sine mora & repente; non procrastinationes quærens, vel inducias; sed occupationum tuarum disrumpe vincula; dicens cum Propheta. *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*. Et ideo non violentam voluntatem; sed voluntariam infer tibi violentiam: rapiens tibi idoneam filiam Silo. Quæ autem singulis sint idoneæ, paucis aduertite. Sunt enim aliqui in sæculo, tam simplices, quàm pauperes, qui tamen fortes sunt corpore; & de labore manuum viuere didicerunt. Alij autem non multùm laboribus assueti, nec in sapiẽtia multùm eruditi, diuites tamen. Alij autem corpore debiles, censu pauperes, sensu tamen locupletes. Alij autem pauperes, debiles, simplices: sed tamen exemplo aliorum vivunt innocentes. Vnusquisque igitur offerat in tabernaculo, pro vt Deus disposuit in corde suo; quia sicut purpuram vel hyacinthũ, sic pelles rubricatas, offerri sibi Deus voluit, & pilos caprarũ. Alij quidem per actiuam; alij vero Deo placent per vitam contemplatiuam. Imò alij Deo placent per inferiorem actiuę, alij per inferiorem vim contemplantem; alij per superiorem actiuæ, alij per superiorem contemplatiuæ. Inferior vis actiuæ labor est corporis; superior, officium charitatis: inferior vis contemplatiuæ simplicitas cordis; superior verò, deuotio contemplationis. Ecce quatuor modi viuendi; quorum primus in Lia, secundus in Martha, tertius in Rachele, quartus in Maria. Et hæ sunt filiæ Silo deducentes choros; quãdo procedunt ex more. Ex more enim procedunt, si chorum non confundunt. Sunt enim aliqui, qui ad hoc laborant, vt auaritiæ suæ consulant; non vt egenis subueniant. In his Lia chorum confundit: quia Martham non tenuit. Sũt alij, qui pauperibus subueniunt; non de laboribus suis, sed de rebus quas rapiunt; Martha chorum

*Angelis similes per bonorum exẽpla fieri possumus.*

*Isai. 1.*

*Indic. 21.*

*Ezech. 1.*

*Quid ventus, turbo, ignis, & nubes, designent.*

*Vt deducendi sint à nobis chori.*

*Deuter. 32.*

*Vulpes sunt Infideles.*

*Cantic. 2.*

*Indic. 21.*

*Psalm. 115.*

*Vim nobis inferre debemus.*

*4. modi viuendi mulieribus 4. designati.*

confundit, quia Liam non tenuit. Sunt & alij, qui de operibus manuum suarum eleemosynas largiuntur; sed ad hoc forsitan, vt occulta scelera minimè cognoscantur; vel vt aliquod temporale lucrum inde consequantur. Lia quidem in his Martham tenuit, sed vtraq; tamen chorũ confundit: quia Rachelem dimisit. Sunt & alij, qui ab infantia sine magnis excessibus viuere didicerunt: ideoque laboribus desudare nolũt, quia se pœnitentia indigere non credũt. Cumque alios peccatores viderint, indignantur; & in alijs compati nesciunt, quia ipsi pati nescierunt. In istis igitur Rachel chorum confundit: quia Martham & Liam tenere contempsit. Sunt fortè alij, simplices, qui & laboribus intendũt, & compati sciunt; sanctis tamen cogitationibus, orationibus, Psalmodijs, vacare negligũt: & tunc Rachel chorum confundit; quia Mariã non tenuit. Sunt etiam alij sapientes, sacris eloquijs intendentes, non vt opere compleãt, non vt simpliciter viuant; sed vt habeant primas cathedras in foro, & vt vocentur ab hominibus Rabbi. In istis Maria chorum confundit, quæ Rachelem dimisit. Sunt & alij, qui ad hoc contemplationi vacant, vt simpliciter viuant; sed dum per studium intus mens quiescit, caro foris nullo confracta labore pinguescit. Pinguis igitur eleuatur, & mentem à speculo contemplationis dejicit; ita vt seipsam non videat, quæ vsque ad Deum oculos eleuabat; & infra se depressa torpeat, quæ seipsam supra se in cœlestibus erigebat. Propterea Maria chorum confundit, si Liam tenere negligit. Sunt & alij, qui sic se temporalibus subsidijs immergunt, & curis sæcularibus implicantur, vt vix aut numquã orationibus aut meditationibus ad Deum intendant. In illis Lia chorum confundit: quia Mariam dimisit. Vidésne quomodo deducant chorum filiæ Silo? Non omnia possumus omnes. Laborare potes, placet tibi Lia: eam, dum tenet Martham, accipe. Tua vis pauperibus erogare, Martham diligis, accipe eam: sed inter Liam & Rachelem. Simplicitas cordis tibi placet, viuere vis simpliciter; fiat. Accipe Rachelẽ; sed inter Martham & Mariam. Psalmodijs & orationibus vacare desideras, rapere vis de choro Mariam: sed tunc egredere de vineis, cùm hinc Martham, & inde tenet Liam. Deducant ergo chorum filiæ Silo: ad Canticum Citharistæ nostri. Dicit enim. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Quid agis Lia? Frange contumaciã in labore corporis: frange corpus in deductione chori. Dicit etiam. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Quid agis Martha? Denuda te ipsam: vt leuiùs ad deducendum chorum possis procedere. Dicit iterum. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Innocens manibus & mundo corde.* Quid agis Rachel? Deduc chorum ex more, restringens manibus latera, cum tranquillitate. Dicit etiam. *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Mentem quippe patientis bene pensare nouit. Quid agis Maria, da saltus leues, & à terra suspende te, in tuæ deductionis processione. Sequitur. *Et pergite in terram Benjamin.* Quid enim hæc omnia prodest operari, nisi regni cœlestis intuitu? Aliter labor esset magnus, & fructus nullus. Vt igitur labor parvus sit, & fructus magnus: sicut scriptum est, *Et videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine*: pergite in terram Benjamin; quia terra Benjamin dicitur, terra filiorum dexteræ. Filij autem dexteræ sunt, quos Dominus ad dexteram statuet, quorum terra est, terra viuentium, & regnum quod eis ab origine mundi præparauit, & reddet, cùm venerit judicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

*Lia & Rachel, Martha & Maria, vt chorum ducere debeant.*

Psalm. 127.

Psalm. 40.

Psal. 14.

Psalm. 54.

Iudic. 21.

Genes. 29.

## Sermo II. *In Capitulo Generali.*

DILIGITE *justitiam, qui judicatis terram.* Timentes & venerantes eum, cui omne judicium dedit Pater, justè judicate, filij hominum. Timete inquam Iudicem vestrum, viri conjudices: quia judicia ejus abyssus multa. Quis enim cognouit sensum Domini: aut quis consiliarius ejus fuit? Quis, inquam, occultum & immobile, vel manifestum & mobile, vel occultum & mobile, aut manifestum & immobile, comprehendit? Occultum & immobile est judicium, quo judicat prędestinatos. Nam secundùm hujus prædestinationis judicium, & Petrum quãdo negabat, dignum dilectione judicabat: Iudã verò proditorem & miracula facientem, dignũ odio judicabat. Manifestum verò & mobile est, quando judicat per operationem; & tunc judicat per inferiores causas, id est secundùm præsentem statum operantis. Vnde dicitur. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* Et item Ezechiæ. *Dispone domui tuæ; quia morieris tu, & non viues.* Et nota, quòd quoties hujusmodi judicia fiunt à Deo, conditionaliter intelligas esse prolata; vt cùm dicitur. *Adhuc quadragimta dies,* &c. supple conditionem, si non conuertatur. Et item. *Dispone domui tuæ,* &c. supple, si te non correxeris. Vnde Dominus per Ezechielẽ. *Etiamsi dixero peccatori, morte morieris, & ille conuersus egerit pœnitentiam, omnium peccatorũ suorum non recordabor*; intellige conditionem, cùm ait, *Si dixero.* Occultum & mutabile est, quando secundùm causam judicat: quod ideo occultum est, quia nunc secundùm inferiores, nunc secundùm superiores causas judicat. Secundùm inferiores, vt simpliciter impossibilia: secundùm superiores vt possibilia Deo. Vel impossibilia, quæ præter naturam, etsi contra naturam non sint: vt primam gratiam infundere, hominem à peccatis liberare. Vel illa impossibilia, quæquidem sunt & præter naturam, & contra naturam: sed tamen impotentiam naturæ juuat diuina potentia; scilicet quòd Virgo peperit, quòd vxor Loth mutata est in statuam salis. Nam illa impossibilia, quorum naturæ impotentiam non supplet diuina potentia, vt de trunco fieri vitulum, non judicat, vel secundùm inferiores, vel secundùm superiores causas. Simpliciter verò possibilia dicimus, quæ secundùm cursum naturæ, & consuetudinem, fiunt; vt quòd homo de homine, bos nascitur de boue. Possibilia autem Deo sunt; quæquidẽ non secundùm naturam, sed secundùm consuetudinem, fiunt: vt quòd anima corpori infunditur; hoc enim fieri judicat secundùm superiores causas. Manifestum verò & immutabile erit judicium, secundùm retributionem. quando reddet vnicuique secundùm opera sua; alijs dicens, *Venite benedicti*: alijs *Ite maledicti.* Propter tot diuersa & occulta judicia dictũ est. *Iudicia tua abyssus multa.* Inter tot tamen diuer-

Sapien. 1.

*Iudicia Dei alia occulta, alia manifesta, &c.*

Iona. 3.

Isai. 38.

Ezech. 33.

*Multis modis impossibile aliquid dicitur.*

Matt. 25.

Matt. 7.

Iustitia Superiorum debet informari dilectione.

Sapien. 1.

Deuter. 19. 4. Reg. 6.

Apta similitudo.

Genes. 9.

Iacob 1.

Pactū Dei liberalitatis est, nostrum necessitatis.

Iustitia alia patiens, alia cogens.

sitates, vna omnium vobis data est sententia. *In quo judicio judicabitis, judicabimini.* Vnde necesse est, vt justitia vestra plus abundet, quàm Scribarum, vel Pharisæorum. Nam illorum justitia erat informata rigore; vestra verò debet informari dilectione. Illa judicium habebat punitivum; vestra verò vel rarò dispensativum, vel semper remissivum; vt si percusserit te quis in maxilla, præbe ei & alteram. Vnde dictū est. *Diligite justitiam.* Et quam, nisi diligendam, id est dilectione informatam: non timendam, & rigore informatam? Tamen ita justitiam comitari debet rigor pariter & dilectio; vt nec rigor sine dilectione, nec dilectio sit absque rigore. Nam si rigorem habeatis sine dilectione, similes eritis illi, qui cùm ligna cæderet cum Prophetis in silua, ferrum elapsum de manubrio fratrē occidit. Ligna enim cædimus, cùm aliorum facta discutimus. Sed ferrum manubrium fugit, cùm opus rationem excedit. Fratrem verò occidit, quando eum inde deteriorem facit, vnde debuit emendari. Si verò dilectionem absque rigore habueritis, similes eritis ei, qui cùm ligna cæderet, ferrum elapsum de manubrio in aquam cecidit. Cùm enim aliorum facta sic discutimus, & sic opus rationem excedit, vt dilectio absque rigore judicando seruetur; necesse est, vt dissolutio sequatur, & sic ferrum rationis in aqua perdatur. Est igitur rigor absque dilectione flagellum in manu furiosi: dilectio verò sine rigore in manu contracti. Ergo rigor cum dilectione iustitia est diligenda, quia dilectione informata. Est autem justitia charitate informata pactum illud, super quo nos reddit Deus solicitos, vbi ait. *Cùm obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus; & recordabor pacti mei, quod pepigi tecum.* Impassibilem siquidē & immutabilem Deum confitemur. Nec augeri potest, quia summus est; nec minui, quia vnus est: nec loco mutari, quia vbique est: nec tempore, quia æternus est: nec cogitatione, quia sapientissimus est; nec affectu, quia optimus est. Vnde Iacobus. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Non igitur arbitremur, quòd post recordationis vigilantiam, ægrotare debeat obliuionis lethargo; vel post obliuionis morbum, iterum conualescat recordationis antidoto. Tamen recordari dicitur pacti sui, vt naturam humanam pigritantem euigilet: quæ semper infirma est ad bonum, libera ad malum: cujus ingeniū hebes, memoria madida in gratiarum actione, quam nulla ciconia pinsit in antipelargosi, id est in beneficiorū retributione. Nam si se solicitum dicat circa pactū quo nobis tenetur sola liberalitate & nuda voluntate, quantomagis nos solicitos reddere debet id pactum, quo ei tenemur ex necessitate? Quòd enim pacto nobis tenetur, inducit eum voluntas. Quòd autem nos ei pacto tenemur, compellit nos ipsa necessitas. Quòd pacto nobis tenetur, justitia patiens est; quòd autem nos ei tenemur, justitia cogens est. Iustitiam patientē dicunt, qua fit aliquid justè, quod tamen si aliter fieret, injustum non esset. Iustitiam verò cogentem dicūt, qua fit aliquid justè; quod si aliter fieret, justum non esset. Saluat igitur hominem Deus, & justè; quia iustitia potestatis, quē si damnare vellet, iustè damnaret, quia debito patientis. Quem igitur saluat, iustè saluat, quia debito facientis: quem damnat, iustè damnat, quia merito æquitatis. Iustitia igitur patiente vel saluat vel damnat; quia vel debito facientis, vel merito patientis. Vnde pactum quo salvamur, cùm in fœderatione fuerit, primò iustitia patiens per ratihabitionem factum est iustitia cogens; vt non dico violari, sed nec licitum sit induciari. Nam quomodo violari potest pactū, quod talibus arrhis & tanto pignore subarrhatur, quod naturali pariter & ciuili ratione nititur; quod stipulatione, iuramento, vltima voluntate firmatur; quod præscriptione, bona fide, iustis titulis consummatur: quod etiam causa, verbis, scriptis, forma, continentia, confirmatione, prout omne pactum ornari debet, vestitur: quod tandem mundiburdo, & Prætoris defensione inuiolabiliter obseruatur? Curram⁹ per singula, & pactū hoc inuiolabile perscrutemur. De arrhis & pignore nos erudit pactū Iudæ Patriarchæ, qui tali pacto cum Thamar conuenit, vt ei hœdum mittendum promitteret, promissum mitteret; & ne pactum solueret, ānulum, armillā, & baculū arrhabonem dedit. Sic & ille vniuersalis Pater, cui in oratione dicimus, *Pater noster*, ille inquam Patriarcha, in quo clamamus, *Abba pater*, tali pacto Synagogam, quam quidem plantauerat vineam electā, sed postea versa est in amaritudinem vitis alienæ, vnde & Thamar amaritudo dicitur, sibi fœderauit, vt Messiam in similitudinem carnis peccati specialiter ei mitteret, tamquam hœdū ad faciendum Phase. Vnde ipse ait *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* De quo Apostolus. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Interim autem, donec promissum executioni mandaret, annulum fidei dedit, operis armillam, baculum legis. Pro pignore quidem legem, pro arrha verò fidem & operationē. Inter pignus siquidem & arrham hæc assignari differentia solet, quòd pignus non recedit à iurisdictione dantis, arrha verò transit in ius accipientis. Ergo qui legem dedit, ejus fuit legem adimplere; quia non fuit obnoxia legi Synagoga post aduentum Messiæ. Pignori quidem debuit abrenuntiare, soluta promissione: fidem verò & actionem pro arrha dedit; quia etiā post aduentum absoluta non fuit à fide & operatione. Sed misera baculum reportauit, pignus contra legem retinuit; quia semper obnoxia legi esse voluit. Ipsa nos docet ratio de talibus. Quid enim baculus mulieri competit? Mulierē portare baculum, insania videtur: sed armilla & ānulo ipsam decebat ornari. Naturali verò & ciuili vtitur ratione. Naturali quidem, quia sicut lex ait, Nihil conuenientius, quàm pactū seruare. Clamat enim jus naturale, *Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris, vel, quod tibi vis fieri hoc fac alteri.* Ista duo, nisi pactum violetur, sēper inter pasciscentes conueniunt: alioqui pactum, id est, pacis actum, seruare non possunt. Timor igitur & amor ad hujus obseruantiam pacti nos compellit. Nam quia ratione ciuili nititur, meritò natura præuaricantis eliditur, & in naturalibus vulneratur, qui priuilegio indultæ bonitatis abutitur. Scriptum quippe est. *Priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate.* Sed & amor ideo nos compellit, quia perpetua pace debet gaudere, qui contra pacis actum noscitur non venisse. Sed in hoc ciuili nititur ratione, quia Prætor clamat. *Pactum seruato.* Quis igitur præsumptor

Pactum nostrum cur non possit violari.

Genes. 38.

Matt. 15.

Synagoga non seruauit pactum cum Deo.

temerarius audeat violare; si Prætor ipse pactũ se promittit seruare? Firmatur autem stipulatione: quia cùm in baptismo diceretur nobis à sacerdote, *Credis in Deum*; & responsum fuisset. *Credo. Abrenuntias Satanæ? Abrenuntio: vis baptizari? volo:* his omnibus stipulationibus à jurisdictione diaboli nos exfestucauimus; & diuino pacto nos subdidimus. Firmatum est etiã juramento. Iurauit enim Dominus, & non pœnitebit eum, jusiurandũ, quod jurauit ad Abraham, daturum se nobis, quod & factũ est. Puer enim natus est nobis, & filius datus est nobis. Nos enim jurauimus & statuimus, custodire iudicia iustitiæ suæ, quoties nos obligauimus ei per verbum Psalmistæ dicentis. *Iuraui & statui, custodire judicia justitiæ tuæ.* Videat ergo temerarius violator, ne periurio conuincatur. Sancitum est etiam vltima voluntate: quia dicit lex *Nihil est, quod meliùs debeatur hominibus, quàm vt supremæ voluntatis, post quam aliud nihil velle possunt, liber sit stylus; & licitum, quod jam non redit ad arbitrium.* Dicit autem Apostolus. *Testamentum Christi in morte confirmatum est.* Sic & nos, quotquot baptizati sumus, in morte eius baptizati sumus. Figura quidem est mortis triduanæ trina mersio aquæ. Est igitur quædam mors pretiosa baptismus, qua mortui sumus; sicut ait Apostolus. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Nec solùm mortui, sed & consepulti sumus ei per baptismum in mortem. Cùm igitur baptizaremur, id est cùm sic mereremur; quæ fuit nostra vltima volũtas, nisi ea qua confessi sumus, quãdo quæsitum est, *Abrenuntias Satanæ*, & dictum est, *Abrenuntio?* Hæc est nostra vltima voluntas, quam confessi sumus; & statim baptizati sumus; imò statim mortui sumus. Si igitur in morte testamentum confirmatur, nulla ratione licet hoc pactum transgredi: nullo pacto licet hanc vltimam voluntatem violari. Consummatur etiam præscriptione, quia dicit Petrus Ravennas, sicut scriptum est in decretis. *Triginta annis humanæ leges omnes sopiunt quæstiones.* Generatio verò Christi ineffabilis, post tot annorum curricula, quæstione adhuc temeraria ventilatur? A simili. Pactum quod quadragesies triginta sex annis ampliùs confirmatum est, & obseruatum, licet iterum violari? Absit. Bona etiã fide confirmãtur. Nam quando cum aliquo homine pactum contrahimus, contractum pacti propter hoc timemus, quòd vtilitati suæ plusquam nostræ dare operam conspicimus. Sed quis hoc pactum violare præsumat, cuius vtilitas non ad illum, cum quo contrahimus, trãsfertur, sed in nos reciprocatur? Nam si tibi Deus aliquid impendit officij, nonne tua erit vtilitas? Et si tu ei aliquod impendis officium, quid vtilitatis ei impendis? Nonne ad te tota refertur vtilitas? Hic est bonæ fidei contractus, vbi tuus in omnibus habetur profectus. Iustis etiam titulis pactum hoc confirmatur. Quod enim acquiritur, vel pro herede, vel pro emptore, vel donato, vel pro legato, vel pro in dotẽ dato, vel titulo, qui dicitur, pro suo, possidenti confirmatur. Ecce pro herede nos possidet, de quo dicunt vinitores. *Hic est heres.* Vnde ait. *Hereditas mea Israël.* Idem etiam pro emptore. Vnde Apostolus. *Empti enim estis pretio magno.* Sed & pro redemptore, qui pretioso sanguine nos redemit. Vnde clamamus. *Redemisti me Domine, Deus veritatis.* Sic etiam pro donato, quia nobis datus est, vel quia nos ei dati sumus. De primo siquidem dictum est. *Puer natus est nobis & filius datus est nobis.* De secundo dicit ipse Patri. *Sanctifica eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Similiter & pro legato, de quo ait Sophonias. *Auditum audiuimus à Domino; & legatum ad Gentes misit.* Et etiam pro in dotem dato. Nam fidelibus suis sponsam, id est Ecclesiam suam, dotauit pariter & ditauit. Titulo tandem suo nos possidet. De quo lex ait. *Quod in nullius bonis est, naturali ratione occupanti conceditur.* Et hunc titulum pro suo dicunt, quando res, quæ nullius vtilitatis est, in ius occupantis per exercitium & laborem cum vtilitate transfertur. Et quid erat inutilius homine? Non solùm inutilis, sed & nocinus: non solùm alij, sed & sibi. Sed jam prorsus vtilis factus est, cùm Deo debitum impendit officium, timens Deum, & mandata ejus obseruans, hoc est omnis homo. Quo igitur modo violandum est pactum, quod talibus titulorum columnis videmus roboratum? Est etiam ornatum causa. Causa à casu vocatur. Et quo casu, nisi casu hominis, hæc causa vocatur? In casu quippe hominis tres veniunt in causam. Vnus actor & solùm actor, id est Deus; alius reus, & solùm reus; id est diabolus: tertius actor & reus, id est homo, sed diuersis respectibus: quia reus, quantum ad Deum; actor, quantum ad diabolum. Actor verò & non reus est Deus in causa hac; quia non est, qui de Deo debeat aut possit conqueri: cùm tamen ipse tam de homine, quàm de diabolo materiam habeat conquerendi. In hoc quippe de diabolo poterat conqueri, quòd agrum non suum ausus fuerit demetere, & messem Domini falce deceptionis secare, quando Dei creaturam non timuit suo dominio subjugare. Hominem verò tamquam servum fugitivum poterat conuenire de inobedientia, & de vitio ingratitudinis arguere, conuenire de crimine læsæ majestatis: & his omnibus probatur homo reus. Nam actor per hoc comprobatur, quia diabolum de fraude, de mendacio, de calumnia, conuenire posset, si Iudex aut patronus posset inueniri, qui cogeret eum juri parere. Sed hoc facere nullus poterat, nisi Deus, Deus autem nolebat; quia homini iratus erat. Oportebat ergo ad hoc vt Deus vellet, quod homo & debitum solueret, & satisfaceret pro contemptu. Sed hoc implere non poterat homo; si vel irrationalem, vel rationalẽ daret homo pro debito creaturam. Irrationalis enim multò est rationali indignior: rationalis etiam injustus indignior rationali iusto. Ergo nec inter rationales, nec inter irrationales creaturas dignum tali recompensatione poterat quid inueniri. Propter hoc miseratus Deus hominem, multò perdito digniorem dedit homini, vt daretur pro homine: & per hoc misericordia & veritas obuiauerũt sibi: & misericordia quidem, quod dedit homini, justitia & veritas; quod datum est pro homine. Sic igitur satis datum est pro debito, sed satisfaciendũ est pro contẽptu: sed nec illud facere poterat, nisi qui nihil pœnæ debebat. Ergo pœnam sustinuit, qui pœnam sustinere non meruit: vt sic & debitum solueret, & satisfaceret pro contẽtu. Hæc est actio nostræ pacis; & ideo pactum hoc pacis actum vocamus, quod nulla ratione licet violari, sicut nullus alius potest saluari.

Stipulatio fit in baptismo.

Psalm. 109.
Luc. 1.

Psalm. 118.

Hebr. 9.

Colloss. 3.

Testamentum nostrũ in baptismo peractum.

Pactũ Dei nobiscũ est contractus bonæ fidei.

Matt. 21.
Isai. 19.
1. Corin. 6.
Psalm. 31.

Isai. 9.
Ioann. 17.
Abdiæ 1.

Titulus pro suo, quis.

In casu hominis tres in causa veniunt.

Homo purus non potuit satisfacere pro peccato.

Verbis etiam ornatum est pactum multipharie multisque modis, nunc Patriarcharum, nunc Prophetarum, nunc Apostolorum, nunc Euãgelistarum: sed præcipuè per Verbum, in quo locutus est nobis Deus Pater; scimus, quia verbum illud veritas est, quod pactum confirmat, & ob hoc violari non potest. Ornatur etiam scriptis. Nam quæ Theologia vel liberalis disciplina novi & veteris testamenti, imò & ipsorum Philosophorum hoc non resonat, vt finem bonum rerũ initia sortiantur? Sed in hoc decepti fuerunt Philosophi, quòd eorum alij voluptatem, alij virtutem, rerum finem esse dixerunt. Nec à veritate isti longè fuissent, si virtutem finem finalem dixissent. Nam finis finalis omnium virtutum Deus. Vnde Salomon. *Finem loquendi pariter audiamus. Deum time, & mandata ejus obserua; hoc est omnis homo.* Ergo timoris & obseruantiæ mandatorum non virtutes, sed Deus virtutũ causa finalis esse debet. Philosophi verò virtutem Deum esse, non donum Dei, credebant, & propter hoc evanuerunt in cogitationibus suis. Hinc est, quòd Moyses, qui omni sapientia Ægyptiorum sapientissimus perhibetur, greges septem filiarum sacerdotis Madian ad puteum legitur adaquasse: vt per hoc daretur intelligi, quòd iste, qui præcipuus Theologiæ fuit predicator, profundis sanctarum Scripturarum mysterijs septem liberalium artium amatores imbueret: & ex ipsis Philosophiæ artibus Theologicam sapientiã comprobaret. Nam cùm illarum septem liberalium artium aliç de vocibus, aliç de rebus nos ædificent; quæ autem de vocibus, alia de pronuntiatione instruit, vt Grammatica: alia de significatione, vt Dialectica; alia de vtraque vt Rhetorica: quæ verò de rebus, alia circa naturam; vt Physica, alia circa formam: & quæ circa formam, alia circa mensuram, vt Geometria; alia circa numerum, vt Arithmetica, alia circa pondus, vt Musica; alia versatur circa motᵘ, vt Astrologia: Theologia in hoc omnes præcellit, quòd in his omnibus ei omnes famulantur. Nam sub eo sensu, qui est in significatione vocum ad res, historia continetur, cui tres scientiæ famulantur, Grammatica, Dialectica, Rhetorica. Sub eo verò sensu, qui est rerum ad facta mystica, continetur allegoria. Et sub eo sensu, qui est in rerum significatione ad facienda mystica, continetur tropologiæ. Et his duobᵘ deseruiũt Arithmetica, Geometria, Musica, Astronomia & Physica. Quidquid verò vel sub historia, vel allegoria, siue sub tropologia docetur; causa hujus pacti, idest nostræ restaurationis edocetur. Nam quamuis in initio suæ narrationis Moyses tractet de operibus cõditionis; principalis tamen ejus intentio fuit, informare lapsos de operibus restaurationis. Non enim conuenienter ostendere posset, qualiter homo fuerit reparatus, nisi priùs ostenderet, qualiter fuerit lapsus. Lapsum verò ejus conuenienter non ostenderet, nisi prius qualiter fuit conditus, explicaret. Vt autem ostenderet hominis institutionem, necesse fuit ostendere totius mundi conditionem: quia factus est propter hominem. Nam spiritus propter Deum, caro propter spiritum, mundᵘ propter corpus humanum. Hoc igitur ordine de rebus tractat. Primò qualiter mundus factᵘ propter hominem; secundò qualiter homo factus naturalibus & gratuitis bonis fuerit præditus; tertiò qualiter lapsus, ad vltimum quomodo reparatus. Omni igitur doctrina pactũ nostræ restaurationis ornatur. Ornatur etiam & forma, qua pacta antiquitus formari solebant. Olim quippe cùm antiqui pactis aliquibus conueniebant, in loco quo pactum firmabant, effundebant sanguinem fœdæ porcæ: vnde pactum alio nomine à fœda porca fœdᵘ appellatur. Sed quoniã in lege porcus est immundum animal, Moyses cùm pacto populum alligaret Domino, non sanguine porcæ, sed sanguine duodecim taurorum, quos à duodecim principibus accepit, cujᵘ medietate aspersit tabernaculum, & vasa, & populum; in signum, quòd si Domino seruirent, Dominus eis ex pacto tenebatur. Medietatem verò fudit ad crepidinem altaris, in signum, quòd ex pacto se Domino populus alligabat. Iosue verò per aquæ effusionem, eundem populum Domino, & populo Dominum obligauit. Saluator verò noster, non per taurorum, sed per proprij sanguinis effusionem & aquæ, tantò fortiùs nos sibi obligauit, quantò & Moysen imitatus est in effusione sanguinis, & Iosue in effusione aquæ. Nam quando de ejus latere sanguis exiuit & aqua, nobis duo sacramenta, alterum nostræ redemptionis, alterum regenerationis, ministrauit. Si igitur pacto tenebãtur homines sanguinis fœdæ porcæ, vt statuerunt antiqui; vel per effusionem sanguinis taurorum, vt voluit Moyses; vel per effusionem aquæ, vt statuit Iosue; quantò magis ei debemus obligari, qui per proprium sanguinem, & aquam de proprio latere effusam, sibi nos fœderauit? Ornatur quoque continentia. Continuè enim pactum nos præcedit, cùm ei per cibum corporis, & potum sanguinis sui fœderamur. Sicut enim Ecclesia nunquam cessat à sacramento; sic etiam nunquam cessat à pacto. Continuatur enim pactũ, dum continuatur sacramentum. Nam nihil aliud hoc pactum dicimus, quàm communionem & vnionẽ factam per corporis & sanguinis sui sacramentum. Ornatur tandem confirmatione: quoniam lex pactum confirmat, quç dicit. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et iterum. *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Ecce obligatio pacti fœdere sacramẽti. Ecce quare certò certius debet esse, pactũ hoc violari non posse. Dicis tamen. Quod non potest violari potest induciari. Vt autẽ inducietur, mouet ætas, cogit necessitas. Ætas quidẽ, quæ mihi promittit spem pœnitẽtiæ, spẽ veniç, spem longioris vitæ. Necessitas verò, quia non solùm mihi, sed amicis meis, parentibus, & cognatis, natus sum: quibus teneor prodesse & subuenire: quia vt ait Seneca, Ortus nostri partem uendicat patria, partem amici. Vnde Ioannes. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suũ necesse habere, & clauserit viscera misericordiæ; quomodo charitas Dei manet in eo?* Ergo vt amicis subueniamus, inducias habeamus. Bene. Actorem omnium foro ciuili coarctandum existimas. Fortè quia dicis, actor debet sequi forum rei. Esto. Quæro, quas dari tibi vis inducias? Nam quinque sunt induciarum genera; scilicet induciæ vocationis, deliberationis, appellationis, præparatio-

*Quid omnes disciplinæ resonent.*

*Eccle. 12.*

*Artes liberales Theologiæ famulantur.*

*Quæ sit Moysis intentio in libris suis.*

*Pacta olim sanguine firmata.*

*Christi & Ecclesiæ pactum.*

*Ioann. 6.*

*Ibidem.*

*1. Ioan. 3.*

*Induciarũ 5. genera.*

*Inducia restitutionis.* nis, restitutionis. Dicis ergo. Restitutionis inducias peto; quia spoliatus sum. Hoc verè dixisti: quia similis factus es homini descendenti à Ierusalem in Iericho; & incidit in latrones, & *Luc. 10.* expoliaverunt eum, &c. Spoliatus es ergo gratuitis, & vulneratus in naturalibus. Liberum siquidem arbitrium habes, sed depressum: ingenium, sed hebes: memoriam, sed madidam: rationem, sed quasi lippam: præterea gratuitis tuis spoliatus. *Homo quibus spoliatus, & in quibus vulneratus.* Ergo quia spoliatus es, petis restitui. Quia lex dicit, quòd quantumvis criminosus, fur, hæreticus, latro, schismaticus; dummodo neget se talem, nec aduersus fuerit probatum crimen impositum, debet rebus quibus est destitutus, restitui. Verum quidem est, sed excipitur vitium dilapidationis. Nam si aliquis vitio dilapidationis infamatur, & propter hoc fuerit expoliatus, non debet restitui, sed in sequestrum debent ablata custodiri: donec rei sibi commendatæ fidelem se patronum probauerit. *Homo dilapidationis vitio infamis.* Tu autem de vitio dilapidationis judicaris. Numquid similes sumus illi filio iuniori, qui accepta portione, quæ eum contingebat, abijt in longinquam regionem, & viuendo luxuriosè cum meretricibus omnia dissipauit; ita vt ad patrem reuersus dicere cogeretur. *Psalm. 68.* *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia?* Nam quasi accidentalia sunt temporalia, quæ adesse possunt & abesse, præter subjecti corruptionē. Substantialia verò sunt naturalia vel gratuita; quæ abesse non possunt sine detrimento subjecti. Hæc bona dissipamus voluptuosè viuendo: vnde nec restitutione gaudere debemus, donec in contrarium probetur. Tamen vt nulla nobis remaneat materia conquerendi, facta est nobis restitutio non solùm juris, sed etiam juris & facti: & hoc exabundanti, & præter meritum. Restitutio juris est, cùm sententia restitutionis profertur: juris & facti est, cùm & profertur sententia, & executioni mandatur; quod & factum est. Restituti quippe sumus, non solùm ad possessionem, sed ad causam, sed ad famam. Ad appellationem enim ideo restitui nequiuimus: quia major non est, ad quem appellare debemus. Ergo ad possessionem restituti sumus. Possessio nostra paradisus est, ab hac possessione fuit expulsus, & ea fuit Adam expoliatus. Sed flammeum gladium atque versatilē amouit, & januas cęli patefecit, (quas protoplastus clauserat,) sanguis Christi. *Matt. 27.* Vnde & in typū hujus restitutionis & pacis redditæ, Domino patiente scissum est velum templi. Restituti etiā sumus ad famam: quia cùm propter infamiam antiqui peccati amisissemus jus accusandi, testificandi, judicandi: solo siquidem jure ciuili excipere posset diabolus oppositum criminale: *Ad vtrámque famam sumus restituti.* quia nobis imponentibus ei mendacij crimen & malitiæ, posset & repellere nos à causa dicēs; non potestis contra me crimen intendere, quia servi mei estis: nunc per gratiam Dei ad vtrámque famam, Ecclesiasticam scilicet & ciuilem sumus ita restituti, vt non solùm accusandi, imò & judicandi data sit nobis in eum potestas: sicut ait Apostolus dicens. *1. Corin. 6.* *Nonne Angelos judicabimus?* Et sic etiam, vt nulla suspicio, nullum opprobrium fæcis antiquæ remoueat. Ad Ecclesiasticam igitur famam restituti sumus: quia nobis data est accusandi seu judicandi facultas. Ad Ciuilem verò, quia omnis antiquæ infamiæ suspicio & opprobrij confusio deleta est: & hoc eodem modo ad causam sumus restituti: quia cùm ante pactum istud nulla nobis expetendi contra diabolum esset facultas, non tantùm allegandi contra eum, sed etiam, vt dictum est, data sit nobis in eum sententiandi potestas. *Induciæ præparationis.* Cùm igitur friuola sit omnis restitutionis excusatio, fortè præparationis inducias petis. Nam præparationis induciæ dicuntur, quando quis negat se habere præmanibus instrumentum, vel testes, quibus causam suam debet roborare contra actorem, petit in hoc casu instrumenta vel testes. Sed cùm ferè semper incumbat actori probare affirmatiuam quam intendit, non reo negatiuam: nam si actor defecerit, reus etsi nihil præstiterit, obtinebit: (ferè tamen dixi; quia sicut quidam volunt, exceptionem habet in causa diuortij,) mirum videtur, si contra tot actoris & rei instrumenta, & contra tot testes, priuilegijs infirmari voluerit reus contra leges & indultę priuilegia libertatis. Tot enim instrumenta nostræ salutis sunt, quot Theologicæ doctrinæ documenta: tot verò testes, quot Martyres; quoniam & Martyres græcè, latinè testes appellantur. *Appellationis induciæ.* Propterea petis appellationis inducias: sed frustra, quia petendæ sunt ante litis contestationem, nisi ab iniqua sententia. Sed postquam lis contestata, & adhuc ventilatur, nec promulgata est sententia difinitiua, sed adhuc ille dies criticus expectatur, in quo dictur[9] est Iudex vel bonis, *Venite*, vel malis, *Ite*, &c. *Matt. 25.* appellandū nō est. Ab illa autem sententia tamquam iniqua, quis erit ausus appellare; vel quō quæso, appellaret? Nam fieri solet appellatio à minori ad majorem. Quia igitur illo Iudice non est major, tenebit absque dubio sententia, appellatione remotā. Deliberationis ergo dilationes expostulas, sed serò. Nam quando dictū est tibi, *Abrenuntias Satanæ?* Tu verò respondisti, *Abrenuntio*, quod postea ratum factum est *Deliberationis induciæ.* confirmationis sacramentum: qua fronte quasi de nouo vis deliberare, quod sub morosa deliberatione licuit excusare? Quia tamen lex ait, quòd Actor debet sequi forum Rei, Deus autem in hoc discrimine litis Actor, tu verò Reus, videtur quòd lege fori, non lege poli te debeat conuenire. Esto. Non ergo tibi licet deliberationis inducias obtinere. Lege quippe fori non dantur dilationes deliberationis, imò impetitus statim respondebit, vel capite plectetur; maximè si criminalis fuerit causa. Lege verò poli tam in criminali quàm in ciuili, habebit Reus deliberationis inducias. Ergo quia lege fori vis conuenire actorem tuum, denegandæ tibi sunt deliberationis induciæ; sed impetitus nisi sufficienter statim respondeas, dignus eris capite plecti. Sufficienter enim dixi, ne calumniando, præuaricando, tergiversando, respondeas. Calumniari autem est falsum intendere, præuaricari autem veritatem truncare: tergiuersari verò est à proposito lacessere, capite verò plecti, est Christo, qui nostrùm caput est, priuari. Restant ergo tibi vocationis induciæ, *Vocationis induciæ.* dilationes nimirum vocationis ter triginta dierum ternis edictis expressarum, vel vno edicto peremptorio pro omnibus ad arbitrium Iudicis prorogato vel arctato. Sed cùm Iudex per Apparitores suos Apostolos jam citatoriū nobis editum dederit, & monitorium; non restat, *Amos 5.* nisi peremptorium. Et quis illud expostulet, aut desideret? *Va*, inquit Propheta, *desideranti-* *Sopho. 1.*

*bus diem Domini. Dies enim illa dies iræ, dies nubis & caliginis, dies tubæ & clangoris.* Non ergo necessariæ sunt dilationes vocationis.

Malach. 2.

SERMO III. *In Capitulo Generali.*

LABIA *Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus: Angelus enim Domini exercituum est.* O quanta est misericordia conditoris. Servi digni non fuimus, & Angeli nominamur. Magnum est, quod de nobis dicitur, & tamen verum dicitur. Testimonium siquidem perhibet is, cujus testimonia credibilia facta sunt nimis, Malachias videlicet Propheta, officio Angelus & nomine. Hic est, de quo dictum est, quòd prophetanti, verbis suis testimonium perhibens Angelus apparebat. Ergo juxta Prophetæ testimonium statuit in terris dignitates hominum Dominus, secundùm ordines Angelorum: vt sicut in cœlis character est cœlestis Theophaniæ vniformis Beatorum spirituum multitudo; ita in terris ejusdem Theophaniæ character esset multiformis spiritualiũ virorum vnio. Non ergo solùm Angelos suos facit spiritus, & ministros suos flammam ignis: sed qui spiritu Dei aguntur, hi sunt Angeli ejus: & qui fulgent splendore charitatis, facti sunt ejus ministri. Nam sicut flamma ignis discernitur tribus modis, splendore, calore, scintillatione;...& per hoc, vt dictum est, fiunt characteres cœlestis Theophaniæ, quam Ioannes, cognomento Scotus, ita diffiniuit, Theophania est, subsequentibus signis, non substantificis genijs, mentibus ab imaginibus defæcatis, superessentialis & diffinitivæ originis simpla & reciproca manifestatio. Vnde & Theophania Dei manifestatio interpretatur, à *Theos*, quod est Deus, & *phanes*, quod est manifestatio. Et quoniam sicut Angelorum, sic vestrum est, Dei gloriam simplicibus manifestare: de Dei manifestatione breviter, velut introductionis modo pro modulo nostro vobis aliqua disseramus. Sciendum igitur, quòd quinque modis Deus manifestatur, videlicet voce, re, imaginatione, ratione, & anagogica contemplatione. Voce tribus modis; quia vel secundùm vocis impositionem, vel secundùm interpretationem, vel significationẽ. Secundùm vocis impositionem, cùm dicitur, *Ecce vir, Oriens nomen ejus.* Per impositionem hujus nominis *vir*, intelligo, quòd ille verè vir est, cujus foliũ non marcescit; & per hoc Christum intelligo, quia vir dicitur vigens robore vel rigore. Secundùm interpretationem, sicut Dauid Christum significat; quia manu fortis, vel vultu desiderabilis, interpretatur. Secundùm significationem, sicut per manum Christus significatur; quia ipse manus est, per quam Pater operatur. Re duobus modis manifestatur; scilicet secundùm naturam & formam. Secundùm naturam, vt cùm lego, *Vicit leo de tribu Iuda,* Christum intelligo. Similiter cùm lego, *Ecce agnus Dei,* &c. per naturam agni Christũ intelligo. Leo dicitur Christus propter fortitudinem; agnus propter simplicitatem vel mansuetudinem. Secundùm formam etiam quatuor modis manifestatur Deus. Forma enim constat numero, pondere, mensura, & motu. Per numerum Deus designatur, sicut per vnitatem. Nam sicut vnitas neque commixtionem patitur neque diuisionem: ita in vnione Dei & hominis nec commixtionem passus est Christus, nec diuisionem. Per mensuram etiam figuratur, vt in Ezechiele per calamum mensuræ, quo templum spirituale metitur. Manifestatur etiam per pondus. Vnde per stateram, quam Pater habet in manu, id est in Filio, æquitas diuini judicij figuratur. Sicut per Ioannem dicitur. *Hæc dicit, qui habet stateram in manu.* Secundum motũ figuratur, vnde per stellam matutinam significatur. Ecce quomodo re manifestatur Deus. Nunc de imaginatione videndum est. Fit autem Dei manifestatio secundùm imaginationem tribus modis, videlicet per similem similitudinem, per dissimilem similitudinem, per similem dissimilitudinem. Per similem similitudinem; vt si comparatione Angeli Deum manifesto: quia Angelus qui spiritus est, & inuisibilis, valde similis est spiritui & inuisibili Deo. Per similem dissimilitudinem; vt si, quæ Dei sunt, per sui contrarium comprehendo: vt considerata miseria diaboli, quæ sit beatitudo Dei, cognoscitur. Cognito quippe vno contrariorũ cognoscitur & reliquum: & hujusmodi similis dissimilitudo in Euangelio inuenitur, vbi legitur. *Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Per dissimilem similitudinem manifestatur Deus, quando per aliquam rem vilem & abjectam figuratur. Vnde in Psalmo. *Ego autem sum vermis, & non homo.* Quid enim verme vilius; quid Christo dignius? Et tamen per vermem Christus figuratur. Ratione manifestatur Deus. Sed hic notandum, quòd res ratione manifestatur tribus modis, scilicet præcedentibus, comitantibus, & subsequentibus signis. Præcedentibus, sicut medicus ex pulsu vel vrina vicinum morti cognoscit ægrotum. Comitantibus, sicut per circulum vinum vænale ostenditur. Subsequentibus, sicut per cinerem ignis in camino fuisse probatur. Sciendum ergo, quòd Deus semper subsequentibus signis cognoscitur; quia Deum nihil præcedit. Propter hoc dicit Ioannes. *Theophania est, subsequentibus signis,* &c. Sequitur. Non substantificis genijs. Substantifica genia sunt subsistentes causæ: & nulla causa subsistit, quare Deus sit. Quia si hoc esset; oporteret, quòd causatum causam suam præcederet: quod fieri non potest, maximè cùm ipse Deus sit omnium causa, & causa causalissima. Quod autem sequitur; *Mentibus ab imaginibus defæcatis,* dictum est, propter anagogicam contemplationem, qua Deus propriè contemplatur: quia minùs propriè p imagines manifestatur. Vnde Rachel cùm portaret secum idola patris sui Laban, comprehensa supposuit ea sibi. Requisita verò dixit. *Non possum assurgere tibi; quia secundum morem mulierum accidit mihi.* Rachel siquidem contemplativam designat animam, quæ tunc portat idola Laban, cùm secundùm imagines contemplatur. Sed ea postea sibi supponit, cùm imaginata credit imaginibus esse majora; non æqualia, sed valde dissimilia. Et secundùm morem mulierum accidisse sibi confitetur; quia totum humanæ infirmitati deputat, quòd ad illã simplicem & diuinam naturam per aliquas similitudines attingere se credebat. Hinc est etiã, quòd Elias in ostio speluncæ suæ post spiritum conterentem petras, & subuertentem montes, post commotionem & ignem, in sibilo auræ tenuis Deum esse non negauit: quia verò tunc proficit anima, cùm in contemplatione deficit;

Malachias, id est Angelus Domini.

Deus quinque modis manifestatur.

Zachar. 6.

Apocal. 5.
Ioann. 1.

Ezech. 40.

Apocal. 6.

Dei manifestatio per imagines triplex.

Luc. 16.

Psalm. 21.

Ioan. Scotus Erigena.

Genes. 31.

Mystica expositio furti Rachelis.

quia nihil imaginarium de Deo sentit. Vnde Psalmista. *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Tunc enim verè probatur diligere, cùm in contemplatione probatur deficere. Propter hoc mentes Deum contemplantes ab omni imagine debent esse defæcatæ, id est purgatæ. Talium est enim Theophania, id est manifestatio Dei: quam superessentialé & diffinitiuam originem vocat Ioannes. Superessentialem quidem, quia omnem superat essentiam: diffinitiuam verò, non peremptoriam, sed constitutiuam, sed diffinitiuam originem; quia per eam omnis res habet suę definitionis originem. Omnis enim res habet propriam diffinitionem; per quam specificè differt à cæteris. Debet igitur esse simpla manifestatio Dei: quia nec diuisiones membrorum, vel mutationes locorũ, vel varietates temporum, aut etiam spiritualiũ affectuum varietates, cogitare debemus. Hujus autem supercælestis Theophaniæ tres in cœlis describit characteres idem Ioannes; ad quorũ similitudinem etiam in terris fecit Sacerdotes Angelos. Primam vocat Epiphaniam, secundã Hyperphaniam, tertiam Hypophaniam. Et vnámquamque trinis distinguit ordinibus Angelorum. Dicitur autem epi suprà, hyper medium, hypo infrà. Est enim superior, media, & inferior phania. Epiphaniã diffinit hoc modo.

*Psalm. 83.*

*Ioan. Scotus*

*Epiphania quid sit.*

Epiphania est ministerijs incalescentis affectionis altioris intuitus judicijque librâ resultatio distributa. Distributa dicit, id est distincta. Distinctè enim resultat Epiphania ministerijs incalescentis affectionis in Seraphim. Affectuosè siquidem amore diuino Seraphim incalescunt: vnde ardentes vel incalescentes interpretantur. Resultat etiam ministerijs altioris intuitus in Cherubim; quia altiùs & subtiliùs cunctis inferioribus diuinam majestatem intuentur: vnde Cherubim plenitudo scientiæ interpretatur. Resultat etiam Epiphania judicij librâ in Thronis: quia in ipsis Deus, quasi Rex in throno sedet ad judicandum: vt per ipsos judicet orbem terræ in æquitate. Hyperphaniam ita diffinit.

*Hyperphania.*

Hyperphania est sui participem insigniens scalari reuerentia, vsúmque ejus edocens, arcensque contrarium. Insignit enim Hyperphania sui participem ministerio Dominationum scalari reuerentia. Officium enim Dominationum est, docere subditos reuerentiam Prælatorum secundùm diuersos gradus dignitatum: vnde & scalaris vocatur. Aliter enim Priori, aliter Abbati, aliter Episcopo, aliter tandem Domino Papæ obediendum est. Et quoniã quidam sunt, qui scientiam habent obediendi, sed non vsum: quod enim habent scientia vel habitu, non habent actu; ideo principatuum est officium, vsũ & actum hujus reuerentiæ nos docere. Et quia multis ad hæc præpedimur, videlicet mundi dilectione, carnis infirmitate, diaboli suggestione; ideo officium potestatum est omne contrarium arcere. Hypophaniam verò sic diffinit.

*Diuersis Prælatis diuersa obedientia exhibenda.*

*Hypophania*

Hypophania est naturæ legibus occurrens & arcana referans pro sui capacitate. Naturæ siquidem legibus occurrunt virtutes; quia præter vsitatum cursum naturæ, secundùm superiores causas, per eos Deus frequenter miracula operatur. Arcana etiam referant, sed pro sua capacitate: quia aliter Angeli, aliter Archangeli cœlestia nobis secreta reuelant. Archangelorũ enim est, summa & maxima, Angelorum verò minima nuntiare. Talium estis, dilectissimi Patres, in terra characteres; quos Angelos vocat Malachias. Cùm enim ardore diuini amoris incalescitis; cùm altiori intuitu in libro vitæ per contemplationem legitis & studetis: cùm judicij librâ justũ judicium subditis judicatis, Epiphanię characterem induitis. Cùm in ipsa verò vestra Prælatione subditorum vestrorum conseruos vos esse cognoscitis: cùm vsum obedientiæ Prælatis vestris impenditis, sicut vobis impendi vultis; cúmque his omnibus contraria viriliter arcetis; Hypophaniæ participio estis insigniti. Cùm autem in carne præter carnem viuitis, & in terris vitam cælestem ducitis, illud quod de quodam Sancto legitur, imitantes, *Primum miraculum, quod fecit, ipse erat;* quando etiam arcana cœlestia reseratis vnicuiq; pro sua capacitate, spiritualibus spiritualia comparantes; mel & lac habentes sub lingua; cibum & potum cœlestium conuiuijs nuptiarum præparantes, in terris Hypophaniæ officium exhibetis. Necesse est ergo, vt labia vestra scientiam custodiant. Labia quidem, quibus credita sunt eloquia Dei; labia quibus datum est, illud eulogium proferre, quod panem & vinum trãssubstantiare potest in corpus & sanguinem Christi: labia, quibus commissa est solicitudo orandi pro vestra & populi ignorantia: labia, quibus data est potestas ligandi & soluendi: vtpote quę facta sunt claues regni cœlorum. Nam quoniã quorumdam labia non custodierunt scientiam, perierunt propter suam insipientiam. Et qui stantium esse debuerunt, cadentium facti sunt characteres Angelorũ. Non enim ignorat prudentia vestra, fratres carissimi, quòd de quolibet ordine Angelorum aliqui ceciderunt; & in hoc caliginoso aëre retrusi peruertũt homines, & quasi quosdam sui characteres in operibus suis eos efficiunt. Cùm enim video quosdam igne cupiditatis ardere, quosdam abuti dono scientiæ, quosdam subditos sine discretione judicare: illos sine dubio intueor, qui de cœlesti Epiphania ceciderunt. Cúmque alios video, qui nec scientiam habent reuerentiæ, nec vsum ejus Prælatis exhibens, quæ sibi volunt à subditis exhiberi: nec arcere volunt contraria virtutibus, sed sordescunt in fæcibus suis: illorum, qui de cœlesti hyperphania lapsi sunt, characteres intueor Angelorum. Cùm verò quidam naturæ legibus occurrunt, contra naturam carnis legibus seruientes, dolis intendentes & fraudibus, ludis & vaniloquijs, magis quàm spiritualibus: illorum efficiuntur characteres, qui de cœlesti hypophania ceciderunt. Necesse est ergo, vt labia vestra custodiant scientiam: quia non sufficit vna clauis ad ligandum vel soluendum: sed cum potentia soluendi seu ligandi necessaria est scientia discernendi. Ergo quia ad judicandum congregati estis, trium legum judicium ante mentis oculos habere debetis: legis videlicet naturalis, cujus judicium est, *Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris; & quod tibi vis fieri, alij feceris.* Interdum tamen vti debetis judicio scriptæ legis: rarò tamen, & quando occurrit causa ineuitabilis: cujus judicium est, *Dentem pro dente, oculum pro oculo.* Sed rarò, vt dictum est, sicut ait Legislator noster beatus Benedictus, quando scilicet nihil proficiunt vnguenta adhortationum, vindicta verberum, sua & fratrum suorum oratio; si priùs hæc fue-

*S. Bernard. hoc de S. Victore dicit serm. de eod. Victor.*

*Quinam similes Angelis lapsis.*

*Deuter. 19.*

rint adhibita, nihilque proficiant: tunc vtatur ferro abscissionis, sicut scriptum est. *Infidelis si discedit, discedat*; ne vna ouis morbida totum gregem contaminet. Sæpius tamen, & ferè semper nisi fortè patientia vestra vir impudens & incorrigibilis abvtatur, judicio legis spiritualis vti debetis; illo videlicet, quo dicitur, *Si te percussit quis in maxillam, præbe ei & alteram*; vt sic tamquam viri sapientes & discreti, sciatis, in quibus remissivum, in quibus verò punitivum debeatis judicium exercere: scientes, quia in quo judicio judicaueritis, judicabimini, ab illo Iudice, qui reddet vnicuique secundùm opera sua, cùm venerit judicare sæculum per ignem.

*1. Corin. 7.* *Excommunicatio rarò in vsu esse debet.* *Matt. 5.*

SERMO. *In Festo omnium Sanctorum.*



CONGREGATE *illi sanctos ejus: qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.* Nemini novum videatur, quòd beatus Bonifacius antiquum illud templum à Phoca Cæsare impetratum, in honore Sanctorum omnium haberi voluit consecratum. Præceptum enim in Israël est, & judicium Deo Iacob. Præco siquidem ille antiquus, præfectus in Cantoribus, Barachielis filius, piscatores illos, quorum retia rupta sunt à conclusione piscium suorum redarguens: piscatores alios, quorum retia rupta non fuerunt à conclusione piscium centũ quinquaginta triũ, exhortatur, cùm ait. *Congregate illi sanctos ejus.* Intitulatur enim Psalmus Asaph. Quis sit autem Asaph, ex genere, ex dignitate officij, ex nominis interpretatione, dignoscere non erit inutile. Asaph, sicut in Paralipomenon legitur, fuit filius Barachielis, qui factus est inter cantores vnus quatuor magistrorum. Interpretatur autem Synagoga; siue quod idem est, congregatio. Sed cum omnis congregatio siue hominum sit, siue pecudum, Synagoga posset appellari: propriè tamen Synagoga dicitur, congregatio populi Israël. Sed cujus Israël? Est enim Israël secundùm carnem, & est Israël secundum spiritum. Non omnes, ait Apostolus, *qui sunt ex Israël, hi sunt Israëlitæ, sed in Isaac,* id est filio promissionis, *vocabitur tibi semen*: semen inquam, de quo dictum est ad Abraham: *in semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quod exponēs Apostolus: *non ait in seminibus*, inquit, *quasi in multis: sed in semine tuo, qui est Christus.* Illi ergo Israëlitæ sunt, qui in Christo benedicti sunt. Sed qui sunt hi Benedicti? *Omnes qui viderint istos cognoscent eos: quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Quis enim videns obedientiam vestram, abstinentiam vestram, laborem vestrum & deuotionem, in vigilijs, in jejunijs, in Psalmodia; non cognoscat, quòd vos estis semen Domini sabaoth; semen de semine, quod Domin⁹ reliquit nobis? *Nisi* enim, ait scriptura, *Dominus sabaoth reliquisset nobis semen: quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* Verumtamen carissimi, vestra congregatio Asaph Barachielis est: & verè Asaph dici potest: Asaph, quia multæ filiæ congregant diuitias: vos supergredimini vniuersas. Vos enim estis aceruus ille testimonij, congregatus in confederatione Iacob & Laban. Nam quòd ipse Dominus pacem habeat cum populo terræ, quasi cum Laban, inpatientia vestra & perseuerantia vestra testimonium perhibetis. Quotiens enim

*Psalm. 49.* *Pantheon in Ecclesiam conuersum.* *Rom. 9.* *Genes. 22* *Galat. 3.* *Isai. 61.* *Isai. 1.* *Congregatio Religiosa Asaph Barachielis est.*

in labore fortitudinem, in tentatione patientiā, in opere bono perseuerantiam, demonstratis: lapides in aceruo testimonij congregatis. Ex his siquidem tumulus testis efficitur: in quo primum lapidem Iacob posuit: & post ipsum fratres ejus. Cùm enim Dominus in lucta passionis tamquam luctator insuperabilis, (Nam Iacob luctator interpretatur,) patientiam demōstraret: lapidem posuit in aceruo. Deinde quando filij ejus, siue fratres, ad imitationem ejus diuersas virtutes accumulant: lapides in tumulo coaceruant. Filij enim sumus, in hoc quod est Deus: fratres, in eo quod est homo. Filij sumus, in hoc quod fecit nos: fratres, in hoc quod humanæ naturæ defectui absque peccato nobiscũ communicauit. Filij ergo sumus, per gratiæ donum: fratres, per naturæ consortium. Vnde nec confunditur fratres nos appellare: dicens quodam loco sic. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Vos igitur quos ad glorificandum seipsum amor Christi ab aquilone & mari congregauit in vnum: vos, qui cum vero Iacob in confœderatione Dei & hominis, non dispergitis, sed colligitis cum eo, sicut ait: *Qui non colligit mecum dispergit*: vos, inquam, qui virtutes congregando, in hac valle lacrymarum ascensiones disponitis, vt ascendatis in montem Domini, misericordiam & benedictionem à Deo accepturi: dici potestis Asaph & filij Barachielis. Asaph, propter congregationem virtutũ: Barachielis, propter benedictionis donum. Barachiel enim benedictio Domini interpretatur. Asaph igitur estis, per meritum; Barachielis, per præmium. Asaph per gratiam: filij Barachielis per retributionem. Asaph estis, qui magisterium tenet in cantoribus. Nam cùm in citharis & tympanis & choris, & diuerso genere musicorum, dulcis sonus, suauisq; fieri possit harmonia: super omnes coram Deo dulcis est ille meliodorus: in quo tangitur corda cordis, & vita respondet verbis: vbi tangitur acuta per deuotionem: grauis verò corda per patientiam & tribulationem. Quomodo in cantoribus primatum tenere non debeat: qui canere nouit per prædicationem tuba, in psalterio verò, qui à superiori sonat per contemplationem: in cithara quæ ab imo sonum reddit, per miseriæ suæ discussionem: in tympano per carnis mortificationem; in choro per fraternam dilectionem, in cordis per cordis intentionem, in organo per deuotionē: in cymbalis jubilationis & bene sonantibus, per hilaritatē & exultationē? *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Tales cantores estis vos, fratres carissimi; & talibus instrumentis aures Dei mulcere didicistis. Clamet igitur Asaph: clametis & vos: clamet piscatoribus nostris, quorum retia rumpi non possunt. Clamet illis, insultando: clamet istis, exultando. Clamet illis, ad increpãdum: clamet istis, ad exhortandũ. Clamet illis, vt foras mittant pisces, qui rumpunt retia: clamet istis, vt congregent & gaudeāt in captura. Vultis audire carissimi: quæ sunt antiqua retia, quæ rupta sunt: qui piscatores, & qui pisces fuerunt? Antiqua retia, antiquam illam arbitror synagogam: quam modo dilaceratam videtis & dispersam. Et in compositione retium istorum, nodos possumus appellare signa illa: quibus antiqui Deo adhærebant: vel eorum operationes, qui inter eos sancti erant. Nam sicut ex duobus funiculis nodus efficitur, sic ex Dei miraculis,

*Ex quibus lapidibus acervus componendus.* *Psalm. 21.* *Luc. 11.* *Quanam coram Deo suavis harmonia.* *2. Corin. 9.* *Antiqua retia rupta, quæ sint.*

*Nexus amoris Dei in antiquis.* raculis, & Patriarcharum operibus, fiebat in retibus nexus amoris. Vt enim antiquos Deus diligeret, quasi quidã nodus erat innocẽtia Abel, justitia Noe, Abrahæ fides: deuotio Isaac, afflictio Iacob: mansuetudo Moysi: fortitudo Dauidis. Ex alia vero parte, vt ipsi Deum diligerẽt, suscepit sacrificium Abel: saluauit ab aquis diluvij Noe: ditauit Abraham in Chanaan: desiderium Isaac impleuit: Iacob de manibus Esau liberauit: Moysen & fratres suos filios Israël, de sub jugo Pharaonis eduxit: Dauid de post fœtantes assumens, in Regẽ sublimauit. In istis ergo & talibus antiqua retia cõtexuit. Sed pisces in retibus paulatim palpitare cœperunt, & ruperũt retia. Quid enim pusillanimitas ipsa, qua contra Deum murmurabant, inter Ægyptios & mare rubrum? Quid illa superfluitas in Mara pro amaritudine aquarum: quid illa murmuratio in fastidio leuis cibi: quid illa voluptas in desiderio carnium Ægypti: nisi interruptionis foramina, quæ fecerunt pisces in retibus congregati? *Exod. 17.* Hinc enim vinculum dilectionis incepit dissolui, quo cum Deo innodati erant: cùm ipsi beneficijs ejus ingrati, Ægyptum cupiebãt: fecerunt vitulum conflatilem: murmurabant contra Moysem: ipsum quoque Deum blasphemabant. *Dissolutio amoris.* *Exod. 32.* Sed tamen si inter eos aliqui tales inuenti sunt, qui Deum in hujusmodi blasphemijs offenderent: propter aliquos tamen, qui inter eos sancti erant, parcebat toti multitudini: nec retia funditus permittebat dissolui. Ipse enim est, sicut locutus est ad Abraham, qui propter decem justos, Sodomitis omnibus pepercisset: si in Sodomis eos inuenisset. *Genes. 18.* Sed quoniam paulatim charitate filiorum Israël refrigescente, tanta inter eos excreuit malitia, tanta superbia, tanta cupiditas, & infidelitas tanta: vt non tãtùm mali in seipsos, vel in sanctos Dei essent; sed in ipsum Dei filium exardere, tenere, occidere non timuerunt: nullus vtique inter eos bonus inuentus est: sed sicut Sodomitis pares inuenti sunt in præuaricatione, sic etiam eis pares facti sunt in reprobatione. Hinc igitur est, quòd Asaph Synagogam illam redarguens, ibi dicit, *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas?* *Psalm. 49.* Sicut jam diximus, piscatores, quorum retia rupta non sunt, ad copiosam capturam inuitat, vbi ait. *Congregate illi sanctos ejus.* *Ibidem.* Retia enim quæ rumpi non possunt, præsens est Ecclesia, quæ est congregatio Sanctorum: quorum nodi sunt hinc religio, vita vel mores, inde verò naturæ, gratiæ, & gloriæ donum. *Rete est Ecclesia: piscatores & pisces, qui.* Istorum igitur retium sunt pisces, subditi: piscatores, Prælati. Ipsis ergo dicitur. *Congregate illi,* pisces bonos: non illos qui confundunt legem Dei, in sterilibus obseruantijs, & sacrificijs carnalibus, sed *congregate sanctos illos, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.* Vos igitur fratres, congregate, vel prædicando, vel opere sectando, vel honore prosequendo. Prędicando sanctificandos; opere sectando, quos videtis imitandos: honore prosequendo remuneratos, vel remunerandos. Secundum enim metonymiã, quæ figura est, per quam continens designatur in contento, Sanctos congregat, qui Sanctorũ sanctitatem coaceruat. Si enim imitamini in contemplatione Dei Angelos, Patriarchas in fide, Prophetas in spe, Euangelistas in prædicatione, Apostolos in religione, in continentia Virgines, in patientia Martyres, in abstinentia Confessores; bene congregatis Sanctos omnes. *Congregate illi.* Cui illi? Illi qui locutus est: *Deus Deorum locutus est, & vocauit terram, à solis ortu vsque ad occasum.* *Psalm. 49.* Eorum autem, qui congregant, alij sunt, qui Deo Deorum congregant: alij vero dijs, id est hominibus, siue dęmonijs. De hominibus dictum est. *Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes.* *Psal. 31. & 95.* De dæmonijs autem, *Omnes dij Gentium dæmonia.* *Alij Deo congregant, alij hominibus vel dæmonibus.* Hominibus ergo congregant, qui propter gratiam potentium, siue propter honorem terrenum, vitæ sanctimoniam custodiunt. Hinc est, quòd potentibus clamat subditus. Ecce tot annis seruio vobis, nec vnum de mandatis vestris præteriui: vos nec vnam obedientiam mihi dedistis. Et tamquam filij illius Euangelici ore loquens patrem suum solicitat dicens. Ecce iste, qui modo de sæculo venit, qui huc vsque portionem suam, viuendo luxuriosè, dissipauit: postquam intus venit, statim ad obedientiam vocatus est. Ego autem tot annis, strenuè conuersatus sum; & Abbas nec vnam obedientiam dat mihi. Alij verò non hominibus, sed dæmonibus congregant, sicut ij, de quibus dictum est. *Immolauerunt dæmonijs, & non Deo, Dijs, quos ignorabant.* *Deuter. 32.* Gentes enim in honore Deorum suorum, plerúmque in abdicatione rei temporalis, plerúmque in abstinentijs, multotiens verò in carnalibus sacrificijs, solicitè intendebant. Veteris verò testamẽti patres, non hominibus, non dęmonijs, sed Deo, deuoti erant: cultum religionis illius persoluentes ei: quem illi dæmonijs exhibebant. Et hoc multo melius: illi enim nec fidem, nec veræ religionis cultum habebant. Isti vero etsi nondum verã religionem cognoscerent, fidem tamen iam habebant. Sed tandẽ crescente fide, creuit religio. *Creuit religio, crescente fide.* Nam ordinare testamentum Dei inceperunt noui testamenti patres, super præcepto sacrificiorum: quod illi carnaliter intendentes, intentionem datoris confundebant. Non enim de re sacramenti, sed de sacramento rei; non de veritatis signo, sed de veritate signi: non de significante, sed significato, locutus est Deus; cum de legalibus cæremonijs eis loqueretur. Vnde in hoc eodem Psalmo ait. *Non in sacrificijs tuis arguam te.* Et *Numquid manducabo carnes taurorum: aut sanguinem hircorum potabo?* *Psalm. 105.* Hinc etiam per Isaïam ait. *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? Plenus sum.* *Isai. 1.* Et per Ieremiam. *Comedite,* ait, *carnes, quia non sum locutus de holocaustomatis istis, die qua eduxi vos de terra Ægypti:* *Ierem. 7.* significans, quòd de spiritualibus sacrificijs, & non carnalibus intendebat. Vnde ad illorum differentiam, qui sic in zelo Dei, quem vtique habebant, sed non secundùm scientiam, super sacrificium, Dei mandatum confundebant, dictum est. *Congregate illi Sanctos ejus: qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.* Non qui confundunt; sed illos congregate, qui secundũ mandatum in sacrificijs suis sal apponunt; pellem detrahunt; & vt fœtus varios pariant, in canalibus suis virgas, partim cum cortice, partim decorticatas, mittunt. Quid est sal apponere? *Quid sit sal apponere in sacrificijs, &c.* Mandatum sacrificij secundùm spiritualem sapientiæ sensum intelligere. Quid est pellem detrahere? Retinere sensum, & literæ velamen remouere; hoc etiam est virgas decorticare. Cùm enim Prælati in libris, quasi in canalibus sensum spiritualem in litera ruminant, vt inde

subditi virtutes varias acquirant, virgas decorticant; vt varios fœtus oues parturiant. Isti ergo sunt, qui ordinant testamentum Dei super sacrificia. In illis siquidem sacrificijs nihil aliud legislator intendere voluit; nisi quod in ipsis intendebat ostendere, quomodo, vel in bonis quæ sponte fieri solent, vel in bonis quæ fieri solent per necessitatem, se deberet habere. Bonum enim, quod sponte fit, quia coram Deo dignius est, primi ordinis esse demonstrat: cùm ipsum per species suas primò subdiuidit. Bonorum enim quæ sponte fiunt, quædam cum majori, quædam cum minori deuotione perpetrãtur. Igitur quæ cum majori deuotione fiunt, sub holocaustis; illa verò quæ cum minori, sub hostijs pacificis memorantur. Item bona illa, quæ cum majori deuotione fiunt, quædam ad activam, quædam verò ad contemplatiuam vitam pertinent: eo quod actiua vita prior sit, nõ dignitate, sed exercitio. Actiuam vitam diuidit in holocausta bouis, ouis, & capræ. Sunt enim quidam, qui se totos Deo committunt, fortes robore, strenui labore: qui secundùm Dei mãdatum, relinquunt omnia: & se & fratres suos de labore manuum suarum pascunt. Isti bovem in holocaustum ponunt. Qui quando nihil terreni præmij in labore quærunt: sed in respectu summi Pontificis, id est Dei, totum faciũt: quasi ad Aaron bouem adducunt. Et cùm hilariter operantur; quia hilarem datorem diligit Deus, manus super caput hostiæ ponunt. Cùm autem inter labores, quicquid voluptatis est, quicquid carnalis affectus esse potuit; remouent, pinguedinem de sacrificio tollunt. Qui autem in ipso labore tempus & locum, ( quia quandoq; vacare debet propter orationem, ) discernere scit, artus hostiæ disponit. Cùm verò propter laboris pondus, vt plerúmque fieri solet, non amittit deuotionem, sed cogitat in labore retributionem mercedis: lignis cogitationum suppositis, ignem sancti Spiritus in altari cordis accendit. Alij autem robore debiles, ætate senes, simplices sensu, censu diuites, quando sibi amicos faciunt de mammona iniquitatis, se & sua Deo in monasterio conferentes: quasi oues de lacte & velleribus pascentes possessores suos; Deo seruientes de patrimonio & diuitijs suis sustentant. Sicut ergo illi laboriosi, ita isti simplices, solùm pro Dei amore: cum hilaritate & deuotione sancti Spiritus innocenter viuere debent. Alij verò nec corpore fortes, nec rebus locupletes; pro peccatis suis tamen, eo quod de factis suis cauteriatam habent conscientiam, omni modis intendunt in pœnitentia, in mortificatione carnis, in jejunijs, & in omni genere subjectionis. Isti igitur Euangelicum publicanum viuentes, nec oculos audent ad cœlum leuare: sed omni hora de peccatis suis se reos existimantes, ad omnia quæ eis injungũtur, velut operarios malos se judicant, & indignos. Isti capram Deo offerunt in holocaustum, qui ritũ bouis & ouis in sacrificio tenent: quando cum hilaritate & deuotione & spe salutis æternę, inceptam pœnitentiam perseuerantia felici consummant. Contemplativam autem vitam, sub holocaustorum specie distinguens, species ejus lex subdiuidit, in typo turturis, vel columbæ, vel in sacrificio similæ. Qui enim contemplativus esse desiderat, oportet, vt in castimonia vitæ intendat; vt illam quæ gemitum docet, doctrinam quærat: gemitu & contemplatione alta petat. Hic offert turturem in holocaustum; cujus ascellas frangit, quando propter studium vacat à labore: vesiculam tollit, quando superbiam rejicit: plumas vero abjicit: cùm pristinã vanitatem relinquit. Sanguinem in basi altaris fundit: qui pro Deo totius carnalitatis affectũ contemnit. Secundùm eumdem ritum etiam columbam immolat, qui simpliciter in cogitatione cogitat, vt scriptum est. *Meditabor vt columba.* Similam autem, qui in obseruantia purę conscientiæ, & per contemptum sæcularis vitæ offert de clibano, & per mortificationem carnis de craticula: & de sartagine per frixurã mẽtis: quæ quando cum deuotione patitur, oleo similam linit; & cùm inter ista deuotionem orationis non amittit, etiam in sacrificio thus admittit. In isto tamen sacrificio nec fermentum, nec mel debet admisceri: quia nec malitia, nec carnalis delectationis dulcedo debet diligi. Mellis tamen primitias Deo offerat: quia necesse est, vt religionis initium cum deuotione suscipiat. De illis autem sacrificijs, quæ cum minori fiunt deuotione; sub hostijs pacificorum intendit: cùm ea vel sub specie bouis, vel ouis, siue capræ, sicut supradictum est, legislator subdiuidit. Sicut enim inter illos, qui se & sua committunt, alij laboriosi sunt, & omnia quæ laborant Deo conferunt: alij corpore debiles, ea quæ possident, vt viuere simpliciter possint, dimittunt: alij autem, qui pauperes sunt, & laborare non possunt: & tamen pro pœnitentia, ad arbitrium Prælati sui se Deo in monasterio cõmittunt: ita & in sæculo degentium quidam laborare possunt, & de labore suo multa suis reseruant posteris: & multa pro Deo largiuntur egenis: & isti de boue hostiam pacificorum offerunt. Alij vero viribus corporis destituti simpliciter in sæculo vivunt, nihil mali proximis suis inferunt, nec inferre moliuntur, & de ijs quæ acquisierunt à juuentute, pro facultatis quantitate largiuntur. Isti de oue pacificorum hostiam offerunt. Alij autem & debiles & egeni, de conscientia sua soliciti; & peccata commissa confitentes, & pœnitentiã injunctam deuotè suscipiunt, & exercent. Isti quando pœnitent, capram immolant in sacrificio pacificorũ. In omnibus tamen caudam & adipem offerre Deo debent: caudam in perseuerantia, adipem in affectu. Omnis siquidem affectus, siue ille qui ad gulæ illecebras pertinet, tamquã adeps, qui ventrem operit: siue sæcularis amor, tamquam adeps qui operit vitalia: siue alicujus malæ voluntatis affectus, tamquam adeps jecoris: siue voluptatis amor, tamquam adeps, qui operit renunculos: cum ipsis renunculis, prorsus dimittere debent etiam illi, qui in sæculo Deo viuere satagunt, vt sic vtantur hoc mundo, tamquam non vtentes: tamquam nihil habeant, & omnia possidentes: & non tantum renunculi in voluptatis opere relinquendi sunt, sed etiam adipem renunculorum, id est ipsius voluptatis affectum, Deo debent consecrare. Bonum autẽ, quod fit ex necessitate, sub specie sacrificiorum, quæ pro peccatis fieri solent, per species etiã suas subdiuidit legislator. Qui enim peccat, necesse est; vt per pœnitentiæ bonum se corrigat. Vnde Dominus genimininibus viperarum, tamquam peccatoribus, clamat: *facite fructus dignos pænitentiæ.* Digni enim sunt pœni-

*Actiua vita holocausta, bos, ouis, capra, mysticè intellecta.*

*Luc. 18.*

*Qui Euangelicum publicanum imitentur.*

*Contemplativus offerre debet turturem, &c.*

*Isai. 38.*

*Cauda & adeps offerri debent.*

*Affectus malus tamquam adeps dimittẽdus.*

*Matt. 3.*

tentiæ fructus, si personam agentis, & actum peccati consideres: si secundùm vtrúmque, pœnitētiæ bonum vel alijs dones, vel tibi assumas. Vnde etiam sacrificium pro peccatis bifariam diuiditur: scilicet secundùm personam, & actū. Est enim peccatum aliud singulare, aliud vniuersale: aliud fit ex ignorantia, aliud ex temeritate; aliud ex contemptu, aliud ex deliberatione. Peccatum igitur, quod fieri solet per ignorantiam; primò tractat sub ignorantia Sacerdotis, sub ignorantia principis, & animæ. Omne enim peccatū, secundùm diuersas personas majus aut minus judicari debet. Si enim sapiēs est, qui peccat: si potens, vt cauere possit, vel sciat: multò grauiùs puniri debet, quàm ille, qui peccatum cauere nescit, nec potest. Sacerdos, de cujus ignorantiæ peccato primò tractat, sapientem significat: Princeps verò, de quo secundò agit, potentem demonstrat: anima verò, stultū vel imbecillem. Quia igitur majus est peccatum sapientis, vel potentis; quàm simplicis: ideo majori indiget vltione peccati. Cum igitur de peccato Sacerdotis per ignorantiam facto tractat, pœnitentiam ejus sub oblatione vituli disponit. Pœnitentiam verò principis, quia peccatum potentis majus est, quàm peccatum pauperis, minus autem, quàm peccatum sapientis, pœnitentiā ejus diuidit sub specie hirci: qui capra dignior, indignior vitulo cognoscitur. Peccatū autem pauperis, & idiotæ per capram expiari demonstrat. Quia igitur sapiens quando peccat, oportet, vt delectationem peccati per laboris rigorem emendet; bene per vitulum, qui est animal labori dedicatum, monstratur expiari. Qui cùm hilaritatem mentis in pœnitentia ostendit: manus super caput hostiæ ponit. Cùm autem discordiam illam, quam inter se & Deum peccatum fecit, per plenam peccati confessionem interrumpit: digito in sanguine intincto velum inter sanctum, & sanctum sanctorum, septies aspergit. In velo enim peccati discordia demonstratur. Nam sicut velum illud sanctum diuidebat, & sanctum Sanctorum: ita peccati discordia hominem à Deo separat: & ab homine Deum. Intingimus igitur indicem in sanguine: cùm peccatum indicamus in confessione. Septies verò contra velum sanguinem projicimus, cùm per septenariam confessionem peccati, discordiam illam diuidi, demonstramus. Omne enim peccatum ex septem circumstantijs cognoscitur: ex actu & agente, ex peccati complicibus, ex loco, ex tempore, ex causa, & modo. Reliquum autem sanguinem ad basim altaris fundimus, quando totam peccati crudelitatem coram Deo, qui est basis altaris, effundimus. Quatuor autem cornua altaris intingimus, quando ita dolemus de peccato, vt spem non amittamus: quando ita dolemus de dolore pœnæ, vt non desinamus gaudere de fructu pœnitentiæ. In altari enim cor designatur; in quatuor cornibus, cordis affectiones. Totum verò adipem Deo consecramus: cùm totius delectationis pinguedinē propter Deum dimittimus. Pellem autem portamus, cùm actū pœnitentiæ exteriùs sustinemus. Carnem verò mortuam: cùm patimur carnis mortificationē. Caput portamus, cùm principium pœnitentiæ Deo consecramus: pedes, quando pœnitentiam ad perseuerantiam perducimus. Intestina verò, cùm in patientia possidentes animam, contritionem cordis patimur, & amaritudinem: simul autem; quando humanitatis sustinemus ignominiam. Sed quoniam quidam sunt, qui hæc omnia patiuntur, non propter Deum, sed vt videantur ab hominibus: ideo dictum est, vt deferant hæc extra castra in locum mundum. Extra castra defert hostiam, qui extra hominū cognitionem coram Deo vitam sustinet religiosam. Ipse enim est locus mundus, vbi cineres effundi solent; quia omnis qui mundari appetit, oportet, vt perseuerantiam pœnitentiæ in ipso consummet. Hoc idem de oblatione principis, quæ fieri solet pro peccato, sub specie hirci: vel vt spiritualiùs dicam, Chymarri demonstrat. Chymarrus enim, hircus est hiemalis: in hiemali hirco pœnitentiæ amaritudo designatur. Minor tamen pœnitentia priore: quia major est vitulus, quam hircus; & princeps indignior, quam Sacerdos. Similiter & de capra dicimus; quia pœnitentiam simplicis demonstrat; eo quod capra minor sit hirco, similiter & vitulo. Multa his similia habeo vobis dicere, fratres mei; copiosam enim materiam vobis prælibaui; sed ne fastidium generent, sufficiant vobis ista. Nam vt occasionem darem vobis, ostendi; quomodo sancti ordinant testamentū Dei super sacrificia. Illos ergo congregate in vnum: vt cum eis vnà regnare possitis, cum Christo, qui vnus est, cum Patre & Spiritu sancto. Amen.

*Diuersa peccatorum genera.*

*Peccatum Sacerdotis, Principis, &c.*

*Circumstantia peccatorum septē.*

*Qui extra castra hostiā deferant.*

### *In Dedicatione Ecclesiæ.* SERMO I.



VPER *muros tuos Ierusalem constitui custodes*, &c. Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri. Nam sicut circa diuitias temporales concurrere solent tria, quorum primū præcedit, hoc est labor in acquirendo; secundū comitatur, custodiæ solicitudo; tertium verò sequitur, dolor videlicet in perdendo; ita circa spirituales diuitias tantò labor acquirendi grauior esse debet, solicitudo custodiendi diuturnior, quantò vel non habendi vel perdendi dolor est perniciosior: vel quantò acquisitio earū pretiosior est negotiatione argenti & auri. Propterea memores filiorum Berothitæ, qui Isboseth occiderunt in stratu suo, eo quòd ostiaria purgans triticum obdormiuit; non ostiariæ, sed ostiario forti nos & nostra pariter committamus: quia non solùm non lætificat, sed mentē affligit res, quæ acquisita diligitur, & per negligentiam perit. Et quoniam dicit Apostolus, quia templum Dei sumus, à Templo testimonij parabolam assumamus. Videte, quanto labore Templi lapides præcisi fuerint à materia inutili & confusa; quanto postea labore politi, post hæc in membra formati, ad vltimum in vnum corpus Ecclesiæ compacti. Videndum etiam, quanta industria, quibus aspersionibus, illuminationibus, vnctionibus, thurificationibus, dedicatum fuerit Templum Dei. Hæc enim omnia in figura nobis contingunt, qui lapides viui sumus in ædificio Dei. Cùm igitur vel dæmonum vel hominum inutilium importuna suggestio nos premebat, & eorum colloquia seu consortia optimos mores corrūpebant, in modum lapidis fuimus obdurati: quia ad exercitiū boni operis facti sumus immobiles quasi lapis. Sed jam ab illa confusa materia per Dei gratiā

*Isai. 62.*

*1. Corin. 3.*

*Lapides sumus in ædificio Dei.*

separati, & multis tentationum tunsionibus expoliti, sumus in Ecclesiæ membra formati, & vno glutino charitatis in vnum Ecclesię corpus vniti. Sed & ad meritum sanctitatis, lacrymarũ aspersione, lectionis vel prædicationis illuminatione, deuotionis vel exhortationis vnctione, deuotæ etiam orationis frequenti thurificatione, soli Deo sumus dedicati, ita vt ad exterioris ædificium, & ad hominis sanctuarium nihil desit. Et hæc sunt instituta religionis: sed si custodita non fuerint, quid prodesse possunt? Propter hoc Salomon præcepit fieri circa Templũ triginta domos paruulas; vt essent cubilia & cœnacula hebdomadariorum, & eorum qui Templum Domini custodirent, aut eidem Templo deseruirent. Sed & super muros Ierusalẽ constituti sunt custodes, de quibus in Canticis ait sponsa. Inuenerunt me custodes murorum. Hinc est, quòd in oratione clamamus. *Tu Domine vniuersorum, qui nullam habes indigentiam, voluisti Templum tuum fieri in nobis: conserua domum istam immaculatam in æternum.* Hinc etiam Moyses circa Tabernaculum excubias ordinauit, non solùm exteriùs, sed interiùs: id est non solùm circa atrium, sed circa sanctuarium. Hæc autem dixerim, quia sicut vnumquodque istorum vocabulorum æquiuocum est ad multa: ita & ipsa simul vniuoca sunt ad vnum. Nam sicut per Tabernaculum & Tẽplum, sic & per domum & Ierusalem, Ecclesia figuratur, diuersis tamen respectibus. Est enim Ecclesia Tabernaculum, in hoc quòd requies est militantium & pugnatorum: domus verò in hoc, quòd requies est laborantium & actiuorũ: Templum, quia requies est contemplatiuorum: visio pacis, (sic enim interpretatur Ierusalem,) quia requies beatorum. Omnium est enim generalis Ecclesia, tamen per partes diuisa. Est etiam, vt dixi, vnumquodque eorum æquiuocum ad multa. Dicitur enim quandoq; emphaticè, quandoque antonomasticè, quandoque specificè, quandoque allegoricè, quandoque anagogicè, quandoque tropologicè. Emphaticè, id est expressiuè, dicitur Christus Deus & homo. Nam sicut in illo tabernaculo erat atriũ, & sanctum, & sanctum Sanctorum: ita & in illo Deo & homine Christo, quasi atrium fuit corpus, quod foris patuit, sanctum anima, sanctum Sanctorum diuinitas. Specificè Virgo Maria, quæ intra cortinas candidæ carnis suæ Deum & hominem in tribus substãtijs operuit. Allegoricè generalem significat Ecclesiam, cujus quasi atrium est Ecclesia, quę laborat in propatulo: sanctum, Ecclesia, quę expectat in purgatorio: sanctum sanctorum, Ecclesia, quæ regnat in cœlo. Anagogicè quoque illa cœlestis Ecclesia figuratur, de qua scriptum est. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Cujus atrium administratorij spiritus sunt Angelorum, missi in orbem, propter eos, qui capiunt hæreditatẽ salutis. Sanctum verò, media hierarchia, quæ à superiori suscipit, quæ inferiori hierarchiæ injungit. Sanctum sanctorũ, superior hierarchia, quæ Deo assistit, vt scriptum est. *Millia millium ministrabant ei; & decies centena millia assistebant ei.* Vel assignare possumus atrium hypophanię, sanctum hyperphaniæ, sanctum sanctorum Theophaniæ. Arca intra sanctuariũ, cujus virga est potentia Patris, tabulæ sapientia Filij, man verò benignitas Spiritussancti. Tropologicè, id est moraliter, totus homo. Totus dixi, id est interior & exterior. Exterior homo, patens atrium, sanctum verò, vel sanctum sanctorum, cor humanum. Et huic appellationi vniuoca sunt quatuor supràdicta vocabula. Nã de tabernaculo humani corporis scriptum est. *Habemus altare, de quo non habent edere, qui tabernaculo deseruiunt.* Hoc idem domus significat, sicut ait Apostolus. *Scimus quòd si domus ista terrestris corrumpitur, domum habemus non manufactam æternam in cœlis.* Et iterum Iob. *Ecce qui in conspectu ejus sunt, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem: quantomagis qui domos habitant luteas, & terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea.* De Tẽplo quoque dicit Apostolus. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et in libro Machabæorum. *Tu Domine vniuersorum, qui nullam habes indigentiam, voluisti Templum tuũ fieri in nobis.* De Ierusalem verò in Psalmo. *Ierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas.* In Euangelio. *Intrauit Iesus in quoddam castellum.* Tota enim illa Euangelij lectio allegoricè de gloriosa intelligitur virgine, & exponitur. Ipsa enim castellum fuit, omni virtutum munitione vallatum. In typum igitur hujus tropologici tabernaculi illi emphatico Moyses excubias ordinauit: & alios qui atrium, alios qui sanctuarium custodirent: & sicut exteriùs, sic & interiùs; alios ab Oriente, alios à Meridie, alios à Septentrione, alios disposuit ab Occidente, custodes. Hoc autem factum in figura vtriusque hominis; exterioris scilicet, cujus actiones scrutandæ sunt & examinandæ; & interioris, cujus cogitationibus omnis est adhibenda solicitudo. Est enim homo exterior quasi in atrio, interior quasi in sanctuario. Quia ergo inter homines alij bonas actiones incipiunt, alij charitatis feruore proficiunt, alij post initium boni operis languescũt, alij autem penitus deficiunt; necessarium est, custodiæ diligentiam incipientibus, qui adhuc ab Oriente cubant, adhibere. Hoc idem dico de illis, qui quasi à Meridie proficiunt charitatis feruore. Similiter & de illis, quorum abundante iniquitate charitas refrigescit, & sic per defectum declinant ad Aquilonem: & de illis, quibus jam non lucet sol justitię; quia qui malè agit odit lucem; & sic per casum praui operis labitur ad Occidentem. Dicit ergo Moyses. *Ab Oriente custodient Tabernaculum, Iudas, Zabulon & Issachar.* Et bene, quia vt homo bonum opus custodiat, quod incipit; necesse est, bonum agricolam imitari, qui in spe fructuosę messis laborat: primò ab agro tribulos & spinas euellens, & incœpto labori fortiter incumbens, seminare festinat, quod sibi viderit expedire. Hęc tria debet attendere, qui boni vult operis initiũ custodire. Debet enim mercedis æternæ fructũ attendere: quæ merces figuratur per Issachar, qui merces interpretatur. Debet etiam spinas peccatorum & tribulos vitiorum confessione sarire. Propter hoc Iudas, qui confitens interpretatur, adjungitur. Debet quoque labori suo fortiter incumbere, ne deficiat; & sic Zabulon habitaculum fortitudinis labores inceptos custodiat. Qui verò sunt in ascensu feruoris, reprimendi sunt, ne fortè superbiant, eo quod sibi cæteris meliores appareant. Dicendum est, quia laudanda est nauigantis felicitas; sed cùm venerit ad portum. Laudanda est pugnantis au-

*Quòd Deo dedicati simus.*

*Antiphona ex 2. Mac. 14.*

*Tabernaculum Christus, hercigo, &c.*

*Psalm. 14.*

*Dani. 7.*

*Hebr. 13.*

*2. Corin. 5.*

*Iob. 4.*

*1. Corin. 3.*

*2. Mac. 14.*

*Psalm. 121.*

*Luc. 11.*

*Virgo castellum fuit virtutum.*

*Homo debet bonum agricolam imitari.*

*Et superbia, & desperatio cauenda.*

dacia, sed cùm peruenerit ad triumphum. Non ergo glorietur accinctus æquè vt discinctus: nec lætetur dum navigat, donec ad littus perveniat. Ideo obedire non desinat, nec suum superiorem contemnat. Sed sic de se mediocriter sentiat; vt nec per superbiam elevetur in summis; nec per desperationem deprimatur in imis. Propter hoc Moyses præcepit, vt Meridianam plagam custodirent Ruben, Simeon, & Gad. Ruben videns in medio, Simeon obediens, Gad accinctus interpretatur: ad hoc scilicet vt videat & sciat se esse in mundo, vbi nihil est stabile: vt sciat, se nondum deposuisse cingulum militiæ Christianæ, nec adhuc emancipatum esse obedientiæ seruitute. Quòd si à bono opere quod incœpit, & à feruore suo, cogitauerit declinare; statim incipiat attendere, quàm horrendum sit incidere in manus Dei viventis, Iudicis sapientis, Regis potentis. Timenda est illa extremi judicij diffinitiva sententia, qua dicet ministris. *Ligatis manibus & pedibus, mittite hujusmodi in tenebras exteriores.* Ibi gemet à fletu & stridore dentium, incarceratus & revinctus. Revinctus, quia ligatus pedes & manus, eo quod affectu & opere fuit in vita dissolutus. Propter hoc Moyses ait. *Ab Aquilone erunt Dan, Nephtali & Aser.* Dan judicium, Nephtali revinctus, Aser interpretatur incarceratus: vt ex ipsis nominibus attendat, quid mandatorum Dei contemptores expectent. Si autem per lapsum peccati ceciderit, reprimenda est in eo desperatio. Nam sicut timendum est, ne illi qui sunt in fervore superbiant: ita timendum est, ne isti post lapsum desperent. Cogitet peccator, quantę sit misericordiæ, qui de publicano fecit Apostolū, de blasphemo principem Apostolorum, de persecutore vas electionis. His igitur confortatus exemplis, circa suos actus ita se modificet, vt in illis quæ fecit, sit, vt ita dicam, Manasses, id est obliviosus, sicut ait Apostolus. *Ea quæ retro sunt oblitus, ad anteriora me extendo.* Sit etiam circa ea quæ agit Ephraim, id est frugifer, videlicet vtilis: vt dimissa vanitate det rebus operā, quæ vtilitati conueniant, & per istos labores de filio iræ conuertatur in Benjamin, hoc est, in filium dexteræ, vt sic ab eo qui ovibus statutis à dextris dicturus est, *Venite benedicti Patris mei,* à dextris statui mereatur. Propter hoc satis congruè Moyses ait. *Ab Occidente castra metabuntur Manasses, Ephraim, & Benjamin.* Et hæc quidem secundùm custodiam actionum, & exterioris hominis disciplinam dicta sunt. Nam ad custodiam scientiarum, id est cogitationum interioris hominis, alios custodes Moyses ordinauit, scilicet filios Leui, Caathitas videlicet, Gersonitas & Meraritas. Et bene, quia tales ad custodiam sanctuarij debent ordinari, qui in patientia sua sciant animas suas possidere; qui hic manenté ciuitatem non habent; sed se scientes aduenas, futuram inquirunt. Qui etiam sibi ponunt amaritudines in valle lacrymarum; eo quòd differuntur à regno, & adhuc laborant in exilio. Et hac significatione isti custodes sanctuarij. Caath quippe patiētia, Gerson aduena, Merari amarus, vel amaritudines interpretatur. Disposuit autem eos circa sanctuariū hoc modo. Caathitas diuisit; quia sibi & Aaron fratri suo ab Oriente curam sanctuarij commisit. Cæteros verò Caathitas statuit à Meridie sub manu Eleazar filij Aaron, Gersonitas à Septentrione, Meraritas ab Occidente; & vtrisque præfecit Ithamar filium Aaron. Vnde sciendū est, quòd quatuor modis est in corde prava cogitatio; suggestione quasi conceptione, & quasi ab Oriente: delectatione, quasi jam à Meridiano feruore: deliberatione, quasi ab Aquilone, quia refrigescente charitate jam incipit iniquitas abundare: tandem contemptu, quasi ab Occidente, quia cùm venerit in profundum malorum, contemnit. Propterea timenda est cogitatio in ipso suggestionis ortu; quia arborum prępputia circumcidenda sunt, id est primordia operum amputanda; quia scriptum est, *Principijs obsta.* Et quoniam malarum primordia cogitationum prona parit otiositas, quæ inimica est animæ, ager quippe quem non colit agricola, spinas & tribulos parit, teste Salomone, qui ait. *Transiui per agrum hominis pigri, & per vineam hominis stulti; & totum repleuerant vrticæ.* Ergo custodiant Moyses & Aaron sanctuarium ab Oriente. Moyses diuinæ legis lator fuit, vnde per Moysen lex diuina figuratur, teste Apostolo qui ait. *Quamdiu legitur Moyses,* id est, lex Moysi, *velamen est positum in cordibus eorum;* id est Iudæorum. Igitur solicitudo Moysi studium divinæ lectionis insinuat. Aaron verò, cui incumbebat offerre pro sua & populi ignorantia, executionem mandatorū Dei insinuat. In his duobus, id est in assiduitate lectionis & executione mandatorum, pravæ primordia cogitationis amputantur. Vnde scriptum est in Psalmo. *Misericordia Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum: & justitia illius in filios filiorum his qui seruant testamentum ejus: & memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.* Si vsque ad delectationem ascenderit cogitatio, in patientiæ fortitudine etsi nō possideat animum, cohibeat saltem manum: quia melior est patiens viro forti: nec potest, nisi per patientiæ fortitudinem delectatio cogitationis evelli. Nam postquam ostium circumstantiæ malæ voluntati aperuit, sola fortitudine, nec alia quàm patientiæ, potest evelli: quia soli Caathitæ sanctuarium custodiunt à meridie. Igitur sibi ipsi vim inferat, & inundanti mari dicat. *Huc vsque venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos, nec vltra procedes.* Illam tamen qua innititur, fortitudinem patientiæ, non ad suum, sed illius totum referat adjutoriū, qui ait. *Sine me nihil potestis facere.* Non enim humano, sed solùm diuino potest humana patientia adjutorio, quidquid potest. Nam Caathitæ sunt sub manu Eleazari, id est sub potentia diuini adjutorij. Eleazar quippe Dei mei adjutorium interpretatur. Quòd si vsque ad deliberationem declinauerit, hoc etiam deliberare non omittat, quem finem perpetrata culpa sortiatur. Transit actus, sed manet reatus. Præterit voluptas operis, sed æterna est calamitas afflictionis. Cogitet ergo suæ peregrinationis incolatum: quoniam omnes Gersonitæ, id est aduenæ sumus; nec diu prolongabitur noster incolatus. Sed nos miseri, quid faciemus, aut quid dicemus, cùm nil boni ante summum Iudicem perferemus? Propterea custodiant ab Aquilone sanctuarium Gersonitæ. Et si cogitationes licet paruas contemnit, in profundum malorum occidit: quia nullum peccatū adeò veniale, quod per contemptum fieri non possit mortale: sicut econtrariò nullum adeò mortale, quod per cō-

*Iustitia Dei quando cogitanda.* — *Num. 2.* — *Misericordia Dei attendenda.* — *Philip. 3.* — *Matt. 25.* — *Num. 2.*

*Prava cogitatio quatuor modis est in corde.* — *Prouer. 24.* — *Psalm. 102.* — *Iob 38.* — *Patientiæ fortitudo Deum habet authorē.* — *Ioann. 15.* — *Peccatum veniale, per contemptū fieri potest mortale.*

tritionem non possit fieri veniale. Contemptus quidem pœnam, sed contritio meretur veniam. Quia ergo nec bene conveniũt, nec in vno corde morantur, contemptus & contritio: debent contraria curari contrarijs, contritione contẽptus. Hoc est, quòd ab occidente sanctuarium seruant; id est illi, qui de omni contemptu, non solùm operis, sed cogitationis licet modicæ, mente conteruntur. Prætereundum verò non arbitror, quòd cùm tabernaculum mouebatur, quæ, quibus, & qualiter, ad portandum fuerint onera distributa. Intrabant Moyses & Aaron sancta sanctorum, arcam Domini nudam tangebant, & eam inuolutam operimento hyacinthino & purpureo ad portandum cæteris Caathitis reddebant. Cæterorum verò, quæ mollia erant, custodiendi curam habebant Gersonitæ; cortinas videlicet, & operimenta, & funiculos. Omnia verò dura seruabant Meraritæ; videlicet fuscinulas, lebetes, mortariola, tabulas, & paxillos. Vnde sciendum est, quòd animus humanus per diuersos affectus solet moveri. Vnde motio tabernaculi motionem cordis significat. Movetur autem nunc ad licitos, nunc ad effectus illicitos: sed ad hoc quòd movetur ad effectus illicitos, locum non habet in tabernaculo Dei. Cùm verò movetur ad licitos, vel ad amorem Dei, vel ad amorem proximi, & per hoc etiam ad amorem sui. Quia sicut qui diligit iniquitatem, odit animam suam: ita qui movetur ad charitatem, diligit animam suam. Movetur autem ad dilectionem Dei per studium contẽplativæ, ad amorem proximi per exercitium activæ. Sed qui per studium contemplatiuæ moventur ad amorem Dei, duobus modis moventur: affectu & cognitione, affectu & non cognitione. Nam qui cognitione moventur, & non affectu, locum non habent in sanctuario Dei. Quibus dicturus est Iudex in futuro. *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinã.* Et iterum per alium Prophetam. *Cùm aquam limpidissimam biberetis, cæteram turbabatis pedibus vestris.* Multominùs autem illi ad sanctuarium Dei pertinere noscuntur, qui nec cognitione moventur, nec affectione. Cognitione autem moventur & affectione, qui habent sapientiæ donum, & meritum sanctitatis. Vnde de Aaron dictum est. *Et Aaron sanctum Domini.* Isti merentur habere fidem anagogicam, fidem comprehensivam, & enucleatam. Vnde talibus dictum est in Evangelio. *Vobis datum est, nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Hinc est, quòd legitur, quòd Moyses & Aaron nudam tangebant arcam fœderis; quia opere complebant sacramenta, quæ nudè & apertè intelligebant. Alij autem habent affectione fidem magnam, sed cognitione parvam: quorum fidem tamen approbabat ipse Filius Dei, qui de Centurione dixit. *Non inueni tantam fidem in Israël.* Et mulieri Chananææ, quæ cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa dominorum suorum. *O mulier, magna est fides tua.* Isti ergo sunt simplices in Ecclesia Dei, qui non habent quidem intelligentiæ donum, sed habent sanctitatis & vitæ meritum. Isti portant involutam arcam Domini; quia fide ænigmatica & velata, quod eis injungitur operantur, etsi fortè mysteria non intelligunt. Portant autem involutam hyacinthino & purpureo operimento. Hyacinthino, cùm ea quæ divinitatis sunt, etsi non intelligunt, devotè tamen amplectũtur. Purpureo verò, cùm ad humanitatis mysteriũ, etsi scrutari nequeũt, deuotè tamen afficiuntur. Sic enim boves arãt, & asinæ pascuntur juxta eos. Et isti figurantur in illis Caathitis, qui arcam Domini involutam portabant in humeris. Qui verò moventur ad exercitium activæ, duobus modis moventur; vel ad officium charitatis, vel ad exercitium laboris. Isti sunt duo gradus actiuæ, in illis duabus mulieribus figurati, quarum altera Martha altera Lia vocabatur. Nam in vtraque activa vita figuratur, secundùm vtrũmque gradum. In Martha quidem illi, qui sunt in officio charitatis; in Lia verò illi, qui sunt in exercitio laboris. Illi ergo qui sunt in officio charitatis, mollia tabernaculi portant: quia quidquid charitate impenditur, dulce & quasi molle operanti videtur. Hoc enim opus illorum est, qui nihil Deo carius existimant: qui jugum Domini suaue & molle portant: ibi thesaurizare festinant, vbi nec ærugo nec tinea demolitur, nec fures effodiunt, nec furantur. Ideo omnia quæ mundi sunt parvipendentes, distribuunt & dispergunt & dant pauperibus. Propterea Gersonitarum debet esse istud officium: id est eorum, qui se peregrinos & advenas in mundo cognoscunt; & ob hoc omne transitorium propter æterna despiciunt. Dura verò portant Meraritæ: quia dura sunt, quæ pertinent ad laboris exercitium: quia per laborem corpus affligitur, & propter hoc animus aggravatur. Propterea Meraritarum sunt ista opera, quia sunt omni amaritudine plena. Tamen & ipsi tales in sanctuario Dei locum habent. Leuitæ quippe sunt, quia & beatitudine & assumptione digni. Vnde in atrijs Domini merentur habitare, vt videant sanctum sanctorum, Dominum Dominorum, Regem Regum, Iesum Christum Dominum nostrum.

*Contemptus & contritio cordis non bene conueniunt.*

*Vita actiua in Lia & Martha figurata.*

*Movetur animus ad amorẽ Dei affectu & cognitione.*

*Psalm. 49.*

*Ezech. 43.*

*Psalm. 105.*

*Luc. 8.*

*Mat. 8. & 15*

### *In Dedicatione Ecclesiæ.* SERMO II.

*FLuminis impetus lætificat ciuitatẽ Dei: sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* Non immeritò gaudet, cujus gaudium plenum est, & gaudium suum nemo tollet ab eo. Et ideo gaudere debes; quia gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei; quæ nemo tollet à te: quia in te sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Sãctificauit, non illã, quæ adhuc indiget, sanctitate, juxta illud, *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc:* hac enim sanctificatione, viri sancti per meritum sancti sunt; qui quamvis renovati sunt in justitia & sanctitate veritatis, sentiunt tamen adhuc pulsum diabolicæ suggestionis, infirmitatem carnis; & indigent præmio divinæ promissionis; juxta illud. *Miserere mei, quoniam sanctus sum.* In te verò sanctificatum est tabernaculum altissimi, sanctitate plenã, & perfectã, cœlesti, & perenni. Plenum est ergo hujus sanctæ gaudium ciuitatis, ab impetu fluminum, juxta quod dictum est: *Fluminis impetus lætificat ciuitatẽ Dei:* à fortitudine murorum, à generibus armorum, à vigilantia custodum, à securitate habitantium, à communi lege, à civili jure, à potenti Rege. Ibi siquidem per aquam sudoris, quæ ægrotantium morbos sanat; per aquam lacrymarum, quæ lugentium faciem la-

*Psal. 45.*

*Apocal. 22.*

*Psalm. 85.*

*Sanctitas ciuitatis Dei plena & perfecta.*

*Quas aquas habeat ciuitatis Dei flumen.* vat; per sanguinis effusionem, qui effusus est, tamquam aqua in circuitu ejus, & martyrum stolas decandidat, flumen Dei replerū est aquis. Ibi puteus humilitatis altus: per quem hydria Samaritanæ sterilis impraegnatur. *Ioann. 4.* Ibi per rivulos Elim cū impetu defluentes amaritudo Mara *Exod. 15.* dulcoratur. Ibi aqua sapientiæ salutaris potātibus propinatur. Ibi de puteo latitudinis, fons eminentior charitatis emanat. Similiter à murorum fortitudine debet nihilominus exultare; quia fundamenta ejus in montibus sanctis: & in fundamentis positus est lapis pretiosus angularis: lapis inquam, qui cum bitumine charitatis sustentat lapides superædificatos. Lapides enim superædificari debent: non ligna, non fœnum, non stipula: ne fortè corruant à vento vanitatis, à turbine perturbationis, ab ariete hypocrisis, ab aliquo trementi genere pœnæ gehennalis. *Lapides murorum ciuit. Dei.* Vnde de lapidibus vivis muniri debet fortitudo murorum: ex sardio per humilitatem, ex smaragdo per fidei virorem, ex topazio per sapientiæ claritatem. Clarus enim lapis est, & auro similis: in quo sapientiæ claritas annotatur. His igitur ædificata est civitas Dei: quia de irrefragabili lapide patientiæ, seu perseverantiæ, pro vt sapientia dictat, operatur fortitudo, mensurat temperantia, justitia consummat. Doctores Ecclesiæ in ædificio illo latitudinem cordium in charitate ædificant, altitudinem in spe, profundum in humilitate, tamquam sapientes Architecti. Sequitur de generibus armorum. *Arma ciuitatis Dei.* Ibi enim scutum bonæ voluntatis, lorica fidei, salutis galea, gladius spiritus, quod est verbum Dei. Ibi sagittæ potentis acutæ, in verbo prædicationis; carbones in exemplis, lapis in funda Pastoris; mandibula asini, contra hostes Samsonis; confractio lagenarum, juxta victoriam Gedeonis. In his siquidem armis sancti pugnant & superant; per carnis scilicet mortificationem, quæ designatur in confractione lagenæ: per memoriam Dominicæ passionis, quæ figuratur in mandibula asini: per cogitationem fortitudinis divinæ, quæ figurata est in funda & lapide. Sequitur de vigilantia custodum. Testimonium perhibet eis sponsa: quòd nemini nocte gradienti parcunt. Nam cùm ipsa dilectum suum nocte quæreret, & non inueniret: *Cant. 5.* invenerunt eam custodes murorū, percusserunt, vulneraverunt, tulerúntque pallium ejus. *Custodes ciuit. Dei.* Custodes quidem sunt Prælati, qui verbo prædicationis, animam adhuc in via morum errantem, & per devia hæreticæ pravitatis Deum tamquam in nocte quærentem, percutiunt compunctione, vulnerant charitate, denudant erroris velamine. Vnde habitatores considerantes aquarum abundantiam, murorū fortitudinem, armorum genera, Prælatorum solicitudinem, securitate sua Ecclesiæ gaudium amplificant, & dicunt. *Rom. 8.* *Quis nos separabit à charitate Christi?* Similiter à lege communi gaudere debet Ecclesia Dei: quia quidquid in ea constitutum est, dignum & justum est: siue justificatio sit, siue judicium, siue prohibitio, siue præceptum, siue admonitio sit, siue consilium. Non est ibi pondus & pondus: sed totum æquum est, & perfectum totum. Communem enim legem vocamus, quæ communiter omnibus imposita est: sicut illa qua dicitur. *Exod. 20.* *Non mœchaberis, non occides, non furtum facies.* Nam præter ista, secundùm diuersas Ordinum professiones; diuersæ, quasi jura civilia, sunt observationes. Nam aliæ sunt observationes Cisterciensis Ordinis, *Diuersorū Ordinum diuersæ obseruationes.* aliæ Præmonstratensis, aliæ Cluniacensis: totū tamen justum est, & quasi jus civile civitatis Dei. Sed cùm in his omnibus lætetur Ecclesia Dei; super omnia tamen, & ante omnia, à potenti Rege gaudendum est. *Psalm. 47.* *Magnus enim Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate* ejus. Magnus per dignitatem, laudabilis per sapientiam. Magnus per altitudinem potentiæ; laudabilis in dispositione domus suæ. Quis enim non miretur pretiositatem vestium, varietatem supellectilium, copiam epularum? In domo siquidem Rationali vestiuntur contemplatiui; Superhumerali activi, hyacinthino Doctores, lino Virgines, purpura Martyres, bisso retorta Confessores. *Quibus vestiantur sancti.* Varietas quoque supellectilium: craticula in mortificatione carnis; lebetes ad cineres suscipiendos, in memoria perpetratæ iniquitatis; forcipes in virtute discretionis; crater tornatilis in amore lectionis; fuscinulæ ad ignium receptacula, in illuminatione & ardore mentis. Quāta autem sit copia epularum, testimonium perhibet homo; qui nuptias faciens filio suo, ad *Matt. 22.* tauros, ad altilia, & omnia parata convocat invitatos. Quæ sunt omnia? Illa sine quibus dici cœna non potuit; & in quibus omnia cibi spiritualis fercula concluduntur: medulla scilicet tritici, & sanguis vuæ meracissimus. In spirituali siquidem cibo Dominus taurum paravit in passione: altilia resurgendo, vel in Ascensione: medullam tritici, cùm discipulis panem fregit dicens: *Accipite, hoc est corpus meum.* *Matt. 26.* Simili modo sanguinem vuæ, quando præclarum calicem accipiens, benedixit, deditque discipulis suis dicens: *Accipite & bibite: hic est calix sanguinis mei.* *Luc. 22.* Invitatus ergo taurum comedit, cùm ad imitationē Christi carnem affligit: altilia, quando in peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione & aviditate in illa æterna patria cōversatur: medullam tritici, & vuæ sanguinem, cùm se sacrosancto viatico munit. Tauros ergo comedit per exercitium laboris; altilia verò per altitudinem devotionis: medullam tritici, & vuæ sanguinem, per sacramentum altaris. Ecce fratres, in quantis, & in quibus, Ecclesiæ gaudiū perseverat. Ecce, quæ sunt ea: quæ civitatem Dei lætificant. Sequitur. *Psalm. 45.* *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* Si per tabernaculum, vterum virginis, vel corpus Christi, vel finaliter animam cujuslibet viri, velis intelligere: *Tabernaculum multa potest significare.* satis apertè videbitur, quomodo gaudiū illud, quod plenum planè monstratum est, nemo tollet à civitate Dei. Quis enim tollere potest ab ea gaudium sanctificationis ejus: quod cum tali præparatione, operatione, confirmatione, factum est? Quia arcanum est, quod dicitur: *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* Nam pro arcanis filijs Chore, id est vobis fratres, qui filij estis Calvariæ: id est illius, qui crucifixus est in Golgotha; quod est Calvariæ locus, Psalmus inscribitur in re sacramenti: hoc est in tabernaculo manu facto, & hujus creationis sanctificatione. Videamus quantum gaudium in illorum sit tabernaculorum sanctitate, hoc est in sacramento rei. Sanctificatio quippe in dedicationis sacramento figuratur: & cùm sanctificatio ejus in quinque terminetur; in aspersione, vnctione, *In Dedicatione est aspersio, vnctio, &c.* illuminatione, benedictione, inscriptione: scire debemus, quòd primum, id est aspersio, ad præ-

paratiοnem sanctitatis apponitur: tria, id est vnctio, illuminatio, benedictio ad operationẽ: quintum autem, id est inscriptio ad confirmationem. In quibus satis datur intelligi, quia nemo fieri potest templum Domini sanctum, & sanctificatum tabernaculum altissimi; nisi priùs aspergatur aqua, vino, sale, cinere, & hysopo. In Dedicatione namque Ecclesiæ, primò Pontifex aquã benedicit, sal admiscens, deinde Ecclesiam ter gyrando extrinsecùs aspergit, intrinsecùs verò duodecim luminaria interim accenduntur. Circuiens autem Episcopus Ecclesiam, portas, quas propter sacramenti figuram, clausas oportet, virga pastorali percutit in superliminari dicens. *Tollite portas*, &c. Cui ab intus respondet diaconus dicens. *Quis est iste Rex gloriæ?* Et Pontifex: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*. Tertiò autem, ostio reserato, intrat Episcopus dicens, *Pax huic domui*, & prosternitur ad orationem: à qua consurgens, hortatur cunctos ad orandum, sine *Dominus vobiscum*. Postea verò Græcum alphabetum scribit in pavimento, à sinistra parte Ecclesiæ incipiẽs ab oriente; & procedens ad dexteram, quæ est in occidente. Postea Latinum alphabetum, incipiens à dextera parte Ecclesiæ, quæ est ab oriente; & procedens vsque ad sinistram quæ est ab occidente. Post hæc in medio Ecclesiæ veniens incipit, *Deus in adjutorium*, &c. Et hoc tertiò, complens versum cum *Gloria* sine *Alleluia*. Tunc aquam typicam benedicit, admiscẽs sal & cinerem. Quæ postquam mixta fuerint, additur cum eis vinum. Post hæc digitum tingit aqua, crucem faciens per altaris medium, & per quatuor cornua. Post hæc altare ipsum circuit septies, aquam spargẽs aspersorio facto de hyssopo: & postea ter Ecclesiam, Clericis cantantibus Antiphonas ordinatas. Tunc Pontifex oratione præmissa, altare linteo abstergit, post hæc thurificat cum incenso: postea crucem facit in medio altaris: & per quatuor cornua de oleo sanctificato, & istud facit bis. Nam tertiò facit hoc idem de chrismate. Deinde duodecim cruces chrismantur in parietibus: & tandẽ igne accenso de thure, medium altaris, & quatuor cornua accenduntur: & sic altare albis velaminibus operitur. Et quoniam hæc omnia multa indigent expositione: aliqua tamen breviter de ijs omnibus exponamus. Domus dedicanda, est anima sanctificanda: aqua, pœnitentia purgans à sorde peccatorum: sal, ratio mentem condiẽs insipidam: duodecim luminaria, doctrina Apostolorũ, mundum illuminans: Pontifex, Christus; virga, potestas: trina superliminaris percussio, cœli, terræ, & inferni dominatio: interrogatio inclusi, ignorãtia populi. Apertio ostij, sublatio peccati. Domum ingressus Pontifex pacem precatur; & Christus salutem animæ ad nos veniens est operatus. Descriptio alphabeti, simplex doctrina fidei. Quòd vtrúmque alphabetum in modum crucis inscribitur; illud est, quod vterque populus per Christi passionem munitur. Tunc Ecclesia aspergitur. Aqua confessionem, sal mordacem pœnitentiã, cinis mortalitatis memoriam, vinum devotionem, hyssopus, humilitatem significat. His omnibus aspergitur Ecclesia & altare; quia his mundatur corpus & anima. Dehinc altare linteo extergitur. Altare Christus est, super quem munera devotionis offerimus: linteum caro ejus, quę tunsionibus passionum ad candorem incorruptionis est perducta. Incensum orationem, oleum gratiam Spiritus sancti significat. Altare bis hoc oleo inungitur, quia plenus Spiritu sancto Deus & homo creditur. Vel si altare designat animã, altare bis inungitur: quia ad remissionem tam peccati, quàm delicti, gratia Spiritus sancti infunditur. Tandem chrisma supponitur: quia post mundificationem, id robur & perfectionẽ spiritus datur. Duodecim fiunt cruces de chrismate, quia per doctrinam Apostolicam gaudet Ecclesia hac perfectione. Velamen candidum, quo post consecrationem altare cooperitur, incorruptionis gloriam designat: qua, mortalitate consumpta, humanitas post passionem est induta. Vnde scriptum est. *Concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.* Non ergo potestis sanctificatum Dei tabernaculum fieri; nisi prius sapientiæ sale vos condiatis: aqua munditiæ lavetis: vinum compunctionis potetis: pœnitentiæ cinere caput aspergatis. Nisi etiam veritatis cognitio mentem illuminet; vngat oleũ charitatis: perseverantia constans inscribat: vt tandem divina remuneratio benedicat: per Dominum nostrum Iesum Christum.

*Ritus dedicationis Ecclesiæ.* — *Psalm. 23.* — *Expositio mystica rituum dedicationis.* — *Altare Christũ significat, item animam.* — *Psalm. 29.*

## SERMO. *In Festo S. Benedicti.*

TERRA *super quam induxero gladiũ, si populus ejus vnum de nouissimis elegerit; & ille viderit gladium venientem, & insonuerit buccina, & annuntiauerit; & aliquis audiens non se obseruauerit, sanguis ejus super caput ejus erit. Sonum buccinæ audiuit, & non se obseruauit.* Iudicia Domini vera, justificata in semetipsa; & testimonia ejus credibilia facta nimis eo jure concutiunt aures audientium, quo nec falluntur, nec fallunt. Si enim cogitamus, terra es, & in terrã ibis; si formidamus, in viro secundùm cor Dei, *anima mea sicut terra sine aqua tibi*; nobis & de nobis designanter intelligimus dictum, *Terra, super quam induxero gladium*. Inductus est contra nos gladius, quia terra sumus. Vnde interfecta est terra in sanguinibus, quibus vsq; hodie manet infecta. Propter quod Psalmista clamat. *Libera me de sanguinibus, Deus.* Ergo non quia humus, non quia tellus, non quia solum; sed quia terra sumus, gladium inductum sustinemus. Quatuor dixi vocabula idem significantia: sed non eadem de causa, vel simili ratione. Nam humus ab humore dicitur; & tunc verè humus fuit, quando in primordiali materia permixta pariter & confusa circumvoluebatur humentib⁹ aquis. Terra verò tunc verè fuit, quando aquis divisis ab aquis, arida apparuit, & teri potuit, & cæteris fuit deformior elemẽtis. Vnde propter ejus deformitatem terra terribilis vocata est. Tellus autem fuit, cùm labores hominum tolerare potuit, vel incepit, sicut scriptum est. *Cùm operatus fueris terram, non dabit fructus suos; sed spinas & tribulos germinabit tibi.* Solum autem dicitur; quia solidum stat. Cæteris enim tribus elementis mobilibus, istud solidum perseverat & palpabile. Vnde scriptũ est. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in sæculum sæculi.* Homo igitur qui de limo terræ formatus est, quasi materiatũ de materia, ex diuersis istis vocabulis diuersas significationes, secundùm diversos vitæ status

*Ezech. 33.* — *Psalm. 58.* — *Non humus, tellus, aut solum, sed terra sumus.* — *Genes. 3.* — *Psal. 103.*

*Homo quando fuerit humus.* sortitus est. Humus enim tunc verè fuit, vnde & homo dici meruit, quando spirituali humore concretus, tanquam cælestis sapientiæ lutū in prima sui conditione ad imaginem & similitudinem Dei factus est, & in animam viventē. Nam sicut in prima rerum conditione humor sine calore dominabatur in humo, vt non tam vivificata quàm vegetata, cùm omnia à calore pariter & humore viuificentur, vt aliquem defectum sustineret à defectu caloris, & aliquam perfectionem haberet ex abundantia humoris: ita in prima sui conditione homo & aliquem defectum habuit, quo poterat mori; & aliquā perfectionem, qua poterat non mori. Aliquam perfectionem habebat, qua stare poterat: sed & aliquem defectum, quia gratiam qua proficere posset, non habebat, sustinebat. Factus est enim mortalis & immortalis: sed mortalis, quia potuit mori: immortalis autem, quia potuit nō mori. Potuit mori, quia potuit peccare, stimulus enim mortis peccatum est: potuit non mori quia potuit non peccare: quod ei datum erat ex libero arbitrio, quod est ad malum & ad bonum libera voluntas. Et quia potuit non peccare, & tamen peccauit, cælestis humoris infusione privatus, terra quasi teri digna dici potuit. Et arida apparuit, quia anima sicut terra sine aqua Deo fuit. Et quia à forma deformante deformata fuit, deformis & terribilis valde apparuit; quia cùm in honore esset, non intellexit; comparata est jumentis insipientibus, & similis facta est illis. Vnde non solùm mortalis, sed & mortua dici meruit, juxta quod Apostolus ait. *Corpus quidem mortuum est, propter peccatum.* Et Psalmista. *Interfecta est terra in sanguinibus.* Habet enim necessitatem moriendi, quia habuit voluntatem peccandi. Qui etiam modò & si non habet necessitatem peccandi, habet tamen necessitatem peccati. Peccato siquidem Adæ tam necessario quàm voluntario pollutus, sed ipsi voluntario, nobis autem necessario; nec ita necessario, quasi sit homini necessarium, id est vtile, peccare; sed necessarium, id est inevitabile. Vnde mori potest, & non mori non potest; quia post casum per gratiam adjuvantem in plenitudine temporis ad hoc reparata fuit, vt per passionū tolerantiam & laborum, posset ad humores radices ponere; & sub ligno vita fieret lignum vitæ; quia sublato gladio versatili pœna videlicet temporali, comedere mereretur lignum vitæ. Sic igitur immortalitatis damnū resarciret per laborem, non solùm vt posset nō mori, sed vt non posset mori. Interim autem mediante laboris tempore mori posset, quia peccare posset per infirmitatē & vitæ desidiā: & itē non mori, quia posset non peccare, propter originalem concupiscentiam debilitatam in baptismo, & gratiam adjuvantem; qua ille solus Pontifex cum sanguine suo semel intrans in sancta sanctorū, in se solo solum hominem salvum fecit. Solum dico, à soliditate, quia solidū, vt mortale indueret immortalitatem, & incorruptibile nostrum indueret incorruptelam: ita vt datum sit nobis posse non mori, & non posse mori: non amoto tamen libero arbitrio, sed liberiore facto; quia de voluntate & adjuvante gratia fiet, vt possimus non peccare, & non possimus peccare. Non igitur secundùm primū statum hominis, vel secundùm tertium, vel secundùm quartum, sed juxta secundùm, quo terra designatur, dici potuit, quod dictum est. *Terra super quam induxero gladium*, &c. Nam sicut dictum est, primus hominis status fuit ante lapsum, post conditionem: secundus autem, post lapsum, ante reparationem: tertius post reparationem, sed ante confirmationem: quartus post confirmationem; quando terra nostra nec infecta erit, nec interfecta; sed solida potiùs & perfecta. Dixit ergo. *Terra super quam induxero gladium.* Induxero, dixit, non eduxero. Nunc enim tempus est vibrandi, tempus inducendi, sed nondum tempus educendi. Vibrat enim vt terreat, sicut scriptum est. *Gladium suum vibrabit.* Inducit, vt intus cor pungat; educit, vt aperte percutiat. Quod tunc fiet, quādo framea ejus suscitabitur adversus eos qui oderunt eum. Inducit ergo, vt pungat cordis affectus, & afficiat ad ea quæ recta sunt. Pungendo enim afficit, & afficiendo pungit. Habet igitur gladium pungitivum spei, de quo scriptum est. *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Et alibi. *Vivus est sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Quòd autem sit spei pungitivus, ostenditur, cùm dicitur. *Quæcúmque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Habet & gladium rationis humani gaudij pungitivum; qui gladius dicitur Salomonis; quo puer, qui dividendus dicebatur, vivus redditur matri suæ. Habet & gladium pungitivum doloris, quo pœna temporalis & tolerantia passionum designantur; sine cujus punctione non possumus redire ad lignum vitæ. Habet & gladium pungitivū timoris; quo Dominus interficiet omnes peccatores terræ, sicut scriptum est. *Et gladius meus devorabit carnes*, hoc est, carnales. Si igitur vel timore vel amore, spe vel desiderio, vel dolore compunctus homo gladio verbi Dei, gladio rationis, gladio pœnæ temporalis, vel extremæ vltionis, elegerit virum vnum de novissimis suis spectatorem, sicut factum est; quia virum vnum hodie elegistis, qui verè vir vnus fuit, sed non vir vnum. Ille enim verè vir vnus est, & vir vnum, qui solus fuit & est, id quod est. Ille autem solus est, id quod est, qui idipsum est, qui non ex partibus constat, quia corpus non est; neque ex cōpositis, quia simplex est: neque ex obscuris, quia lux est: neque ex disparibus, quia spiritus est. Homo tamen vnus est, cujus vultus in diversa non mutatur: sed ad illud vnum necessariò properās, vnam fidem, vnum baptisma confitetur. Nam sicut multi homines vnius faciei dicuntur secundùm exteriorem hominem, ita & secundùm interiorem affectum; de quibus scriptum est, *Erat eis cor vnum & anima vna in Dominō*; ita etiam vnus homo multarum facierum dici potest, cujus vult[9] in diversa mutatur. Ille igitur vir vnus erat, qui vnus in Christo, & Christus in eo vnus erat. Sed quod dictum est, *De novissimis*, non vilescat in animo; eo quòd nomen opprobrij esse soleat, sicut scriptum est. *Putavimus eum novissimum virorum.* Sed ideo novissimum: quia ad agni nuptias invitatus, locū decreuit tenere novissimum, vt audire mereretur, *Amice ascende superiùs*: timens & intelligens, quia erunt novissimi primi, & primi novissimi: quia super humilem & quietū requiescit spiritus Domini. Hunc ergo novissimum elegistis. Nam etsi aliquam necessitatem, vobis

*Potuit homo non peccare, & non mori.*

*Rom. 8.*
*Psalm. 105.*

*Quatuor status hominis.*

*Ezech. 33.*
*Psalm. 7.*
*Ephes. 6.*
*Hebr. 4.*
*Rom. 15.*
*Multiplex gladius pungens animā.*
*Deuter. 32.*
*Actor. 4.*
*Quis vir vnus dicendus.*
*Isai. 53.*
*Luc. 14.*

imposuistis; tamen voluntate, non necessitate, Regulæ necessitatibus estis addicti. Sponte siquidem in rete Petri, & in compede Benedicti pedem injecistis. Et bene, quia vbi est necessitas non est libertas: & vbi non est libertas, non est voluntas. Vbi autem non est voluntas, non est meritū. Sola enim voluntas meretur, sicut dicit authoritas: sed pœnam, si mala; præmium, si bona. Vt igitur gaudeat homo necessaria libertate; necesse est, vt vtatur in facto libera necessitate; vt per ipsam liberetur à peccato, habendo necessitatem patiendi, vt sit voluntas libera justitiæ, & à peccato liberata. Hac igitur de causa elegistis speculatorem. Speculatorem dico à speculo, non à specula. Quid enim Sanctus Benedictus, nisi quoddam speculum fuit? Quia ex ejus obedientia convincitur noster contemptus; ex ejus humilitate nostra superbia; ex ejus mundissima religione nostrę religionis defect⁹. De talibus enim hujus sanctæ siccatæ animæ speculis factus est nobis luter munditiæ. De speculis enim debet luter fieri; vt exemplis Sanctorum primò peccata cognoscantur, pòst verò, cognita per contritionem cordis & oris confessionem, per condignam satisfactionem & emũdationem laventur. Et quid aliud dat intelligere, nisi hoc vitæ speculum & exemplar, quod nobis in monte Religionis monstratum est ad exemplum? Vel speculator à specula dici potest, qui pro nobis speculam contemplationis ascendit, de qua scriptum est. *Statue tibi mensam, & contemplare in specula:* vel circumspectionis; de qua Ieremias; *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines:* vel certè Prælationis, de qua Ezechiel, *Speculatorem dedi te domui Israël.* Hic est, cujus memoria in benedictione est, speculator nobis factus, ascendens speculam contemplationis, in ijs quæ ad sapientiam pertinẽt; circumspectionis, in ijs quæ ad scientiam; prælationis, quoad domesticam ejus Ecclesiam. Vidit igitur, id est intellexit per viam veritatis, venientem gladium verbi Dei: per viam justificationum gladium rationis; per viam arduam gladium doloris; per viam justitiæ & rigoris gladium timoris; & insonuit buccina. Et vtinam insonuerit, id est intus sonuerit; vt sic sonus corporis aures foris percutiat, vt interiores tãgat. Insonuit enim buccina, & non tuba; quia sonum dedit existentibus in Gabaa, non in Rama. Buccina enim cecinit Benedictus, (sed tuba Basilius,) qui quasi buccinam Regulam vocat, vbi ait. *Regulam hanc descripsimus.* In qua non omnem justitiam scriptam esse asserit: sed vt aliquod initium conversationis se habere demonstrent. Cæterùm, sicut idem ipse ait, *Quicúmque ad culmen perfectionis vult attingere, sunt doctrina sanctorum Patrum, necnon & Regula sancti Patris nostri Basilij.* Ecce buccina nobis adhuc existentibus in Gabaa; quia Gabaa collis interpretatur. Quòd à malitia mundi declinare nolumus, virtutum tunc celsitudinem non attingimus. Basilius autem existentibus in Rama majoris tuba perfectionis insonuit. Rama quippe excelsa interpretatur. Et quoniam perfectionis vitæ celsitudo descripta est in illa Regula; tuba sua insonuit in Rama. Quicúmque ergo vocem buccinæ audiuit, Regulæ jugo collum subdidit: sed si secundùm formam institutionis non se observaverit; sanguis prȩvaricationis super ipsum erit; vt sit ei Regula causa perditionis, quæ debuit causa esse salutis. Nam sicut obedientibus facta est Regula norma justitiæ, ita inobedientibus fit laqueus & muscipula pœnæ. Audiamus igitur sonum buccinæ, nec tamquam aspides surdæ obturemus aures nostras; sed omni custodia servemus nosmetipsos; ne nobis sit ad mortem, quod datum est ad vitam: ne nobis sit venenum, quod datum est antidotum: ne nobis sit ad laborem, quod datum est ad requiem. Sed secundùm Regulę formam mutemus nos in viros alteros, fugientes de culpa ad cordis contritionem, de cordis contritione ad confessionem, de confessione ad pœnitentiam, de pœnitentia ad veniam, de venia ad gratiam. Hæc est via, per quam Sanctus Benedictus & ascendit, & ascensionis exempla præbuit; ipso Domino nostro Iesu Christo ducente, qui vivit & regnat cum Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sȩcula sæculorum.

*S. Benedictus speculum fuit.*

*Isai. 21.*

*Ierem. 31.*

*Ezech. 3.*

*S. Bened. c. vltimo Regulæ.*

*Ibidem.*

*S. Benedictus buccina cecinit, Sanctus Basilius tuba.*

*Regula inobedientibus est laqueus.*

## *Sermo.* De Arca Spiritvali.

*Quia verba Thematis hujus, sunt Philisthæorum hac occasione Author mox ab initio de ijs, qui prædicant, vel præsunt, & malè vivunt, disserit.*

Facite *Plaustrum novum, & jungite duas vaccas fœtas, quibus non est impositum jugum; & superponite Arcam Dei.* Fidelis sermo propositus, & omni esset acceptione dignus, si merita loquentis verbis vtilibus responderent. Sed enervare solet non modicùm vim verborum vita loquentis. Gregorius enim dicit. *Cujus vita despicitur, restat, vt & prædicatio contemnatur.* Hinc Apostolus ait. *Castigo,* &c. Vnde Dominus tales in Evangelio redarguit dicens. *Hypocrita, ejice primò trabem de oculo tuo,* &c. Sed si ita est, quid est, quod alibi idem Apostolus ait, *Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, & gaudeo, & gaudebo?* Cùm enim in Ecclesia Dei alius sit pastor, alius mercenarius, alius fur, alius raptor; numquid sicut ad prȩdicationem pastoris gaudet Apostolus, ita etiam ad prædicationam mercenarij, furis, raptorisque gaudebit? Pastor quippe est, qui veritatem loquitur propter veritatem. Mercenarius est, qui propter lucrum temporale, non propter ipsam. Fur autem propter occasionem falsitatis aquas furtivas proponit, & panes absconditos. Non enim venit fur, nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Labijs quippe dolosis seducere solent audiẽtes. Raptor verò labijs iniquis manifestè sævit in oves. *Domine,* ait Propheta, *libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa.* Quid igitur ad talium prædicationem gaudebit Apostolus? Notandum, quòd reproborum alij sunt contemptibiles vita, & non fama; alij fama, & non vita: pessimi autem qui fama pariter & vita; sicut optimi, qui nec fama, nec vita. Qui verò sunt infames fama, vel propter privatum peccatum, vel propter publicum. Publicum tribus modis accipimus. Dicitur enim publicum, quasi populicum, quod à quovis de populo potest accusari, vt crimen læsæ majestatis, vel hæreseos, vel simoniæ. Vel dicitur publicũ manifestum & notorium: non enim idem est manifestum & notorium. Omne quippe notorium manifestum; sed non convertitur: quia potest esse manifestum Iudici, & non alijs: vel

*1. Reg. 6.*

*Greg. ho. 12. in Evang.*

*1. Cor. 9.*

*Luc. 6.*

*Philip. 1.*

*Pastoris, mercenarij, furis, &c. differentia.*

*Psalm. 119.*

alij, & non Iudici. Notorium est enim illud, quod Iudici patet, & alijs. Difficile tamen est invenire, quid sit notorium. Nam Sodomorum peccata Sodomitis erant manifesta: tamen descendit Dominus, vt fierent notiora. Propter peccatum verò publicum siue notorium, potest esse contemptibilis, non propter manifestum: quia peccatum etsi sit manifestum Iudici, & nō alijs, vel certè Iudici & non Iudici, non ideo meretur peccator damnari: donec verum esse quod dicitur, per legitimos testes comprobetur. Privatum verò peccatum est, quod privatæ personæ testificari possunt, vel accusare. Vel dicitur privatum, id est occultum, quod à nullo scitur, vel ab vno: quia quamvis ab vno sciatur, non ideo tamen minùs occultum est; quia vox vnius, vox nullius. Privatum igitur peccatum neminem damnat; donec per hoc quo convincitur, vel sponte confitetur, quasi Ethnicus & publicanus efficiatur, sicut Dominus in Evangelio ait. *Si peccaverit in te frater tuus*, id est si peccaverit, te sciente, *corripe eum inter te, & ipsum solum*. Quòd si fuerit inficiatus, etiamsi tibi manifestum fuerit, desiste ab accusatione ejus, quia liberasti animam tuam, videns sagittam, quæ percussit eum, nec se observavit, cùm annuntiasses ei. Quod si confessus fuerit, non tamen se observaverit, tunc adhibe duos testes, & si coram illis inficiatus fuerit, quod secretò coram te confessus fuerat, iterum desiste, quia liberasti animam tuam. In hoc tamen tibi cavere debes, ne nota deprehendi possit in nutu, vel in verbis tuis; quòd secretò tibi cōfessus fuerit: sed quasi penitus ignorans, ita dices. Frater, hæc & hęc de te dicūtur; vide ne feceris. Quòd si coram duobus testibus confessus fuerit, nec tamen se correxerit, ora Dominum, vt infundat ei cor pœnitens, quo collum excutiat à jugo diabolicæ seruitutis. Quòd si nec sic se correxerit, devita illum, tamquam Ethnicum & Publicanum; quia jam te de veritate arguere non poterit, quem per testes idoneos devincere potuisses. Qui autem vita sunt contemptibiles, fide vel moribus sunt infames. Qui autem moribus; vel propter subitam tentationem & occultam: vel propter subitam & manifestam, vel propter diu deliberatam & occultam; vel propter diu deliberatam & manifestam, sicut corrupti moribus & diffamati. Vnde Psalmista. *Non timebis à timore nocturno*: ecce subita & occulta tentatio: *à sagitta volante per diem*, ecce subita & manifesta: *à negotio per ambulante in tenebris*, ecce diu deliberata & occulta: *à demonio meridiano*, ecce diu deliberata & manifesta. Propter diu deliberatam & manifestam tentationem, qui corrupti sunt moribus, contemptibiles sunt apud Deum. Qui verò laborant in fide; aut in Ecclesia sunt, aut extra Ecclesiam: quia quamvis membra putrida, non tamen à corpore Ecclesiæ sunt separata. Qui igitur in Ecclesia fide corrupti sunt, tribus de causis adulterant verbum Dei: simplicitate, infirmitate, malitia. Simplicitas tamen alia nascitur ex ignorantia vincibili, alia ex invincibili. Ignorantia vincibilis est, quando aliquis potest scire, & non vult; de qua dicitur. *Ignorans ignorabitur*. De secūda dicit Apostol[9]. *Misericordiā consecutus sum, quia ignorans feci*. Prima pœnā, secunda veniam promeretur. Infirmitas verò quandoq; nascitur ex cupiditate,

*Genes. 18.*

*Noua notio peccati priuati.*

*Matt. 18.*

*Ordo correctionis fraternæ.*

*Psalm. 90.*

*Quid sit ignorantia vincibilis.*

*1. Cori. 14.*

*1. Timot. 1.*

quandoq; ex timore. Nam quia homines vultū timent potentium, vel ambiunt diuitias aut honores, parcere solent potentibus, & lingere eorum vulnera, quæ ferro deberent correctionis resecare. Inde fiunt calūniatores, præuaricatores, tergiuersatores. Calumniator est, qui falsū intendit: præuaricator, qui verum abscondit; tergiuersator, qui à veritate incepta lassescit & desistit. Qui igitur ex simplicitate, quæ nascitur ex ignorātia inuincibili, vel ex infirmitate, peccant; admonendi sunt, & corripiendi: quia non debemus eos timere, qui occidunt corpus, & postea nihil habent, quod faciant: sed potiùs illum, qui cùm corpus occiderit, potest animā perdere in gehennam. Qui verò ex simplicitate, quę nascitur ex ignorantia vincibili, vel ex malitia, peccant, meritò sunt apud Deum & homines contēnendi. Qui verò extra Ecclesiam sunt infideles: aut in Ecclesia numquam fuerunt, aut ab Ecclesia præcisi sunt. Præcisi autem, vel seipsos præciderunt, vel per diffinitiuā sententiā à Iudice sunt præcisi. Qui autem à Iudice præcisi sunt, vel per excommunicationem, vel per depositionem, vel per degradationē, sunt præcisi. Qui ergo seipsos præciderunt, vel per depositionem, vel per degradationem: contemptibiles, & condemnandi sunt. Qui verò per excommunicationem, sustinendi & expectandi sunt. Qui verò in Ecclesia numquam fuerunt, si quid in scripturis suis veritatis miscuerunt, non omnino contemnendi sunt, quia per ignorantiā peccauerunt. Canales enim sunt horti Dominici, scopa furni, mansio stercoraria arcæ, corvi Eliæ, sacerdos alios veritate mundans, & ipse in sordibus remanens vsque ad vesperam. Plerúmque siquidem, sicut turtur & hirundo, sic milvus & ciconia, cognouerunt aduentum, nō dico sui, sed Christi. Turturem dico Simeonem, illum scilicet gemebundum, qui dicebat. *Putas durabo? Putas videbo?* &c. Hic enim est, qui dixit, *Nunc dimittis, Domine, seruum tuum in pace: quia viderūnt oculi mei, salutare tuum*. Hirundini verò Ioannem Baptistā non immeritò comparamus: quia collum ejus martyrium rubricauit, ventrem candidauit virginitas, dorsū autē onus pœnitentiæ denigrauit: qui solo corpore in hac peregrinatione constitutus, de cœlesti patria spirituali cibo pascebatur. Hic igitur ad baptisma Christum venientem videns, dixit. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*. Milvus verò quia rapax est, rapacis Balaam non immeritò typū tenet: qui promissionibus Balaac prouocatus, mutabat altaria, vt inde prospiceret, qua parte malediceret populo Dei. Hujus tamē Dominus os aperuit, quando dixit. *Orietur stella ex Iacob*, &c. Ciconiam verò, quæ de venenosis animalibus viuit, Sibyllam veneficam & incantatricem dicimus Erithræam; cujus tamē tale testimonium de Christo ponit Augustinus dicens. *In manus Infidelium veniet; dabunt Deo alapas manibus incestis, & colaphos accipiens tacebit. Dabit ad verbera dorsum suum; fel ad cibum, & acetum in sitim dederunt: hanc inhospitalitatis mensam ministrauerunt*, &c. Quia igitur Spiritus vbi vult spirat, non est attendendum, quis loquatur, sed quid: quia Amalechites in itinere fessus, sumpto cibo factus est dux exercitus Dauid: quia multoties terrā lingentes, id est terrā amantes, & temporalibus satiati, quasi in itinere fessi, sumpto spirituali cibo fiunt ductores &

*Qui sint ab Ecclesia præcisi.*

*Infideles, qui vera quadā scripserunt, quibus comparentur.*

*August. in Serm. de Purific.*

*Luc. 2.*


*Ioann. 1.*

*Num. 23.*

*August. 18. Ciuit. c. 23. Sibylla de Christo prophetia.*

*Qui bene prædicant, & malè viuūt, quibus similes.* doctores exercitus veri David. Tales sunt isti, de quibus sermonem proposuimus à principio, qui typum eorum gerunt in Ecclesia, qui bene prædicant, malè vivunt. Vnde bene Philisthæi, id est potione cadentes, dicuntur. Et quid est verbum Dei, nisi quædam potio contra venenū diaboli? Hac tamen potione cadunt, qui bene prædicant, malè vivunt. Audituri quippe sunt illud Psalmistæ. *Psalm. 49.* *Quare tu enarras justitias meas? Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos post te.* Et tandem in fine, *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Quia ergo bonū quod fit, non est ei bonum, à quo fit, sed ei cui fit; audiamus diligenter, quod dictū est. *1. Reg. 6.* *Facite plaustrum novum*, &c. Novum dicitur ad differentiā plaustri veteris, id est antiqui, quod inter quatuor rotas ab initio mundi cœpit volvi: quarū prima est volubilitas temporis, secunda mutabilitas ætatis, tertia vicissitudo affectuū, quarta instabilitas euentuū. *Veteris plaustri 4. rota, quæ.* Nihil enim in mundo stabile; quia De⁹, *manens stabilis, dat cuncta moueri.* *Boet: de Consol.* Oritur enim, *sol & occidit, & gyrat per meridiē & flectitur ad aquilonem; & iterum ad locum suū reuertitur.* *Eccle. 1.* Ecce rota temporis. Rota verò ętatis, quòd homo à terra incipit, & ad terrā redit: ab infantia incipit, & ad infantiā redit: à fletu inchoatur vita ejus, & in fletu terminatur. Eventus autem mundi ita sunt instabiles, vt semper aduersa ꝓsperis, & prospera succedāt aduersis. Affectus quoque ita sunt instabiles, vt amor sēper odio, & odium succedat amori. Inter istas quatuor rotas vita humana tamquam plaustrū oneratur, nunc fœno, nunc cœno. Omnis enim caro fœnum, cujus onus inter quatuor rotas volvi non cessat, dum viuitur. Peccatum verò cœno comparamus: quia sicut cœnum putredine sua parit vermes, & ex sua desiccatione fumeū calorē emittit, ita & peccatum. *Peccatū cœno comparatur.* Isaïas enim dicit. *Isai. 66.* *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Vnde de talibus in Euangelio. *Matt. 13. 22. & 24.* *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Ex fumo fletus, dētium stridor ex morsu vermiū. O miseri, qui de tali cœno vitæ suæ plaustrum statuunt onerare. Ad differentiā igitur hujus plaustri, dicitur novum, illud videlicet, quod inter quatuor rotas Ezechielis volvitur: prima circa humanitatem Christi, secunda circa passionem, tertia circa resurrectionem, quarta circa ascensionē. *Plaustrum novum.* Has rotas quatuor animalia volvere non cessauerunt. Vnde scriptum est. *Ezech. 1.* *Quocúmque ibant animalia, ibant pariter & rota juxta ea.* Vnde ex officio nomina sortita sunt. Primū enim in signum humanitatis habebat faciem hominis; secundū in signum passionis habebat faciem vituli; tertiū in signum resurrectionis faciem leonis; quartū in signum ascensionis faciem aquilæ volantis. Sequitur. *Et jungite duas vaccas.* Sacramentum tantæ rei nobis aperiunt natura & vtilitas. Natura, quia vacca ruminat, & findit vngulas. Vtilitas, quæ quadruplex inuenitur. Pelle siquidē sua munit pedes hominū, carne pascit dominum, lacte nutrit puerū, fumo impinguat agrū. *Amos 4.* Audite hæc, vaccæ pingues, quæ habitatis in monte Samariæ, quæ abjicitis suaue jugū, quæ dedicistis diligere trituram, non agriculturam: vaccæ lasciuientes, non mugientes; quæ nec affectu ruminatis, nec effectu vtiles estis. Attendite, qualiter ornatur affectus, qualiter proficit effectus. Ruminate, cogitando verbum Dei: discernite quod ruminatū est, ne quid admisceatur falsitatis. Ornate animas vestras affectibus: sed & effectibus corpora vestra. Si enim pauperes Christi, quasi pedes, munitis exterioribus vestris, quasi pellibus: si per carnis maceratione voluntatem Dei facitis, quod est pascere Christum: si lacte doctrinæ vestræ reficitis subditū: si tandem fimo impinguatis agrum Dominicū: *Duæ vaccæ plaustro novo trahendo junctæ.* duas vaccas, id est animam & corpus, jungitis ad plaustrum novum. Sic enim caro spiritui, & spiritus jungitur carni. *Jungite duas vaccas, quibus non est impositum jugum.* *1. Reg. 6.* Non dicit, *omne jugum*, indefinitè enim loquitur, sed aliquod jugum dicit; & bene. Est enim jugum naturæ, de quo legitur. *Graue jugum super filios Adam.* Et est jugū disciplinæ: vnde. *Multiplex jugum.* *Jugum meum suaue est.* Et præmisit dicens. *Matt. 11.* *Discite à me.* Et est jugum culpæ; vnde. *Computrescet jugum à facie olei*, id est deficiet peccatum à facie præsentiæ Spiritus sancti. *Eccli. 40.* Et est jugum pœnæ: vnde Isaïas. *Isai. 10.* *Jugum enim oneris ejus*, &c. Iugum oneris, id est captiuitatem æternę pœnę, deuicisti. Quia ergo jugū naturæ deuitare non possumus, nec disciplinæ debemus; si cauere volumus jugum pœnæ, caueamus, ne sit nobis impositum jugum culpæ. Sequitur. *Et superponite arcam Dei.* Nota, quòd dicitur Arca Dei quadrupliciter. *Quadruplex arca.* Est enim Arca conseruationis, Arca conuersationis, Arca significationis, Arca sanctificationis. De prima legitur. *4. Reg. 12.* *Fecit Ioiada magnus Sacerdos gazophylaciū in templo, & posuit in eo Arcam, faciens in ea foramen desuper, vt in ea reseruaretur pecunia ad sarta tecta templi resarcienda.* De secūda ad Noë. *Genes. 6.* *Fac tibi Arcā*, &c. De tertia dictū est ad Moysē. *Exod. 25.* *Fac tibi Arcam de lignis Sethim.* In his omnibus mens sancta figuratur, in qua reseruamus thesaurum, quem habemus in Christo; in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscōditi: sapientiæ per diuinitatem, scientiæ per humanitatem. Ipsa ergo fieri debet de lignis læuigatis per peccati immunitatem, politis per virtutum splendorem, bituminatis per gratiæ plenitudinem, compaginatis per concordię vnionem. In Arca tali recondi debent aurea vrna, per fidem humanitatis; manna, per fidem diuinitatis. In ipsa recondi debent tabulæ vtriusque testamēti, & Deuteronomiū Euangelicæ veritatis. Hæc est Arca sanctificationis, requies Dei, habitaculum Spiritussancti. Est tamen alia specialis & singularis Arca, quæ multò digniùs, & alijs sublimiùs, est plaustro nouo superponēda. *B. Virgo est arca.* Hæc est enim illa, in cujus laudem canimus. *Ecclesia in Hymno.* *Beata mater munere, cujus supernus artifex, mundum pugillo continens, ventris sub Arca clausus est.* Hæc est illa conseruationis Arca, in qua singulariter reconditus fuit cœlestis thesaurus, videlicet sapientia Dei Patris; quæ de lignis, non tam læuigatis, quàm læuibus, fuit: quia in vtero matris sanctificata, ab omni peccato nata fuit immunis: quæ singularis gratiæ plenitudine, quasi de lignis politis resplenduit. Hæc est, quæ à diluvio aquarum illarū liberauit, de quibus dicitur. *Psalm. 68.* *Salvum me fac Deus; quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Hæc est, in qua singularis vrna humanitatis Christi recondita fuit; diuinitatis māna, verba disciplinæ, abbreuiati verbi Deuter. tabulæ testamēti. Quippe quæ conferebat omnia verba, quæ de Christo dicebantur, in corde suo. Superponite ergo eā amando, venerando, laudando, orando: vt intercedat pro nobis ad Dominum.

FINIS.



# SERMONES NICOLAI CLARAVALLENSIS QVONDAM MONACHI.

*DVOBVS Claravallis olim Abbatibus Henrico & Garnerio, quorum opera præcedunt, tertium hic libenter adjunxissem Gaufridum, in præfectura & regimine ejusdem inclyti Cœnobij vtróque priorem, vt pote quartum illius Abbatem, & prædicto Henrico amicissimum: sed quia ejus opuscula plurima sunt, & adhuc quædam nobis desunt, ideo separatim posthac illa edere est animus. Guerrici quoque Claravallis aliquando Monachi, post Igniaci Abbatis Sermones sæpius jam recusos, quia facile haberi possunt, & proprium legitimi parentis nomen præferunt, mutato consilio, quo eos hic apponere statueramus, in alium Tomum referemus. Nicolai potius Claravallensis olim Monachi, Sermones diversis Authoribus malè aliquando ascriptos, eidem in præsenti vindicare decrevimus. Fuit autem hic Nicolaus primùm Arremarensis Cœnobij Ordinis Cluniacensis in Trecensi Episcopatu, postmodum Claravallis sub S. Bernardo Monachus, ejusdemque notarius; sed quia pater Sanctus in eo reperit pravitatem, amonuit eum ab officio; vnde factum est, vt ille Claravalle discedens, ejus hostis efficeretur. Queritur de eo apud Pontif. Eugenium S. Bernardus Ep. 84. & 98. Vbi autem, quando, & quo fine è vita excesserit, ignoratur. Sermones quidē sequentes inter opera S. Bernardi, & Petri Damiani magna ex parte reperiuntur; at illos nec hujus, nec illius, sed prædicti Nicolai esse, constat euidenter. Nam Author eorum in Sermone de Natiuitate Domini, laudat S. Bernardum Claravallis Abbatem, eumque sibi exemplar prædicationis proponit. Non ergo is est S. Bernardus: sed neque Petrus Damianus est, qui S. Bernardum ætate præcessit, nec agnoscere potuit. Præterea in Sermone de S Victore Confessore, ostendit author, illius loci, in quo eius corpus quiescit, se Monachum esse. Quiescit autem eius corpus in Arremarensi Cœnobio, cuius nec S. Bernardus, nec S. Petrus Damianus, Monachus fuit, sed Nicolaus. Petrus quoque Cellensis producto ex hoc Authore, & ex prædicto Sermone, loco, eum Nicolaum Arremarensem seu Clarauallensem agnoscit. Præfatio quoque ipsius Authoris, quàm hic & nunc subijcimus, idem demonstrat: vt plures probationes quærere superfluum sit & otiosum. Scripsit & in aliquot versus Psalmorum, quædam moralia, & alia, quæ in epistola sua nuncupatoria ad Comitem Theobaldum recenset. Edidit quoque epistolas, & in vnum corpus collegit, hortatu Henrici fratris Regis Galliæ, Claravallis tunc Monachi, post Archiepiscopi Remensis, quæ & in Tomo duodecimo Bibliothecæ Patrum editionis Coloniensis extant. Porrò Sermones hi, scripti sunt in Arremarensi Cœnobio, ex Claravallensi autem ad Theobaldum Comitem missi.*



## *Epistola Authoris ad Theobaldum Comitem Campaniæ, Sermonum sequentium nuncupatoria.*

SINGVLARI Domino & benefactori suo, Henrico Trecensium Comiti Palatino, Nicolaus ille seruus suæ sublimitatis, seipsum ad pedes. Non ignoro, Serenissime Princeps, quàm audacter ingrediar ad magnitudinem tuam, & quàm securus ambulem, vbi multi pauent, & cauent à fiducia securitatis. Non miror, si mireris; sed miror, si non mireris, quis me in hanc audaciam impulerit, seu appulerit ad portū confidentiæ tam sublimis. Breuiter tibi respōdeo, non meis, sed alterius verbis. *Audacem faciebat amor.* Amor Dominum nescit, dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax, perspicax puritate. Ille est, qui in sacrario suæ Majestatis omnem hominem aut parem facit, aut accipit: & de personis imparibus pares animos facere consueuit. Et hæc quidem pro audacia mea. De cætero mitto gloriæ tuæ decem & novem Sermones, à festiuitate S. Ioannis Baptistæ, vsque ad festivitatem S. Ioannis Evangelistæ, aliosque Sermones, & quosdam Psalterij versus, meo sensu inventos, meo stylo dictatos; nisi quòd paucis in locis, de sensibus alienis accepi. Adhuc enim juxta Philosophum, alienas sarcinas adoro. Mitto etiam tibi responsoria, & lectiones de Cruce, Responsoria & lectiones de Virgine, & decem Sequentias de Christi Festivitatibus & Sanctorum suorum. Hæc autem omnia, in viridiori ætate dictaui, antequam stylus meus in vagina silentij reconditus, & splendorem perderet, & acumen. Non quòd vnquam aliquid dixerim, vel invenerim, quod dignum sit obtutibus tuis; qui & literatus es, & tui germinis præfulgidum sidus. Si quid in his tibi placuerit, Deo imputa, & non mihi: si quid displicuerit, tibi imputa, qui jussisti. Nihil enim mea interest; qui, juxta Salvatoris vocem, quod habui, hoc feci. Filius Virginis qui tibi dedit, vt & potens, & sapiens, & benignus sis, & te hoc triplici funiculo circumcinxit: faciat te hic viuere plenum dierum, & illuc transire in longitudinem dierum; vt cùm ipse apparuerit vita nostra, & tu appareas cum ipso in gloria. Amen.

*Opera Nicolai, Theobaldo nuncupata.*

SERMO. *In Natiuitate Sancti Ioannis Baptistæ.* De decem priuilegijs ejus.

HODIE dilectissimi, dies illuxit insignis, tanto cęteris diebus Sáctior, quanto sanctiorē hominem terris effudit. In hac siquidem die natus est ille Sanctorum splendor; justorum gloria, lætitia Angelorum. Excellentissimus homo, consanguineus Christi, amicus sponsi, sponsæ præparator. Vnus est, & secundum non habet: qui choris intextus Angelicis, sublimioris coronę titulis vniuersitatis humanæ trāscendit ascensum. Denique, *Inter natos mulierū; non surrexit major Ioanne Baptista.* Felix homo, qui feliciter perambulans cœlorum officinas, cursu velocissimo sequitur redemptorem: nec alicujus intercluditur fastigio dignitatis, quem summæ felicitatis immensitas largiùs irrorauit. Lætantur Angeli, & vtriusque naturæ numerositas admiratur hominem sic ingressū abyssum luminis, & in æternæ dignitatis pelagus absorptum, vt ipsam reuerberet Angelicæ puritatis originem. Eleuentur omnes, & meritorum prærogatiuis ante consistoriū majestatis exultent: non erit tamen qui ad Baptistæ Ioannis priuilegiū audeat aspirare. Age, jam aggrediamur ingredi virtutum insignia, quæ Deus majestatis in amico suo gloriosa cumulatione signauit. Sic enim ab ortu vitæ vsque ad occasum cum hominibus conuersatus est, vt forma vitæ, morum informatio habeatur; & licet hic sermonis aurei non rutilet pulchritudo, tentabimus tamen rerum veritatem qualicúmque stylo perstingere; illud sapientis attendentes, prudentibus viris, non placere phalerata, sed fortia. Primus ejus honor, est gloria in annuntiatione. Non est dissimulanti silentio transeundum, quàm solēni glorificatione pueri hujus in hunc mundum nunciatur ingressus. Adest Angelus Gabriel, & à superiori cœlorum cardine, Domini fortitudo descendens, stat à dextris altaris incensi. Nec quilibet Angelus, sed ille sublimior, qui beatæ Virgini nuntiū attulit singulare; etiā electus est, vt nuntiaret militem, qui Regem nunciare debebat. Astat sacerdos, sacerdotalibꝰ indutus; & multiplici vestimentorum varietate, cœlestium Sacramentorum præfigurans imaginem; purgationem peccatorum mystici sanguinis aspersione præsignat. Consistit coram arca fœderis, & ante testamenti tabulas, vrnam auream habentem Manna, virgam Aaron, Cherubim & propitiatoriū, solemniter infulatus, vultui Dei, gloriæ majestatis, rerum omnium Domino vota percelebrat. Dies instat solemnis, & cęteris diebus multitudini Iudæorum celebrior, Domini præcipientis attestatione sublimis. Planè spectabilis & festiua, in qua sola soli Pontifici licebat introire in Sancta Sanctorum; & aspergine multiformi summæ divinitatis iram mitigare. Convenitur vndique in sanctam ciuitatem, & populorum turba frequentior cumulat materiam gaudiorum. Inter hęc sacra consistens Archangelus, *ne timeas*, inquit, *Zacharia, quia nascetur tibi filius;* parentum gaudium, nobilitas generis, orbis exemplum, finis legis, Evangelij principium, mortis expulsio, janua vitæ, decus hominum, conversationis splendor; omnis justitiæ principatus. Et ne diffusiori tractatu rerum excellentiam confundamus, nascentis & conversantis integritas, in libris Evangelicis pleniùs assignatur. Considera nuntiantis sublimitatem, dignitatem loci, diei reuerentiam; & tunc intelligere poteris, quàm superexcellenti gloria Ioannis Baptistæ genitura prædicitur. Salva igitur reverentia Salvatoris, quia non derogamus Regi, si Regis militem honoramus; cùm ille Dominus, hic servus; ille Creator, iste creatura; digniori præmonstratione Ioannes nuntiatur, quàm Christus. Christus fortassis in thalamo, Ioannes in templo; nec solùm in templo, sed etiam ante Sancta Sanctorum, in insigni die solemnitatis eorum. Ioannes ab eodem Archangelo, in loco digniori, tempore sanctiori, apertiore miraculo, prædicitur. Recole Isaac ab Angelis nuntiatū, Samson per Angelum prędictum, & vniuersam Nazaræorum sectā circumspice; solūmq; baptistam, tam in hoc, quàm in alijs, invenies digniorem. Secundus honor est, sanctificatio in ventre matris. Quicúmque de massa prævaricatrice mundum ingredimur, longam vestem originalis peccati trahimus nobiscum. Solus ille, qui peccatum non fecit, excipitur; quem virginitatis thalamus virum nesciens, terris effudit. Longè quippe aliter, & dissimili modo conceptus est, Spiritu sancto tota majestate Virginem * mūdante, atque moderante, superans vsum carnis, naturæ ordinē, viri commixtionem. Sic quippe decebat; vt peccatum nesciret, qui peccata tollebat; vt similitudinem carnis peccati susciperet, non autem carnem peccati. Cùm igitur omnes in iniquitatibus concepti sint, neminem vmquam mortalium infra materna viscera sanctificatum legimus, præter Ieremiam & Ioannem Baptistam. Quamquā & de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimiori sanctificationis genere mundata sit; vt pote sacrarium illud, in quo Deus & Dei filius carnem fuerat suscepturus. Sed longè minor Ieremiæ sanctificatio, quàm Ioannis. Ille quidem in matris vtero sanctificatus; hic etiam Spiritu sancto repletus fuisse cognoscitur. Multò quippe excellentius est, Spiritu sancto repleri, quàm sanctificari. Ibi enim sanctificatio emundationem, hic repletio inundationem significat. Denique & Apostoli, qui manibus suis tractauerunt de verbo vitæ, cùm Spiritum sanctum accepissent de Salvatoris afflatu, vix quinquagesimo resurrectionis die ad illum gradū peruenire potuerunt, vt diceretur de eis. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Et licet Spiritus sanctus largiori tunc munere credentium corda repleverit; hoc tamen Ioannes in vtero legitur assecutus, quod Apostolica celsitudo tādem longiora promissione meruit obtinere. Attende obsecro diligenter, quàm ordinata dispositione spiritus ille multiplex Ieremiam sanctificat, Ioannem replet, supervenit in Mariam. Et Ieremiæ quidem admiranda sanctificatio: quia etsi in peccatis conceptus est, nascitur tamen, vt dicitur, sine peccato. Antequā enim exiret de ventre sanctificatus est: nec poterat nasci non sanctus, qui in matris vtero fuerat sanctificatus. Mira res, & à retro transactis temporibus inaudita; hominem in peccatis conceptum, nasci sine peccato. Ioannem verò longè gloriosior virtus repleuit; qui & sanctificatus est à peccato, & ita dominante Spiritu superfusus, vt &

*S. Ioannis encomium.* — *Matt. 11.* — *Primum priuilegium, seu prærogatiua S. Ioannis.* — *Luc. 1.* — *Genes. 18.* — *Iudic. 13.* — *Secunda Ioannis prærogatiua.* — *Peccatum originale.* — ** Fortè inundante.* — *Peccatum.* — *B. Virgo in vtero sublimiùs sanctificata, quàm Ioannes.* — *Actor. 2.* — *Ierem. 1.*

purgatus exeat & repletus. Verè magnus corã Domino, quem Angelus nuntiat, Deus sanctificat, spiritus replet, vita commendat. Ineffabiliori autem modo superuenit in virginem; quã tota diuinitatis plenitudo sine mensuræ discretione perfudit; vt totum caperet, qui totum fecit; vt non solum à peccatis abluta, repleta spiritu, sed & de Spiritu sancto concepisse credatur; quia *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Inde est, quòd singulari prærogatiuà fides Catholica, filium Dei natum de Virgine, conceptum de Spiritu, confitetur: vt deitatis & humanitatis indiuisibilis adunata connexio, vocabulorum indifferentiâ designetur. Vides ergo quàm remotiori priuilegio, specios9 forma prę filijs hominum, à filijs hominum in concipiendo discretus sit. Illi etenim de peccatis & in peccatis cõcepti sunt; hic in Spiritu & de Spritu S. cõcipitur. Hæc sane dicta sunt de conceptione Ioannis; nihil præjudicantia saniùs sapienti. Sed etsi in aliquo sanctorum authoritatibus videntur obuiare, volumus, vt sine omni excusationum, vel defensionum patrocinio, subruatur. Tertius honor est excellentia in exultatione. A sæculo non est auditum, quòd exultauerit quis in vtero matris; cùm in gaudio hic exultasset legatur. Prorsus obstupenda dignatio; puerum vix conceptum, in motum exultationis erumpere; eique gratanter occurrere seruitio dulciori, quem virginali substantiæ præsensit infusum. Beata anima, quæ in via peccatorum non stetit; sed secretiori semita de cœlestibus officinis egrediens, inauditæ gratulationis est sortita dulcedinem. Felix Elizabeth, ad quam mater properat Saluatoris; quam salutatorijs obsequijs cœlorum Imperatrix impertit. Sed puer multò felicior; qui salutantis majestatem agnoscens, infra viscerum tenebrosa volumina gaudio gaudet, quia vim tam beatæ salutationis attendit. *Et factum est*, inquit, *vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit in gaudio infans in vtero ejus*. Ascendit virgo cum festinatione in domum Zachariæ, ad salutandam Elisabeth: portans in vtero filium Dei, Regem gloriæ, Dominum majestatis. Occurrit Elisabeth, & antiquæ sterilitatis carens opprobrijs, amicum sponsi, præconem Verbi, felicissimo ventre deportat. Iunguntur amplexus, venitur ad oscula, copulantur felices vteri, Regémque & militem, non nisi duo tenerrimi parietes abjungunt. Quid mirum, si miratur & exultat puer: attactu tam proximæ diuinitatis afflatus? Poteratne à quocúmque vacare miraculo, cui præsens aderat Regis præsentia, regnantis mater, mundi Redemptor? *Mansit autem Maria cum illa, tribus mensibus*, ait Euangelista. Tanto tempore manet cum Elisabeth virginalis integritas: & nũc dulciori eloquio, nunc amplexu feliciori Ioannem puerum consecrat & insignit. Pro certo, non parum contulit puero nascituro tam felix & morosum intemeratæ Virginis hospitium. Quartus honor est; gaudium in natiuitate. Erubesce Lucifer, qui mane oriebaris; & conatuum tuorum fractus impulsibus, tandem intellige, quia in nouissimo dierum tamquam perdix stultissimus remanebis. Machinationibus tuis factum est; vt vniuersitas generis humani in peccatis conciperetur, nasceretur in tristitia; sed ecce iste in vtero sanctificatur, oritur in gaudio, lætitiamque mundo sua natiuitate refundit. Ecce genus armaturæ, quòd tibi constitueras ad victoriam, Ioanni nascitur ad coronam. Apprehende arma & scutum, & toto malignitatis spiritu debacchare; nec poteris irrumpere Ioannis priuilegium, quod scribentis manus proprio charactere cõsignauit. Multùm deceptus es, multùm delusus es. An ignoras, quia tibi vir bellator ab adolescentia, & etiam à matris ventre consurgit? Nescis, quia à diebus istius, *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud?* An oblitus es, quia iste mittitur, *parare Domino plebem perfectam?* Intuere ordinem rerum, & ab ipsis suæ conceptionis initijs, inuenies hunc validiori conamine tuam fortitudinem irrupisse. Tu fecisti, vt fratricida Cain, qui primus natus est, pollutus & obuolutus exiret; & originalis peccati respergeretur infamiâ. Hãc excepit orbis exterritus, & humani generis subsecuta natiuitas ad infinitæ tristitiæ cumulum transmigrauit. Natiuitas autem hominis hujus in gaudium est, & in solemnitatem præclaram. Lætatur orbis; & quatuor elementa mundi circumsonant gloriosæ festiuitatis infantia. Ipsis etiam cælis celebris & famosa. *Quis putas puer iste erit?* Amicus sponsi, inimicus tibi; tua potestate potentior. Considerandum est etiam, quanta dignitate præpolleat natiuitatis hujus celebranda deuotio; quantamq; gratiam in oculis Ecclesię potuit inuenire. Nullius hominis natiuitatem, præter solius Dei, in authoritate recepit Ecclesia: hujus solius exceptione seruata. Nouit enim, quia melior est dies mortis, die natiuitatis; & quòd ortus hominũ tristitia comitetur. Inde est, quòd Martyrum mortes, non natiuitates, solemnizat Ecclesia: mortem eorum natalitiorum nomine nominãs, quibus factus est de morte natalis. Tunc enim inceperunt nasci ad vitam; cùm vitam deposuerunt pro vita. Quintus est singularitas in conuersione & conuersatione. Infra teneritudinem annorum beatus iste puer ad eremum, spiritu ducente, deductus est; nec obstitit ætatis infirmitas, quem majestas Domini fœcundabat. Spiritus enim Domini non attendit differentiam sexuum, fragilitatem corporum, temporum annositatem; sed quecúmque, & quomodo vult; dignantissima replet benignitate. Relinquit Ioannes mundum, homines fugit, parentes aspernatur, & in solius diuinitatis apicem figit beatæ contemplationis obtutus. Mira rerum conuersio, hominem vix mundum ingressum, mundi fugere gloriam; & sæculi cupiditates non solum obliuisci, sed & nescire; perpetuóq; cum Deo stabilire consortium. Recessus montium, silvarum anfractus, & vallium subterjacẽs vastitas, puero Patriarchæ domicilia, quãdo nox coëgerat, præbuerunt. Non opponatur mihi Ieremias, nec prædicantis pueritiæ virtus audeat obuiare; quia si ille consecretur in Prophetam, hic in plusquam Prophetam: & licet ille populo futura prædicat, non tamen conuersationis humanæ declinat aspectus. Sic sic Ioannes ætatis supergressus infantiam, & nobilioris generis nobilitatem oblitus, soli vacat diuinitati; forma vitæ, Monachorum propositũ, Anachoretarum principium, totius religionis assertio. Et hæc quidem pro cõuersione. Porrò quanta sublimitas in conuersatione fuerit, non est currentis linguæ volubilitatibus disserendũ, sed Euangelicę dignitatis comprobandum elo-

*Matth. 1.* — *Tertia prærogatiua S. Ioannis.* — *Luc. 1.* — *Ibidem.* — *Quarta prærogatiua S. Ioan.* — *Matt. 11.* — *Luc. 1.* — *Martyrum dies mortis celebratur, non natiuitatis.* — *Quinta Ioannis prærogatiua.* — *S. Ioannes puer secessit in eremum.* — *Ioannes Religiosorum parens.*

quio. *Ioannes, ait, habebat indumentum de pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos ejus: esca verò ejus erat locusta, & mel siluestre.* Ecce, *qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* Rigida vestis, & duris hispiditatibus circumtexta, rigore scalorifero corpus afficit Patriarchæ; carnémque tenerrimam immatura districtio disciplinæ feritate coarctat; tenerós artus & sacratiori spiritu superfusos continui cassat longitudo Martyrij. Cibus ejus qualis erat? Non phasides quæruntur aves, nec per totam discurritur regionem, vt Patriarchalis stomachus impleatur; sed *Erat esca ejus locusta, & mel silvestre.* Cœli rore pascitur, & animalis vilissimi cibatur edulio; nilque coctum accipit jejunantis austeritas. Castigato quippe ventri, & diuturna maceratione distento, ignota fuit varietas ferculorum, nec introiuit in os ejus, quod gulā alliceret, ventri vel stomacho blandiretur. Elias comedit carnes; &, si quid aliud apponitur, cum gratiarum percipit actione; nec aliquē, ni fallor, legimus, ex illa veteri officina, ad legis hujus aspirasse fastigium. Vestis aspera, tenuis cibus, mens deuota, perfectum consecrant Patriarcham. Sextus est honor; nouitas in prædicatione. Hic volo, attentiùs attendat charitas vestra: quia paulò subtiliùs ordiendum materię præcipit magnitudo. Post peccatum Adæ, & illius diluvij vastationem solemnem, electa est justorum infinita pluralitas, cum quibus Deus facie ad faciem locutus fuisse dinoscitur. Transfertur Enoch, eligitur Noë, vocatur Abraham, Isaac diligitur, Iacob facie ad faciem Deum cōtemplatur, Ioseph vocatur Salvator mundi; nec tamen Dei ad illos, vel illorum ad homines, fit aliqua mentio de regni cœlestis perpetua mansione. Moyses assumitur in ducem populi Iudæorum; Pharaoni in Deum constituitur; facit Deus in Ægypto magnalia, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Ascendit Moyses in caliginem, in qua erat Deus: datur in mōte multiplex præceptorum authoritas; loquitur ille cum Deo, quasi homo ad proximum suum: non est occultatum à Moyse, quod facit Deus in occulto; & gloriosum nomen Adonaï, quod omnibus fuerat obuelatum, ei reuelatur. Sed in his omnibus regni cœlorum memoria, nec nominatur nec dicitur. Astat Aaron potentis virgæ gestarius; vnctus & delibutus cœlestium sacramentorum vnctione; succedit Iosue, & omnis illa Iudicum multitudo, nec est vel tenuis mentio regni cœlestis. Inuenit Dominus virum secundùm cor suum; filiúmque ejus Salomonem cumulat sapientia singulari: & omnē illum Prophetalem chorum Spiritussanctus ordinat & infundit: nihilq; de cœlestis regni gloria Prophetatur. Claudit Elias cœlum oratione, & aperit: Elisæus etiam mortuus mortuum vitæ restituit: & ab his nec vlla scintillula beatæ mansionis elucet. Quid plura? A principio mundi vsq; ad Ioannem vniuersitatem recollige, nec in sermone vel opere, regni ejus poteris reperire dulcedinem. Veni ergo ad Ioannem, & audi vocem exultationis; vocem nouitatis & lætitiæ, misericordiæ verbum, sermonē gloriæ, gratiæ largitatem. Quod celauerat Deus, tacuerat Angelus, latuerat Patriarchas, Prophetæ nesciebant, *Pœnitentiam*, inquit, *agite: appropinquabit enim regnum cœlorum.* Verbum pœnitentiæ dulce & gloriosum; verbum regni cœlorum lætum & adorandum, illi soli primò cōueniens, qui noui Testamenti primus posuit fundamenta. Hæc est illa vox, de qua maximus ille contemplator cœlestium visionum in hæc verba prosequitur. *Et vox prima, quam audiui, tamquam citharœdorum citharizantium in citharis suis.* A diebus Adæ vsque ad Ioannem, organum nostrum versum est in luctum; quia vbi peccatorum frequentia, nec pœnitentiæ locus, duplex erat deplorandi materia. Occidis? Occidi iuberis. Sabbato ligna colligis? Lapidari juberis: & ille, cui proprium est misereri semper, & parcere; nisi ferire non nouit. Dederat quippe eis præcepta non bona, traditor præceptorum, & justificationes in quibus viuere non possent. Hoc est, quod Dauid miratur, dicens. *Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine?* Ioānes natus ostendit medicamentum vulneri, peccato pœnitentiam, veniam iniquitati. Hæc est vox prima, quam vox clamantis in deserto proposuit: & vox turturis audita est in terra nostra. Ex tunc immisit in os nostrum canticum novū, carmen Deo nostro: & resonat in ore nostro gratiarum actio & vox laudis: superexaltatā misericordiā judicio, peccatoribus parcitur, regnat pietas, justitia dissimulatur: & miserendi, non feriendi, quærit occasionem, misericors & miserator Dominus. Citharizant ergo in citharis suis, qui voluptatum effluxionem, pœnitentiæ districtione reuerberant: & de profunda peccatorum voragine respirantes, cantant in vijs Domini, quoniam magna est gloria Domini. Septimus est, dignitas in baptismate. Singularis prorsus humilitas, Verbum caro factum: & in perfectum virum egrediens, relicta hominum vniuersitate, Ioannē quærit, Ioannem desiderat, ad Ioannem vadit. Terribilis in consilijs Deus super filios hominum, portásque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorū faciens, venit à Galilæa in Iordanē, ad Ioannē, vt baptizaretur ab eo. Stupet Ioannes, & timore concutitur, totúmque Patriarcham infinitus horror insumit. *Ego à te*, inquit, *debeo baptizari, & venis ad me?* Dicit ei Salvator. *Sine modo: sic enim decet, nos implere omnem justitiā.* Acquiescitur vtrimque salutaribus monitis: & accingit se Ioannes ad baptizandum, ad suscipiendum Dominum Angelorum. Exuitur vestimentis suis Rex gloriæ; splendor luminis, & figura substantiæ Dei, Ioannis manibus attrectatur. Caro illa sumpta de Virgine, candidioriq; deriuata materia, nudatur in flumine, felicibus Baptistæ manibus infundenda. Descendunt Angeli, & cælorum agmina tota reuerētia currunt ad Creatorem; baptizantémque & baptizatum dominantia numina circumcingunt. Infundit aquam capiti Creatoris creatura nobilior; & Dei verticem mortalis dextera contremit & contingit. Pavet cælum, stupet terra, mirantur Archangeli, Dominum sabaoth infra manus baptizantis includi. Quid est Ioannes? Cherubim & Seraphim, vix audent respicere; & tu nudum tenere præsumis? Hic est, in quem desiderant Angeli prospicere, cui beatæ conuētus ciuitatis, *Sanctus sanctus*, ingeminat; qui solus habitat lucem inaccessibilem, Dominus virtutum, Deus scientiarum, misericordiarum pater, & tu non metuis? Tibi datū est, quod omnibus est negatum, baptizare scilicet eum, qui baptizat in Spiritu sancto & igni; virginémque

*Marc. 1.* *Matth. 11.* *S. Ioannis austeritas in victu & ...* *Marc. 1.* *Primus regnum cœlorum nuntiat Sanctus Ioannes.* *Matt. 3. Verbum pœnitentiæ.* *Apocal. 11.* *Psalm. 88.* *Ioannes ostendit medicinam vulneri.* *Matt. 3.* *Miranda Christi in baptismo suo humilitas.*

virginis filium, virgineis manibus irrorare. Totus adstupeo baptizanti, hominémque Dei magistrum reuereor: dignantem admiror, veneror dignationem; & hominem video violentiam cœlis ipsis inferre. Porrò illud quale est, quòd in isto baptismate terminatur lex, finem accipit Prophetia, & omnis sacrificiorum ritus propulsatur & pellitur? Hic incipit & stabilitur nouæ regenerationis perduranda purgatio: & in vnam baptismatis formam legalium transeunt dispendia figurarum. Ad ablutionem aquæ, & innouationem Spiritus, sepelitur hircorum & taurorum sanguinolenta congeries: & pecora pecoribus Iudæis relinquimus, illud Dauidicũ attendentes, *Holocaustum pro peccato non postulasti.* Octauus est, prima reuelatio de Trinitate. A creatione cœli & terræ, vsque ad hunc locũ, numquam Trinitas hominibus manifestè apparuit; sed rerum & verborum inuolucris inuoluta fuit tantæ claritatis æternitas. Deniq; creationem hominis creator rerum summa dignitate commendans, *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Reuerendũ reuera priuilegium, nec vlli traditum creaturæ. Creatur numerositas Angelorum, & elementorum ordinatur variata connexio; sed omnipotens tantum opus alta taciturnitate prospectat. Vt verò venitur ad hominem, & nobilis creatura creari disponitur; accingit se Trinitas ad creandum: & consilium accipit sapientia, vt creaturæ dignitas Creatoris priuilegio clara esse monstretur. Nec ibi tamen satis apertè diuinæ Majestatis eluxere vocabula. Abraham tres vidit, & vnũ adorauit. Sed & ibi Scripturæ sacrę reuerentia, nunc mixtim nunc separatim claudit eloquium, vt modo Dominum, modo viros placeat nominare. Et vt breuiter concludamus; omnis illa, siue Patriarcharum, seu Prophetarũ copulata societas, nullam vel in sermonibus, vel in rebus, de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, apertè fecisse legitur mentionem. Veni ergo, & intuere filium Zachariæ, Deum & hominem proprijs manibus continentẽ: & vide quia cæli aperiuntur ibi, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in Christum; & vox patris audita est, *Hic est filius meus dilectus.* Vides, quia ad sacratissimorum nominum nouitatem, cælorum palatia reserantur? Pater auditur in voce, filius baptizatur in flumine, Spiritussanctus in columbæ specie demonstratur. Adest Ioannes totius medius Trinitatis, gloriosúmque Baptistam sanctificant indiuisæ substãtiæ personata vocabula; noménque Trinitatis prioribus sæculis obvelatum, absque totius velaminis obumbratione relucet. *Domine, quis est iste, quia innotuisti ei?* Nonus est, testimoniũ sapientiæ. Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Chisti, misit ad eum discipulos suos, & responsum est eis, *Ceci vident*, &c. quæ veritatis Euangelicæ prosequitur copiosa narratio. Recedentibus autem nuntijs, ne fortè in eorũ præsentia adulationem redolere videretur, cœpit ad turbas dicere de Ioanne. *Quid existis in deserto videre? Arundinem vento agitatam?* O mira testificatio Redemptoris: quis ingressus est mundum, & eum vel in aliquo non cognouit? Quis est, quem vel aduersitas turbida, vel cujuslibet peccati aura tenuior non inflexit? Ad extremum subinfertur, quod terrã excedit, transcendit cælum, & ipsum verticem Angelicę dignitatis attingit. *Inter natos*, inquit, *mulierũ, non surrexit major Ioanne Baptista.* Quid vis amplius? *De nullo alio dici potuit*, ait Augustinus, *quod dictum est de Ioanne.* Non opponas mihi Euangelistam inter cæteros Apostolos magis dilectum; non Apostolorum Principem omnibus Apostolis antelatum, non vas electionis ad cœli tertij secreta translatum; nec Apostolicus splendor audeat occurrere pręcursori; quia jam omnes isti adolescentiæ metas excesserant, cùm à veritate prolatum fuit. *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptista.* Considera mansiones regni, vniuersum ordinem humanæ generationis obambula: solúmque Ioannem, tam nouis, quàm veteribus, videbis esse pręposítum. Decimus, est assertio matris Ecclesiæ. Texitur ora chlamydi, vnguentúmq; profusum in capite, extremam quoque vestimenti fimbriã inundanter infundit. Illa enim mater, & omniũ Ecclesiarum magistra, Ecclesia scilicet Romana, cui dictum est, *Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua*, in honore Ioannis Baptistæ, post Salvatoris nomen fundata est. Dignum namq; erat, vt sententiam sponsi, sponsæ sequeretur authoritas, & singularem amicum ejus, illuc proueheret, vbi principatum ipsa conscendit. Electio proculdubiò singularis, in illa ipsa vrbe Ioannem primatum Ecclesiæ vendicare, quam duo cæli luminaria, morte clarissima consecrarunt. Crucifigitur Petrus; Paulus gladiatur: & dignitas remanet pręcursori. Purpuratur Roma sanguine Martyrum; totáque sublimitas beato refunditur Patriarchæ. Ioannes vbique major; in omnibus singularis, mirabilis super omnes. Quis sic gloriosè annuntiatus est? Quis ita specialiter in matris vtero Spiritu sancto legitur fuisse repletus? Quem legisti infra matris vterũ exultasse: cujus natiuitatem vidisti celebrare Ecclesiam Dei? Quis sic puer eremum concupiuit; quis ita sublimiter legitur conuersatus? Quis pœnitentiam & regnum cælorum primus ostendit; quis baptizauit regem gloriæ? Cui se primùm Trinitas reuelauit; cui tale testimoniũ perhibuit Deus; quem sic honorauit Ecclesia? Vide, si non hæc omnia ita singulariter sunt huic singularia, vt nullus mortalium prædictis dignitatibus audeat inhiare. Forsitan mihi disponis opponere; quia sic ista habet propria, vt cætera sanctorũ communia non attingat. Audi ergo. Ioannes Patriarcha, imò Patriarcharum finis & caput. Ioannes Propheta, imò plusquã Propheta, quem venientem nuntiat, digito demonstrat. Ioannes Angelus, sed & inter Angelos electus, Salvatore testante, qui ait. *Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam.* Ioannes Apostolus, sed & Apostolorum primus; quia *fuit homo missus à Deo.* Ioãnes Euangelista, sed Euangelij primus incisor, *Prædicans Euangelium regni Dei.* Ioannes virgo, imò virginitatis insigne, pudicitię titulus, castitatis exemplum. Ioannes Martyr, sed & Martyrum lumen; inter natiuitatem mortémque Christi constantissimi forma Martyrij. Prætereo, quia *vox clamantis in deserto*, quia præco Verbi; quòd Iudicis præcursor. Illud quoque relinquo, quia *vsque ad Ioannem lex & Propheta*, quia *Ioannes ipse est Elias*; quòd lucerna sit ardens & lucens; quòd amicus sponsi, sponsæ præparator. Silentio transeo, quòd sic nouẽ ordinibus insertus est, vt & ad Seraphim apicẽ

*Psalm. 39.* *Prima Trinitatis expressa reuelatio Ioanni facta.* *Genes. 1.* *In veteri testamento non fit Trinitatis clara mentio.* *Matt. 3.* *Psalm. 141.* *Matt. 11.* *Ibidem.* *Testimoniũ Christi de Ioanne.* *Matt. 11.* *Prima Ecclesia vrbis Roma Sancto Ioanni sacra.* *Luc. 22.* *Ioannes multa præ alijs sanctis habet.* *Malac. 3.* *Matth. 11.* *In omnibus sanctorum ordinibus locum habet Ioannes.* *Matth. 4.* *Ioann. 1.* *Luc. 16.* *Matth. 11.*

transferatur. Verùm, hoc laboriosi operis est, & paupertas nostri sensus non sufficit. Sufficiat hæc ad præsens, quæ dicta sunt de laude Ioannis, ad gloriam Redemptoris; qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO *In Natali Apostolorum Petri & Pauli: Super verbis illis*, Isti sunt duæ Oliuæ, *&c.*

*Apocal. 11.*

HOdierna dies, dilectissimi, clara est & solemnis; vniuersámque creaturam suo lumine sanctificat & infundit. Non enim est ignota festiuitas, vel alicujus obscuritatis tenebris obfuscata; sed ab ortu solis vsque ad occasum, toti cognita mundo: ipsis etiam cælis clara luce refulgens. Duo enim principes Apostolorum, Ecclesiæ luminaria, Martyres summi, legis Doctores, amici sponsi, oculi sponsæ, pastores gregis, mundi custodes, hodierna die felici Martyrio cælestia regna conscenderunt. Alter Princeps regni cælorum, alter raptus ad tertiũ cœlum. Alter Iudæis Prælatus, alter Gentibus datus: in vita socij, in morte consortes: pares in corona, æquales in gloria: Iudices Orbis, Domini confessores. Admiranda prorsus dispositio Redemptoris, & Iudicia Dei abyssus multa, cùm illos Ecclesiæ suæ præfecit, qui sic criminaliter lapsi sunt, vt in peccatorum fluctus absorberentur. Cùm intueor Petrum, quem ipsa manus omnipotens regni cælestis clauibus inuestiuit; cui patet reuelat filij majestatem; super quem fundatur Ecclesia; cui potestas ligandi & solvendi cõceditur; qui cœlos claudit & aperit; quòd Cherubim & Seraphim habere non legitur, vehementer admiror. Rursus cùm reflecto oculos, & eundem Petrum video sequi à longè Salvatorem, & ad vnius ancillulæ vocem, detestari & jurare, quia non nouit hominem: ipsúmque, quem Dei filium confessus fuerat, trepida fugitatione relinquere, timore concutior, dicens mecum; *Quis cognouit sensum Domini?* Cùm respicio Paulum spirare minas & cędes in discipulos Domini, vinctos ducere, damnare morti, & in corpus Ecclesiæ tota debacchatione sæuire, infra memetipsum contremo dicens: *Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit.* Cùm respiro desuper, & video vas electionis portare nomen Christi coram Gentibus & Regibus & filijs Israël, ad tertij cœli secreta raprari, & audire arcana verba, quæ non licet homini loqui, & in illam ipsam Trinitatem oculos figere clariores, gaudeo dicens. *Hic est vir, qui non est derelictus à Domino.* Quid est, quod sic labuntur, qui præficiuntur Ecclesiæ? Sapientia suauiter disponens omnia, hoc ideo fecit: vt in seipsis prædicti Principes discerent, qualiter alijs misereri debuissent. Hujus virtutem misericordiæ; præsens capitulum demonstrare conatur. *Isti sunt*, inquit, *duæ oliuæ.* Digna prorsus cõparatio oliuæ ad Apostolos, nec alia dignior est inventa. Arbor enim ista semper viridis est, & illum excellentissimum olei liquorem effundit, sine quo nec regia, nec sacerdotalis constat authoritas. Oleũ autem quatuor habet; supernatat omnibus liquoribus, illuminat, pascit, & vngit. Cuicúmque enim liquori oleum superponas, statim sibi superioris loci vendicat potestatem. Ita & misericordia Dei omnibus operibus ejus superfertur, Psalmi ista attestante, qui ait. *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Miserator & misericors, patiens, mitis corde, & suauis vniuersis, Dominus prædicatur. Iustus autem est, sed numquam multùm justus legitur in Scriptura, sicut multùm misericors. Vis videre, quomodo Discipuli sequuntur Dominum & magistrum suum? Aspice, quantus pietatis affectus Apostolorum Principi se infudit; quando circumsteterunt illum omnes *viduæ flentes & ostendentes tunicas & vestes quas faciebat illis Dorcas.* Circumdatur multitudine pauperum Princeps Apostolorum, & lacrymosis vocibus concutitur viduarum, Apostolicúmque pectus irrumpit multitudo clementiæ. Orat Apostolus ante vultum gloriæ, coram Domino majestatis; resuscitatur mulier, & nutris redditur misericordiæ propinatrix. Hęc misericordia facit Petrum ab Ierusalem in Antiochiam currere, ab Antiochia Romam venire, prædicare Verbum Dei, subvenire peccatoribus, peccatis parcere, misericordiam superexaltare judicio. Aspice & Paulum, & intellige, quàm dulcioris misericordiæ cumulata benignitas, totam Apostoli mentem vera compassione succenderat. *Quis infirmatur*, inquit, *& ego non infirmor?* Doleo inquit; & *lugeo super eos qui peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam.* Beata anima, quæ omniũ miserias suas fecerat: vt õnes lucrifaceret. Hoc affectu nauigat mare, currit in Ierusalem, lapidatur, verberatur, affligitur. Inde currit ad Ephesios, Corinthios quærit, circuit Colossenses, Philippẽses visitat, reuertitur ad Romanos; misericordiam spargit, vbique diffundit pietatem: & cœlestium seminat semina gaudiorum. Cernis ergo, quia sicut oleũ omnibus liquoribus antecellit, sic & Apostolica pietas omnibus eorum virtutibus antefertur. Oleum illuminat; illuminant & Apostoli. Recole actus Apostolorum, & vide, quanta luce fulgurat Apostolus Petrus. *In plateis*, ait scriptura, *ponebantur infirmi in lectulis, vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* O lumen infinitum, lumen admirabile, lumen omni sole lucidius, ad vmbram Apostolici corporis languores fugere, discedere infirmitates, omnémque morborum instantiam inaudita velocitate fugari. An non copiosa luminis immensitas ab ore Petri largiùs exiliuit, cum ait claudo: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula?* Respice Paulum totam Illyricum peragrantem, suscitantem mortuos, subvertentẽ templa Deorum, & in splendore lucis hujus totius orbis illuminare circuitum. Currit Paulus; & potenti virtute sermonum illuminat quæ in tenebris sunt; clarus sermone, opere clarior, miraculorum fulgore clarissimus. *Habete*, inquit, *formã nostram; & attendite non solùm quæ audistis, sed & quæ vidistis in me.* Bonus magister & perfectus, qui fidem facit verbis opere meliori. In hujus lucis clarissima serenitate illuxerunt coruscationes Dei orbi terræ; commota est & cõtremuit terra, ad vocem Apostolorum, cum in omnem terram exiuit sonus eorum. Oleum pascit, pascunt & Apostoli. Epistolæ Apostolorũ, & sublimis illa sermonum doctrina, numquid non mirabiliter pascit Ecclesiam Dei? De hac pastione Salvator, ait ad Petrũ. *Pasce*, ait tertiò, *oues meas.* Pasce verbo, pasce exemplo, pasce oratione. Pasce verbo, vt potens sis exhortari in doctrina sana, & eos qui cõtradicũt arguere.

*Petri & Pauli encomium.*
*Rom. 11.*
*Eccle. 9.*
*Ecclesia. Cur Ecclesia præfecti, qui lapsi fuerant.*
*Apocal. 11.*
*Oliva semper viridis est.*
*Psal. 144.*
*Actor. 9.*
*Misericordia Apostolorum.*
*2. Cori. 11.*
*Ibid. c. 12.*
*Olei proprietates Apostolis adaptantur.*
*Actor. 5.*
*Ibid. c. 3.*
*Philip. 3. & 4.*
*Ioan. 21.*
*Tripliciter pascit Petrus oves.*

Pasce exemplo, vt quod voce personas, opere compleas. Pasce oratione: vt pro illis intercedas, quorum tibi cura commissa est. Vide etiam, quomodo Paulus pascit Dei populum diuersorum varietate ferculorum. *Lac*, inquit, *potum dedi vobis, non escam. Perfectorum verò solidus cibus est, eorum qui exercitatione consummatos habent sensus.* Et alibi. *Facti estis quibus lacte opus sit non solido cibo.* Et iterum. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Vides, quomodo se contemperat & conformat, illos sublimi, hos tenera imbuens doctrina. Vngit oleum, vngunt & Apostoli. An non Petrus vngit omnes, cũ dicit: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium; gens sancta; populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis ejus; qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum?* Paulus etiam nonne præcipit dicens: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis?* Oliua semper est viridis, nec frigoris immensitate percutitur; ita & Apostolorum fides inconcussa perdurat, nec vmquam tyrannica rabie potuit superari. Etsi impulsus est Petrus, vt caderet, non tamen cecidit, quia Dominus suscepit eum. Stupefactus tamen ad momentum hæsit Apostolus, sed statim in virtutem fidei rediit, quia respiciente Domino fleuit amarè. Etsi ad tempus concussus est, non tamen dejici potuit, quia sententia veritatis cassari non poterat, dicens. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Hodierna die crucifigitur Petrus, gladiatur Paulus, & vitam ponunt pro fide Christi, vt non deficiat fides Christi. Isti ergo sunt duæ oliuæ, viri habentes fidem, illuminantes patriam, pascentes Ecclesiam, peccatores vngentes. Et quod scriptura hic dicit: *isti sunt duæ oliuæ*, alibi planiùs aperit dicens. *Hi sunt viri misericordiæ.* Sequitur, *& duo candelabra lucentia ante Dominum.* Candelabrum tribus innititur pedibus, & in altiora se erigens, cereum superportat; vt qui ingrediuntur, lumẽ videant. Ita Apostoli tribus virtutibus innitentes, operatione, prædicatione, miraculorum coruscatione, lumen verum Dominum Iesum Christum ingredientibus ad fidem tota claritate monstrarunt. Et notandum, quòd *ante Dominum*: hypocritæ etenim lucent, non ante Dominum, sed ante mundum, vt videantur ab hominibus. Apostoli verò luxerunt ante Dominũ, non ante mundum: quia ludibria & verbera experti, solummodo placere Deo studuerunt. Quòd ipsi duæ oliuæ sint, & duo candelabra lucentia ante Dominum, Zacharias Propheta innuit manifestè dicens. *Isti sunt duo filii olei splendoris, qui assistunt dominatori vniversæ terræ.* Sũt etenim filii olei, qui viri sunt misericordiæ. Sequitur. *Habent potestatem claudere cœlum nubibus.* Serenitas cœli nubibus impeditur, ne videatur: ita & deitatis contemplatio peccatis nostris clauditur, ne videatur Deus, Propheta testante, qui dicit. *Opposuisti nubem, ne transeat oratio.* Nubes opponitur, ne oratio transeat; cùm peccata nostra separant inter nos & Deum. Habent potestatem claudere cœlum nubibus, id est peccatoribus, & portas ejus fidelibus aperire. Mira res, & omni stupore dignissima; ad hominum linguam claudi & aperiri cœlum, & cœlestis palatia mansionis.

1. Corin. 3. Hebr. 14. & 5. 1. Cor. 2. 1. Petri 2. Galat. 6. Luc. 22. *Petrus crucifixus, Paulus gladio occisus.* Eccli. 44. Apocal. 11. *Qui luceāt ante mundum, qui ante Deum.* Zachar. 4. Thren. 3.

## SERMO *In Natali Sancti Benedicti.*
### *De verbis.* Dixit Simon Petrus ad Iesum, *&c.*

DIXIT *Simon Petrus ad Iesum; ecce nos reliquimus omnia.* In hujus Patris nostri præcipua solemnitate, totis esset viribus inclamandum: nisi nobilis lingua Gregorii, totum ejus itinerarium sermone magnifico collegisset. Ita enim ejus actus & vitam vernantis eloquii claritate depinxit, vt & stylus sententiarum majestate scintillet, & sententiæ stylo reluceant clariori. Ex abundanti igitur est, post tanti viri vocem aliquid addere; in cujus comparatione, nos non solum ineloquentes, sed & mutos esse, non ignoramus. Hoc solum dixisse sufficiat, quia solus iste militarem manum excelso principi cæteris abundantiùs præsentabit; & monachorum turmis, Angelorum more viuentibus, cœlorum adimplebit palatia. Quàm refulgens & splendidus miles astabit Imperatorio tribunali, plenus infinitis virtutibus, agminibus innumeris comitatus, Consiliarius Regis, Iudicis amicus, vnicus hostis hostis antiqui. De eo planè cum sequentibus, *dixit Simon Petrus ad Iesum; ecce nos reliquimus omnia.* Amica prorsus confabulatio Simonis ad Iesum, & sermo omni oratorio flore venustior: dignúsque Simon, qui cum Salvatore proloquatur, Simon námque obediens, Iesus Salvator. Loquitur ergo obedientia cum salute; quia solis obedientibus salus æterna hereditario jure debetur. Si tamen ibi sit Petrus, id est si obedientia non vacillet, sed fundata sit supra firmam petram. Et quid ait? *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Solemne verbum, magna promissio, opus sanctum, dignum benedictione: relinquere omnia, & sequi Christum. Hæc sunt verba voluntariæ persuasoria paupertatis, quæ monasteria genuerũt, quæ claustra monachis, anachoretis silvas copiosiùs repleuerunt. Hæc sunt enim de quibus Psallit Ecclesia. *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras*, perceptura requiem pro labore, pro paupertate diuitias, pro tribulatione mercedem. Magnum reuera est relinquere omnia, sed majus Christum sequi: cùm multos omnia reliquisse, nec Christum secutos fuisse legamus. Hoc opus, hic labor est, hic salutis humanæ summa consistit. Nec Christum possumus sequi, nisi omnia relinquamus: quia exultat vt gigas ad currendam viam, & oneratus eũ sequi non potest. *Nemo cum sarcinis enatat*, ait ille disciplinæ sæcularis orator, quem linguæ nobilitas, & profunditas sensus paupertatis amicum constituit. Meritò relinquit omnia, qui sequitur Christum, qui est super omnia: quoniã sufficientia nostra ex eo est, & erit Deus omnia in omnibus. *Ecce*, inquit, *nos reliquimus omnia.* Non solùm facultates mundi, sed & animi quoque cupiditates. Neque enim reliquit omnia, qui retinuit vel seipsum: imò verò nil prodest, sine seipso cætera omnia reliquisse: quandoquidem nullum aliud onus est, homini grauiùs, quàm ipse homo. Quis enim Tyrannus crudelior, quæ sæuior potestas homini, quàm hominis ipsius voluntas? Numquã sub ea requiescere, numquam sedere licet: & quò ampliùs te sibi ad obediendum nouerit fatigari, eò magis vrget, instigat & onerat: pietatis immemor, misericordiam nesciens. Hoc enim proprium, pro-

Matt. 19. Greg. li. 4. Dialog. Matt. 19. *Verba, quæ Monasteria fundarunt.* Psal. 16. Matt. 19. *Quis nõ relinquat omnia.*

*Sola voluntas propria diligitur, quæ sola digna est odio.* pria voluntas habet, vt quò obediens obedientior sibi fuerit, eò amplius eum crudelioribus vinculis internectat. Sola diligitur, cùm sola digna sit odio, principium iniquitatis, mortis infusio, destructio magna virtutum. Venite ergo, qui laboratis & onerati estis, ad onerum leuatorem, & ei voce & opere respondete. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* *Matt. 19* Attẽde, quia olim priusquam fieret Verbum caro: & habitaret in nobis, sequebantur patres antiqui tẽporis Deum, soli spiritui solo spiritu adhærentes. Nunc vero sequendus est etiam corpore: adeò vt cùm prædicti Patres terrenis legantur abundasse diuitijs, de cætero nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, non possit esse ejus discipulus: qui cùm diues esset, pro nobis factus est pauper. Relinquendę igitur sunt possessiones, & propriæ voluntates: si volumus eũ sequi, qui non habuit vbi caput suum reclinaret: & qui non venit facere suam voluntatem, sed ejus, qui misit illum. Sequitur. *Quid ergo erit nobis?* Iam omnia reliquit Petrus, jam non solùm sequitur, sed & diu secutus est, & nunc primùm interrogat, quidnam sit accepturus. Quid est Petre? Nonne obedientiam promisisti in auris auditione, non in pacti conuentione? Sed audite jam, quid loquitur Dominus Deus: attendite spem in qva mundo fluctuante sperare debemus. *Ibidem.* *Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sua majestate; sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* Infinita prorsus dulcedo miserationum Dei circa pauperes suos. Nec illos relinquit in morte, pro quibus seipsum morti exposuit, & tormentis. *Vos*, inquit, *qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis* &c. Quid est hoc aliud dicere, nisi, consequemini quæ sequimini: si tamen persequimini, sicut scriptum est. *Psalm. 33.* *Inquire pacem, & persequere eam.* Sic ergo currite, vt comprehendatis: nec priùs residere velitis, quàm sedentem apprehendatis, & mereamini consedere. Exultauit enim vt gigas, ad currendam viam, toto vtique tempore quo in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est: nec resedit, donec ad eum perueniret, quem ipse constituit laboris sui finem, *Matt. 26.* *Tristis est*, inquiens, *anima mea vsque ad mortẽ.* Ergo, *cùm sederit filius hominis in sede majestatis*; & qui priùs stetit in ignominioso supplicio crucis, interrogatus contumelijs pariter & tormẽto: *Sedebitis & vos judicantes*, à quibus nunc judicium incipit: qui minimè datis requiem vobis ipsis: sicut & ille non judicare, sed judicari, nec ministrari, sed ministrare venit. Illic verè sedebunt sedes in judicio. Filius enim Dei, salva tamen indiuisibili naturarum vnitate, secundùm quod Deus est, sedet à dextris Dei: secundùm quod homo, assistit nunc vultui Dei pro nobis: *Christus vt Deus, sedet à dextris Patris.* nec erit ei sessio triumphalis, donec sit Deus omnia in omnibus: id est, corpus capiti tanta pace jungatur, vt simus ei similes, etsi non pares. Adhuc enim negatur à Iudæis, à Gentibus subsannatur, laceratur ab Hæreticis, à falsis Christianis grauiter impugnatur: & tu eum putas residere quietum, nec attendere superborũ oculos, malignantium impetus, repugnantium voluntates? Sed in regeneratione sedebit cum sedentibus, cùm nos in sincerum nitorem in vtráque substantia repurgabimur: & ipse deuictis inimicis, cum amicis intrabit in gloriam, Angelos hominibus vnitate sempiterna conuniens, & damna beatæ resarciẽs ciuitatis. Hoc autem totum erit in regeneratione. Beata ista regeneratio, quæ terram renouabit & cœlum, terrigenas cælicolis fœderabit, & perpetuæ pacis fontem indefessa profluxione refundet. Notandum autem, quòd vna est generatio, & duæ regenerationes. *Vnica generatio est, duæ regenerationes.* Et in generatione quidem, quam ex radice vitiata contrahimus, corpus mortalitate, anima autem iniquitate repletur. In regeneratione verò baptismatis, vbi nos oportet nasci denuo, animæ purgatur iniquitas, sed corporis mortalitas non aufertur. Necessaria est ergo alia regeneratio, seu resurrectio, in qua reparentur etiam corpora, configurata corpori claritatis Christi: si tamen corda priùs fuerint reformata ad mansuetudinem & humilitatem ipsius Christi. Vnde & beatus qui habet partem in resurrectione prima: quia particeps erit & secundæ. In hac ergo, *regeneratione, cùm sederit filius hominis*, &c. Hoc est, quod alio in loco scriptura loquens, *Pro confusione*, inquit, *sua duplici & rubore, laudabunt partem eorum.* *Isai. 61.* Duo enim habet paupertas sequentium Dominum, afflictionem scilicet & vilitatem. Vnde Propheta. *Vide*, inquit, *humilitatem meam, & laborem meum.* Propterea igitur in terra sua duplicia possidebunt, vt pro vilitate sit honor judiciariæ potestatis: pro afflictione refrigeriũ placidissimæ sessionis. Quando igitur sedebimus: quorum modo nec corpus nec anima sedet, in quibus sedatum nihil, nihil quietum, nihil in eodem statu permanet? Quando liberabimur ab inquietudine mobilitatis hujus? Corpus enim nostrum sedere non permittitur: cùm illud impediat, & præsentis sensus doloris, & futuræ mortis anxietas: quoniam passibile est, & mortale. Sed & spiritus ipse nullam habet requiem, ob expectationem spei, & timoris solicitudinem. Erit autem, cùm anima requiescet in spe singulariter constituta: libera quidem à solicitudine, sed non ab expectatione. Fiet autẽ hoc post mortem carnis, sed ante diem Iudicij. In die autem illa, cùm sederit filius hominis, *Quando perfectè sessuri simus.* perfectè & ex omni parte sedebimus: quia nec corpus doloris sensu turbabitur, nec anxiabitur timore mortis, impassibilitatis & immortalitatis glorificatum duplici stola: liberique erimus, quod ad animã pertinet, ab expectatione & solicitudine vniversa, nihil minus habentes, nil deinceps periculi metuentes, in perfectissima securitate, & secura perfectione. *Sedebitis*, ait Dominus, ait veritas. Solemnis sessio, grata quies, plena sufficientia. Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? *Psalm. 4.* Gloriam enim quæ ab invicem est, quæritis, vanam vtique & mendacem; quoniam vani filij hominum, & gloriam quæ à solo Deo est, non vultis, gloriam sine dubio manentem & veram. Miseri & miserabiles, qui pro breui voluptate torrentem perditis voluptatis, & divinam vobis interrumpitis misericordiam, vt numquam satiemini ab vberibus consolationis ejus. *Pro breui voluptate torrens perditur voluptatis.* Sed ne magnæ promissionis dulcedinem longa nimis expectatio contorqueret, mentis nostræ mobilitatem sermone temperat dulciori. Novit enim ipse figmentum nostrum, quoniam dilationis moras pusillanimitas nostra non sustinet, ideoque benignitate

sua, huic quoque obviat cogitationi, & occurrit etiam ex hac parte. *Et omnis, qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut uxorem, aut agros, propter nomen meum*, &c. Obstructum est os loquentium iniqua: jámque confundantur omnes iniqua agentes supervacuè. Habemus enim promissionem vitæ hujus, quæ nunc est, pariter & futuræ. Manifestum quidē est, præsentis temporis esse centupli promissionem, ex eo nimirum quod sequitur, *& vitam æternam possidebit*. Sed ne quis omnino obstinatis dissimulādi locus remaneat, vado ad Evangelium secundùm Marcum, vbi apertè declaratur, temporis hujus esse centupli promissionem. Ait enim Dominus: *Nemo est, qui reliquerit patrem aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Evangelium: qui non accipiat centies tantū nunc in hoc tempore, domos, & fratres*, &c. quæ sequūtur. Et vt magis miremini, nec promissionem hanc, licet hujus sit tēporis, exhiberi de temporalibus æstimetis, additum est, cum persecutionibus. Quid enim in persecutione positi terrenæ substantiæ Sancti Martyres acceperunt, quando & ipsa quoque terra beatorum corporum data est in manus impiorum? Quod ergo dicit, *centies, tantum domos aut fratres*, &c. minimè secundum carnem intelligi posse, vel ex eo manifestum est, quod centum matres nemo accepit. Iam verò si pro communicatione possessionum, & animorum affectione, quæ inter electos est, promissionem hanc volumus intelligere; aliquibus quidem, sed non omnibus, poterit convenire. Nonnullos enim Sanctorum terrena hac & humana consolatione novimus caruisse. In corde ergo, & in homine interiori, centuplum istud quæras, necesse est: vt habeas nunc quidem fructum tuū in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Qui ergo nondū centuplum acceperunt, scrutentur corda sua, & vniversa viarum suarū studia diligenter examinēt: nec dubium, quin inveniant angulum & diversorium, quod Salvator non novit; sed vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos. Magis autem perfectiùs relinquant omnia, non quærant quæ sua sunt: nihil sibi retineant: nihil alijs. Sunt enim pleriq; qui licet propriam exaltationem voluptatémq; satis despiciant, propinquis tamen suis quodāmodo retinent, quod debuerant reliquisse: incongrua solicitudine & religioni contraria pro eis laborantes. Quanti monachorum, dum parentibus suis plus justo consulunt, suas animas perdiderunt. Ergo relinquant omnia, solum sequantur Christum, soli Christo placere studeāt; haud dubium, quin illico experiantur, quod relinquentibus omnia, & sequentibus se, veritas pollicetur. *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Illud enim in via accipitur ad solatium, illa verò ad beatitudinem in patria possidebitur inæternum. Sed quid est centuplum istud, nisi consolationes visitationésque, & primitiæ spiritus, qui super mel dulcis est; nisi testimonium conscientiæ; nisi læta & jucunda justorum expectatio: nisi memoria abundantiæ suavitatis Dei? Et magna multitudo dulcedinis ejus, quam nec expertis necesse est dicere: nec inexpertis vllis verbis exprimere quisquam potest. Non pater aut mater, non domus aut ager; non cibus vel vestis, non terrenum aliquid: super hæc omnia dulcius atque jucundius. Cui sic specialiter totus Evangelicę lectionis excursus assignari potest: quemadmodum patri nostro beato Benedicto? Hic à pueritia mundum cum flore reliquit, & currentem Christum cursu rapidissimo secutus est; nec destitit, donec consequeretur. Quis inter judicantes sublimiùs judicabit, quis ita centuplum in hac vita percepit: quis vitam æternam gloriosiùs possidebit? Ejus igitur intercessione, suæ gratiæ largitatem ad præsentis vitæ consolationem, & æternæ possessionem, nobis administrare dignetúr; qui venit, vt vitam habeamus, & vt abundantiùs habeamus: Iesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Matt. 19. | Centuplum in hac vita reddendum à Christo. | Marc. 10. | Cur aliqui non recipiāt centuplum. | Matt. 19. | Quid sit Euangelici centuplum. | Centuplum recepit S. Benedictus.

## SERMO In Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ: De tribus vnguentis.

HODIE misericordia & veritas obviaverūt sibi: & multitudo miserationum Domini in peccatricem feminam refusa est. Filius enim Virginis, peccatricis & menstruatæ manibus attrectatur; Deúmque & Dei filium mulier infrunita contingit. Tangit pedes mundi, atque mūdantis, immunda: & vestigijs creatoris mulier criminosa procumbit. Transit in affectū cordis prævaricatrix, & redit ad cor: & scelerum magnitudinem lacrymarū multitudo condemnat. Dissimulat pietas tangentis officium, & obsequiorum instantiam remuneratorius ille majestatis oculus, felici dedignatione non aspicit. Osculatur Maria pedes Christi frequentibus osculis: & inundantibus oculis vestigia Redemptoris infundit, tergit crinibus, odoriferis illinit & irrorat vnguentis. Videt & invidet singularitatis amator, & vtrúmque redarguit: illū ignorantiæ, præsumptionis illam. Sed deliberans providentia suspendit judicium, dum affectat obsequium: & invectivam retinet præparatam, donec Mariæ sacrificium transeat in holocaustum. Gaudent Angeli super peccatrice pœnitentiam agente; & odoris fragrantia cælestis ille conventus aspergitur; salvantémque & salvandam tota misericordiæ dulcedo procingit. Vbi abundavit delictum, superabundavit gratia: & numerositatem criminum præponderans pietas intercludit. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, in peccatricis confessione: quàm justa reprehensio in Pharisæi superbia & abusione. Enumeratur obsequentis obsequium, & per obliquum tangitur indignātis iniquitas; totâ literali cohærentiâ Simonis invidiam impugnante. Et quia vbi spiritus Domini, ibi libertas: dimittuntur illi peccata, quia multùm diligit: & immittuntur ei, qui multùm negligit. Non erat satiatus ab vberibus sponsæ, nec induerat compassionis affectum: legem relegens, quæ misericordiam nescit: novit justitiam. Lex dura, duris & lapideis promulgata: lex excludens pœnitentiæ locum, veniam negans, emendationis ignara: parata percutere, nescia misereri. Lex vinum durum & acidum, de botris amarissimis eliquatum, consecratum feritati, derivatum Israël, Salvatori propinatū. Vinum, de quo dentes bibentium obstupescūt: non de genimine vitis illius, quod Salvator bibit novum in regno Patris sui. Verè meliora sunt vbera tua vino isto. Quænam sunt illa? Procedat in medium Paulus Apostolus, & vbera felici lacte manantia nobis assignet. *Gaudere,*

Luc. 7. | Obsequium peccatricis feminæ. | Lex durā duris data.

*Rom. 12.* inquit, *cum gaudentibus, flere cum flentibus.* O quàm brevi sermone totius religionis depinxit insigne. Quàm eleganti clausula proposuit pietatem, æquitatem statuit, submovit invidiam. His vberibus mater Ecclesia lactat proficiẽtes: perfectos nutrit. *Gaudere,* inquit, *cum gaudentibus.* Facessat hinc sæcularis plausus insania, & lætitia mundialis abscedat: quia *non est gaudere impijs, dicit Dominus.* *Isai. 48. & 57.* Numquid illorũ os gaudio repleri æstimas, qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis? Sed nec illi, qui laudibus adulatorijs rapiuntur, divinæ jubilationis agnovere lætitiam. *Non est verum gaudiũ in mundo.* Numquid qui vestiuntur purpura & bysso, & epulantur quotidie splendide: gaudium & lætitiam obtinebunt? Absit, vt in terra suaviter viventiũ, gaudiorum inveniatur materia; cùm tantis alternationibus tota mundi facies immutetur, vt elevans allidatur, & respiret allisus. Sed est gaudium continua sui jucunditate firmissimum, quod perfectus animus de secreta sibi conscientia pollicetur. Mens enim à mundi hujus aspergine, purè presséque detersa, & in divinæ contemplationis acumen totum desiderij sui figens affectum, gaudens gaudet in Domino, & exultat anima sua in Deo suo. Talis anima minas aspernatur, nescit timorem, spem falsam eludit: & omnium scandalorum immunis, in pace in idipsum dormiens requiescit. *Psalm. 118.* *Pax multa diligentibus legem tuam*, ait justus, *& non est illis scandalum.* *Tyranni Martyres coronant.* Noverat enim, quia lictores non persequũtur Martyres, sed coronant. Cum hujusmodi gaudentibus gaudet Apostolus, & vt abundantiùs gaudeant, tota securitate promittit. Hoc gaudium certum & plenum est; tantóque certius est, quanto vicinius circa identitatem imprimitur. Hæc est mammilla gratulationis, de qua lac exhortationis elicitur, quo perfecti nutriuntur; vt cùm avulsi fuerint à lacte isto, epulentur ab introitu gloriæ Dei. Secunda est, flere cum flentibus. Numquid Apostolus præcepit, flere rerum amissionem, intermissionem voluptatum, filiorum mortes, morborum instantiam, gravitatem inopiæ, pressuram fortioris? Absit. Plorandi enim sunt, qui sic plorant. *Quæ sit religiosa tristitia.* Religiosa tristitia aut alienum luget peccatum, aut proprium. Beati quorum luctus in hac intentione versatur, quia consolatoriã habituri sunt dulcedinem. Quàm leni & dulcissimo spiritu imbibitus est spiritus illius, qui nouit in spiritu lenitatis peccantes instruere, suspendere vindictam, & affectuosis officijs inuiscerare sibi peccatorem, donec vitæ reddatur. De hac compassionis mammilla, lac consolationis exprimitur: & hoc lacte pascit Apostolus illos, qui solido cibo vesci non possunt. Amator innocentiæ, pacis amicus, patientibus compatiens, & congaudens gaudentibus, perfectionis metam cursu consummato contingit. Hæc sunt vbera lacteis irrorata liquoribus, meliora vino, lege dulciora misericordiam sonantia, redolentia pietatem. *Cant. 1.* *Fragrantia*, inquit, *vnguentis optimis.* Digna prorsus vbera, de quibus eliquatur vnguentorum infinitas, odorata diffluxione civitatem Dei viventis circumquaq; respergens. Hæc sunt vnguenta, quæ Regina Saba attulit in Ierusalem; de quibus scribitur. *3. Reg. 10.* *Non sunt allata vltra aromata tam multa, quàm ea, quæ dedit Regina Saba Salomoni.* Quàm excellenter apposuit, *optima*, Spiritus ille subtilis, qui totam sibi libri hujus rapit positionem. Est enim vnguentum bonum, quod Maria pedibus Salvatoris infudit. *Triplex vnguenti genus.* Est & melius, quod eadem, si tamen eadem, supet caput recumbentis effudit. Est & optimum, quod & ipsa præparavit toti corpori Christi. Primum vnguentum contritionis est, de recordatione peccatorum, de spiritu contrito & contribulato descendens. Hoc infunduntur pedes ejus, qui ambulat super pennas ventorum. Hic adorat Maria, in loco vbi steterunt pedes ejus. Steterunt inquam: quia validissima amoris manu pedem vtrúmq; retinuit: donec vtrúmque perungeret; & audiret criminũ remissionem, dimissionem in pace. Magnam miseriam magna misericordia diluit & abstergit. Et hoc quidem festinanter; quia sine vllo intervallo conjunguntur lacrymæ peccatricis, & indulgentia Salvatoris. Remittuntur peccata, & in pace dimittitur; vt & de præterito non sit solicita, & de futuro secura. Pedes isti sunt misericordia & judicium; quorum alterum sine altero osculari, vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda. *Duo pedes Christi misericordia & judiciũ.* Quis enim Dei misericordiam indesinenter attendens, non statim tepidioris vitæ quietem exoptet? Cùm enim cogitat, vniversorum Dominum formam servi pro servis suscipere: triginta & tribus annis operari salutem in medio terræ hujus; capi, ligari, lanceari, crucifigi, & hoc totum pati pro filijs hominum; statim decepta spe sibi blanditur & alludit; gaudet obversari in misericordia & miserationibus: judicium nescit, ignorat justitiam, & punienda æstimat non puniri. Fallitur, qui sic osculatur misericordiæ pedem. Vt pedẽ judicij non attendat: qui totum de Dei pietate præsumit, hoc solum ad salutem sufficere credens, quòd credit. Rursùs cùm abducit os, & judicij pedem crebrioribus osculis intertangit: subcutitur carnis animæq; substantia, & vtriusque hominis statum vehemẽtior aura percellit. Horrendum est enim, incidere in manus Dei viventis, offendere creatorem, nescire Dominũ, recalcitrare dominantis imperio, qui habet potestatem corpus & animam mittere in gehennã. *Terribilis* certè, sicut ait Apostolus, *quædam expectatio judicij*, quando ignis in conspectu ejus exardescet, & virtutes cœlorum movebũtur: & vacillantibus conscientijs orbem vniversum validissimus ignis aduret. *Hebr. 10.* Nihil prorsus terribilius, quàm videre diaboli officinam plenam sanguine, cumulatam opprobrijs, tormẽtis vndantem. Quis homo diutius cogitans, non statim contremiscat, & in desperationis rotetur abyssum? Non est igitur huic pedi morosiùs incumbendũ: ne pietatis intuitum ferocia judicantis occludat. Vtrúmque igitur invngat pedem animæ pœnitentis affectus: *Vterque pes Christi vngendus.* & nunc misericordiam amplectens, nunc judicium osculans, contribulati spiritus offerat holocaustum. Vide Mariam judicij pedem fortiter attendentem: dum nobilis & lasciva mulier convivantiũ faciem non attendit: sed extenso corpore provoluitur pedibus majestatis, doloris plena, timoris impatiens, compunctionis jaculo vulnerata. Sed & misericordiæ pedem labijs impressioribus osculatur, in cujus spe firmiter inhæret vestigijs acumbentis; donec audiat: *remittuntur tibi peccata tua.* *Luc. 7.* Sanè pretiosum vnguentum, quo non solùm terrena domus, sed etiam cælestis aspergitur. Vilissimæ tamen sunt species de

quibus conficitur, & magna earum copia infra nostros hortulos poterit inveniri. Peccata igitur nostra plantata in conscientiis nostris, quorum multitudo numerari non potest, species ejus sunt. Ipsa igitur in mortariolo pœnitentiæ, macerationis pistillo contusa, & oleo discretionis respersa, doloris igne supposito, & in aheno disciplinæ concocta, vnguentum faciunt pretiosum, & acceptum pedibus Salvatoris. Compendiosè autem illud confecimus, sapienti rerum occasionem penitus relinquentes. Et licet materia videatur indignior: interim bonum est vnguentum istud, quod domum replet, penetrat cœlos, Angelos lætificat, & beatæ civitati lætitiam refundit, & gaudium. Hoc est sacrificium justitiæ: quia *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Secundum vnguentum est devotionis, de recordatione beneficiorum Dei. Prorsus dignissima hujus vnguenti compositio: & in istius comparatione prioris est conspersio vilipendenda. Ejus enim species de cœlesti paradiso allatæ sunt, & in terra filiorum hominum nequeunt inveniri. Virtutes enim divinitus collatæ, & in mortariolo pectoris pistillo diligentissimæ meditationis intritæ, oleoque exultationis superfusæ, suffuso justitiæ igne, in humilitatis aheno decoctæ, faciunt vnguentum & odore & virtute mirabile; quod solum super corpus Domini possit effundi, & exhiberi reverentiæ majestatis. Sed & hoc recolligimus breviter: illis, qui multa de paucis exculpere cognoverunt, verborum abundantiam reservantes. Notanda tamen vtriusque differentia, & secundi sublimitas attendenda: quia illud est Deo sacrificium spiritus contribulatus: illud sacrificiū laudis, quod honorificat Deum. Pedes igitur vngimus Redemptoris, cùm de peccatis compungimur. Vngimus caput, cùm de collatis virtutibus virtutum largitori gratias agimus. Vnxit peccatrix illa, quam infelix ille septenarius confundebat, pedes Domini: & veniam meruit. Vnxit & Domini caput: sed jam dilecta, jam familiaris effecta. Sed si duo præmissa vnguenta tantæ dignitatis sunt, vt alterum pedibus, alterum capiti complaceat dominantis: illud tertium quod optimum est, vbi poterimus invenire? Sed absit, vt sponsa veritatis à veritate discedat; & tale aliquid habere se jactitet, quod habere non possit. Est ergo tertium vnguentū pietatis, quod est super omnia aromata morbis omnibus & periculis salutare; & quod nulli vmquam pesti inveniatur inefficax. De ipso namque sic legitur. *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.* Videsne, in prima capituli fronte propositum, quòd non vna, non duæ, sed tres vix sufficiunt ad emendum tantæ compositionis vnguentum? Intelligis, quia non pedes aut caput, sed totum crucifixi corpus sibi vendicat ista confectio? Confectio sine dubio pretiosa, quæ toti sufficiat corpori Creatoris. Et attende, quia vnguentum pedibus infusum adeò dignantissima lenitate suscepit, vt Pharisæum murmurantem parabolica prolixitate convinceret: & retorto suggillaret exemplo. Sed & de refuso super caput ejus vnguento, discipulos indignantes coarguit: bonum mulieris opus esse protestans, & tumidam eorum animositatem verbis compescuit moderatis. Hoc verò tam salubre, támque mirificum, in mortuo corpore suo noluit expendi; quod vivo vtique reservabat. Duo enim corpora habet Christus: vnum quod suscepit de Virgine, aliud Ecclesiæ, quod carius habet benignitas redimentis. Denique illud pro isto morti exposuit: & tormentis addictꝰ, cruci jūctus sceleratis, morte turpissima condemnatus. Poterimusne tam salubrem conficere confectionem? Vniversæ miserorum miseriæ, tam animarum quàm corporum, oculo pietatis inspectæ, species ejus sunt. Istæ igitur in mortariolo largitatis, dulcedinis pistillo confractæ, & oleo charitatis delinitæ, igne cōpassionis perseverantiæ aheno despumatæ, vnguentum faciunt ipsis etiam Angelis admirandum. Sunt viri divitiarum in domo Domini virtutum: videamus, an apud eos hujusmodi habeatur vnguenta. Primus occurrit mihi Paulus, totus præsenti delibutus vnguento. *Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor?* Felix anima, facta sibi tamquam vas perditum: vt omnium miserias suas faceret, & in sua conscientia colligaret. Totum se toti corpori Christi donaverat: omnia factus, vt ōnes lucrifaceret. Sed & Iob hoc repletus aiebat. *Oculus fui cæco, & pes claudo, & pater eram pauperum.* Samuëlem recolo; qui non semel, sed omnibus diebus vitæ suæ lugebat super Saül: cùm sciret eum ab oculis divinitatis longiùs elongatum. Non cessabat tamen compassio, quæ condolentis animum irrepserat: fundens lacrymas, etsi non profuturas, tamen pias. David parricidam filium continua lamentatione plorabat, plorans in eo, nō carnis necessitatem, sed fidei destructionem. Cerne, quomodo Ioseph totus hoc melle illitus erat. Veniunt fratres jam non ante fratrem, sed ante dominū assistentes: conscij perditionis; proditionis & homicidij rei, fratricidij successores. Videt eos Ioseph, & omnium injuriarum immemor, dulcissimis fletibus inundatur; & pietatis adeps, qui intus latitat, foras per oculos emanat. Fugit odium, nescit iram, tempus iracundiæ non reservat; reddit bonum pro malo, pro crudelitate dulcedinem. Inspice Moysen, hujus liquoris rore perfusum. Peccat Israël, & peccantem reconciliare nititur Creatori: sed dissimulat Dominus exaudire rogantem. Promittit plurima Moysi creator, & licentiā quærit à Moyse feriendi: qui Moysen fecit. *Dimitte me*, inquit, *vt irascatur furor meus contra eos: & faciam te in gentem magnam.* Respondit Moyses. *Si dimittis, dimitte: alioquin dele me de libro, quem scripsisti.* Obstupenda profectò dulcedo. Principatum gentis respuit alienæ: de libro vitæ deleri desiderat, nisi peccantibus dimittatur offensa. Hæc sunt vnguenta pietatis & misericordiæ, quæ ab sponsæ vberibus eliquantur, infirmitates omnes fugantia, profugantia passiones. Felix Maria vnxit pedes Iesu: eadem felicior caput vnxit authoris: felicissima, quæ rosem vnguentarium toti corpori Christi præparavit. Considera, quàm vehementissimo dilectionis affectu beata hęc mulier diligebat Christum Regem. *Domine*, inquit, *si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam.* Quem eum, Maria: cùm de nullo feceris mentionē, ad quē facias relationem? Putasne, quòd in omnium cordibus ita dilecti tui memoria versetur: sicut & in consistorio cordis tui? *Et ego*, ait, *eum tollam.* Mira res, hominem perfectæ ætatis virū, cujus corpori vix centum libræ sufficiunt vn-

*Species primi vnguenti peccata, sed contusa.*

*Species secundi virtutes sunt.*

*Luc. 7.*

*Ioann. 12.*

*Marc. 16.*

*Ecclesia corpus Christi mysticū est.*

*Species tertij vnguenti, miseria proximorū.*

2. Cori. 11.

Iob 29.

1. Reg. 15.

*Exempla charitatis Sanctorum in proximos.*

2. Reg. 18.

Genes. 43.

Exod. 32.

*An eadem mulier sæpius vnxerit Christū, vide in notis nostris.*

Ioan. 21.

guentorum, tenerrima mulier portabis, & tolles? Ardens & affecta locutio, quæ de puritatis amore promittit, quod implere non posset. Nihil enim amanti difficilè esse videtur. Quis desperare debeat, tanta peccatrice non solùm veniam, sed & gloriam consecuta? Ipsa hodie intercedat pro peccatis nostris: & placatum nobis reddat Iudicem nostrum, amicum suum: qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO *In Festo S. Petri ad vincula.*
*Super verbis illis* : Adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Cant. 1. *Adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Petrus Apostolus, Apostolorum Princeps, principum primus, hodiernum diem reddit clariorem. Sacra profectò dies, quia sacratissimo homini consecrata, & illius assignata præconijs, quem conuentus Angelicus non mediocriter reuereretur. Vnus est, quem prænobilitant singularis primatus insignia; clauicularius regni, cœlorum lingua, fidei fundamentum. Consummatus honor, & dignatio gloriosa, hominem in terris positum, cælis imperitare: & inter Angelorum choros, Iudiciariæ potestatis exercere virtutem. Sedet dominator Dominus inter agmina lucidiori luce fulgentia, & de Thronis ad Cherubim transvolans, vices sessionarias intermutat: & admiranda sessionum mutatio, lõgéque rationis humanæ superducta conspectibus, cur modo Thronos, modo Cherubim insedisse legatur? Assistunt Angeli præsidentis Imperium expectantes, & administratorij Spiritus assignata sibi ministeria sortiuntur: sed ligandi & solvendi nullus eorum possidet potestatem. Adest Petrus, & ad ejus arbitrium orbis vniuersitas soluitur & ligatur: & præcedit Petri sententia sententiam Redemptoris; quia non quod Christus, hoc ligat Petrus: sed quod Petrus, hoc ligat Christus: ipso idipsum attestãte.

*Primatus Petri.*

Matt. 16. *Quodcúmque ligaueris super terram, erit ligatũ & in cœlis.* O quàm potens dignitas, quàm digna potentia. Iudicat Petrus, & Petri judicia confirmat omnipotens: & est in manu Petri manus altissimi: solúsque ille efficitur familiaris Christi, qui Petri familiaritatem habuerit. Quid est, quòd Angelorum & hominum agminibus exclusis, solus Petrus in consortium diuinæ Majestatis assumitur, & cum Domino residet præsidente? Dulce colloquium, sancta conuersatio, consilium speciale, Petri & Dei: vbi secretorum indifferentia mortalem hominem Deo copulat, & coünit. Non ergo mirum, si ardentiori affectu diligit Salvatorem Petrus Apostolus: cùm singularis amor sit refusus in eum, vt & singulariter diligat, & specialiter diligatur. Anima ejus vna est de adolescentulis, quæ dilexerunt eum nimis. Puerilis ætas nondum amori congruit, senilis desinit ab amore. Puer est, qui nondum æternis studere cœpit: senex, qui cœperat, sed dimisit. Vtrósque igitur ille summus amator excludit: & à majestate suæ dilectionis eliminat. Sola adolescentia ardentissimis ignibus incandescens, eclipticũ amorem non recipit: sed ardorem sibi vindicat copiosum. Inter adolescentulas igitur, animas videlicet electorum, qui cælesti sponso dilectionem promiserunt & fidem: ista sola dilexit ardentiùs, & amoris impatiens ait. *Domine si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Non timuit

*Petri in Christum amor.*

*Sola adolescentia amori apta.*

Matt. 14.

singularem elementi molestiam: & pelagi sæuientis vndositas affectum Apostoli retinere nõ potuit. Sed quid est, quòd dicit, *nimis*: cùm nimis ille diligi non possit, qui toto corde, tota aĩa: totis virib⁹ præcipitur diligi? Tres sunt gradus in amore Dei, quorũ alterũ sine altero cõscẽd⁹ in amore Dei, quorũ alterũ sine altero cõscẽdere, aut parũ valet, aut nihil. Cucurrit eos Apostolus pede velociori, donec in tertij summitate repositus, ad cæleste palatium euolaret. Amandus est Deus dulciter, sapienter, fortiter. Sed jam videamus, quid sit dulciter amare Deum. Dulcis est enim, & dulciter diligi debet, qui multitudinem dulcedinis suę timentibus se ministrare non cessat. Amatur in dulcedine, cùm amatur in carne: cùm nescimus nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum: cùm tota carnis ejus frequentia frequenti memoria retinetur; & ossa nostra medullitus concutit tantæ miserationis dignatio. Cùm enim recordamur Regem gloriæ, parvuli vagientis sustinere molestias: pannorum vilium vilitate deuolui; fatigatum ex itinere residere; Pharisæorum opprobria, conuitia Iudæorum, aure patientissima pertransire: numquid non compungi debemus ad tantæ pietatis intuitum? Considera filium virginis, illitum sputis, liuidum plagis: clauis confixum. Attende rectorem cæli stantem in cruce, pallidum morte, carne deformem. Ne pertranseas Dominum Angelorum, virum percussum à Deo & humiliatum, virum leprosum, & omnibus detrimentis expositum. Recordatio hæc succẽdit cor, pectus adurit, interiora depascitur. Talis memoria elicit lacrymas, suffundit oculos, vultus humectat. Circa hunc ferè gradum obvoluitur omnis religiosorum instantia: raráque auis in terris est, quæ possit hunc transire profectum. Astat enim orantibus, vel imago nascẽtis Dei, vel pendentis in cruce; tenétque mentis affectum incalescens affectio; & ad vlteriora vix permittit excurrere. In hoc gradu Petrus impressiùs consistebat; cùm carnem & conuersationem Iesu Christi tenerrimè diligens, Salvatorem à saluatione generis humani retraheret dicens. *Propitius esto, Domine, tibi ipsi, ne fiat hoc.* Cui Dominus. *Vade*, inquit, *post me Satana: quia non sapis quæ Dei sunt:* culpans consilium, non affectum. Diligebat enim dulciter, non tamen sapienter. Quomodo enim sapienter, qui mundi redemptionem, & Dei prouidentiam nitebatur excludere? Sed succenderat cor ejus familiaritas dulcior: & verbum de Redemptoris absentia pati non poterat benignitas diligentis. Hic diligitur Deus ex toto corde: cùm in corde hominis affectus & dulcedo inhabitet, solúmque cor hominis amoris dulcedinem perseueranti stabilitate custodiat. Vnde & vulgaris vsus obtinuit, vt cùm aliquem ab aliquo vehementer amari conspicimus, dicamus: ex corde diligit eum, quem sic amat & sequitur. Secundus gradus est, diligere sapienter. Gradus iste multæ altitudinis est, & nimis difficilem pollicetur ascensum. Non autem euadit ad cacumen ejus, nisi mens mundior, & quæ mundi hujus sapientiam sapientiã supervolat Angelorum. Non attenditur hic nascentis Dei cumulata deuotio: sed Verbũ in principio apud Deum. Recordare filium Dei cum patre omnia fabricantem, creantem Angelos, elementa jungentem, disponentem mundum, omnia gubernantem: & cognosce, quàm excelsior sit ista cognitio,

*Tres gradus amoris Dei.*

*Quid sit, dulciter amare Deũ.*

Matt. 16.

*Diligere Deum sapienter, quid sit.*

gnitio, quàm illa. Intuere ineffabilem ipsius genituram, & genitū gignenti non dissimilem, nec priorem Patrem, quàm Filium; & tunc intelliges, quanta differentia natiuitatem vtrámque disjungat: cùm aliud sit, nasci in gloria; aliud in miseria: aliud, æqualem Deo: aliud, Angelis esse minorem. Hæc est sapientia singularis: supergredi corporis & corporeorum obstacula, & in illius lucis subsilire splendorem, vbi lumen videtur in lumine: & Deus non serviens, sed imperans demonstratur. Felix anima, quæ fæculentæ carnis superata materia, in hujus sapientiæ lumine requiescit. Vis videre Paulum, quomodo à primo gradu ad secundum ascenderat? Cùm dixisset: *mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, Scripsit alio loco; *Etsi noueramus Christum secundùm carnem, sed nunc jam non nouimus*. In anima sedet hic affectus sapientiæ, quæ sola rationis capax est, incorporeúmque & incircumscriptum spiritum indefessa meditatione prospectat. Hic diligitur Deus ex tota anima, id est ex tota sapientia; qui priùs ex toto corde, id est ex dulcedine, diligebatur. Tertius gradus est, amare fortiter, id est ex omnibus viribus. Fortiter diligit, qui cùm necesse fuerit, pro Salvatoris fide, corpus & animam tormentis exponit. Hic est fructus operis, consummatio laboris, probatio dilectionis. De gradu enim dulcedinis ad sapiētiæ gradum ascenderat Apostolus, cùm diceret: *animam meam pono pro te*. Nihil sapientius, neque fortius, quàm, *animam meam pono pro te*. Nihil insipientius, neque debilius, *neque scio, neque noui, quid dicas*. Profectò jam diligebat dulciter, jam sapienter: sed vtrúmque perdidit, cùm fortiter non dilexit; cùm ad vocem mulieris Dominum & magistrum suum celeriter abnegauit: sed cùm mori pro Christo disposuit, dilexit nimis: quia majorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Affixus cruci, à fide separari non potuit. Vides ergo quomodo tres gradus isti, trinæ legis dilectioni conueniant. Amemus ergo dulciter, sapienter, fortiter; vt ad magistrū Petri, Petri intercessione peruenire valeamus: qui est benedictus in sæcula.

*Duæ Christi natiuitates valdè diuersæ.*

*Galat. 6.*

*2. Cor. 5.*

*Tertius gradus amoris, amare fortiter.*

*Ioan. 12.*

*Marc. 14.*

## Sermo In Assumptione Beatæ Mariæ. Super: Quæ est ista, &c.

Hic totum decurrat ingenium; & aureus sermo tota reluceat majestate. Voluntaria oris nostri beneplacita faciat sibi, genitrix Dei, domina mundi, cæli Regina. Ipsa sensum acuat, diripat stylum, & linguam pauperis venustiori respergat eloquio. Illustret lucem hanc lumine clariori, & suo conuentui suam præsentiā donare dignetur. Sublimis ista dies, & splendidiori sole refulgurans, in qua Virgo regalis ad thronum Dei patris euehitur: & in ipsius Trinitatis sede reposita, naturam etiam Angelicam sollicitat ad videndum. Tota conglomeratur Angelorum frequentia, vt videat Reginam sedentem à dextris virtutis Dei: in vestitu deaurato, in corpore semper immaculato, circumdatam varietate, virtutum multiplicitate distinctam. Hæc est illa dies, quæ cœlorum officinas sublimiori gaudio cumulauit, annua mundo, Angelis continua, continuās homines Angelis, & Angelos hominibus felici fœderatione conjungens. Intuere mentalibus oculis Filiū ascendentem, & matrem assumptam: & videbis aliquid excellentius in Ascensione filij exhiberi, & aliquid gloriosius in Assumptione virginis demonstrari. Ascendit enim Salvator in cœlum potestatiuæ virtutis imperio, sicut Dominus & Creator, Angelorum comitatus obsequio, non fultus auxilio. Assumpta est Maria in cœlum: sed gratiæ subleuantis indicio, comitantibus & auxiliantibus Angelis: quam subleuabat gratia, non natura. Ideo dies hæc Assumptio, Ascensio illa vocatur: cùm aliud sit potentia, aliud misericordia; solúmque soli sit priuilegium creatori, naturam rerum propria potestate supergredi. Hoc est illud excellentius, quod sibi vendicat super creaturam Creator, vbi etiam superabundans & singularis gratia non audeat aspirare. Sed si diligenter attendamus Ascensionem filij, & matris Assumptionem: inueniemus profectò aliquid, quod nos inuenisse gaudebimus. Ascēdenti quippe Domino egressa est obviam omnis illa beatorum spirituum gloriosa societas: quando naturæ superiori prætulit inferiorem, & inconuertibili sacramento susceptum hominem in ipsa diuinitatis clausit identitate. Occurrentibus Angelis electorum animas, quas secum adducebat, adjunxit; & sic vtrorúmque triumphali pompa deductus ad Patrem, sedet ad dexteram majestatis. Attolle jam oculos ad Assumptionem Virginis: & salua filij majestate inuenies occursum hujus pompæ non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt: Matri verò cœlorū palatia penetranti, Filius ipse cum tota curia, tam Angelorum quàm justorum, solemniter occurrens, euexit eam ad beatæ consistorium sessionis, & ait. *Tota pulchra es, amica mea: & macula non est in te*. Tota pulchra; quia tota deificata. Macula non est in te, quia Spiritussanctus superuenit in te, qui te mundauit. Sed & virgo gratiosis cumulata muneribus, tantæ benignitati Dauidico sermone respondet, summæ dignationis claritatem admirans. *Tenuisti manum dexteram meam; & in voluntate tua deduxisti me: & cum gloria suscepisti me*. Nota verborum positionem, differenti graduū distinctione signatam. *Tenuisti*, inquit, *manum dexteram meam*: quia etsi læua tua sub capite meo: dextera tua jam amplexatur me. *Et in voluntate tua deduxisti me*: non in mea sublimitate, quia totū opus gratiæ est, non naturæ: *& cum gloria suscepisti me*. Gloria vtique gloriosa, quam non nouit nisi qui dedit, & cui donare dignatus est. Attende autem diligentiam & consequentiam scripturarum. Spiritus enim sanctus, in cujus fabrica tam noui quàm veteris testamenti fuit compositio fabricata, Ascensionem filij, & matris Assumptionem, simili stylo perambulans, ter interrogat: *Quis est iste*, & tertiò repetit: *quæ est ista*. Primum de Filio, postea de matre videamus. In spiritu fortitudinis Salvator ad inferos descendens; contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit: & gehennalis ollæ dissipatis fragminibus, totum illud infelix habitaculum ruinosa concussione subcussit. Conclamātibus Angelis, *Attollite portas principes vestras*; illi qui superbiæ lapsu irremediabili corruerunt, ignorantia dedignatiua retorquent. *Quis est iste Rex gloriæ?* Hic est ille insipiens, qui dixit in corde suo, *Non est Deus: & nescio Dominum, & Israël non dimit-*

*Dies Assumptionis celebris.*

*Assumptio Virginis quàm gloriosa.*

*Occursus gloriosior in Assumptione, quàm in Ascensione.*

*Cantic. 4.*

*Psalm. 72.*

*Psal. 23.*

*Cantic. 6.*

*Psalm. 13.*

*Exod. 5.*

tam. Angeli pacis confidenter ingeminant. *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.*

*Psalm. 23.*

Fortis, ad vestram fortitudinem infirmandam: potens, ad vestram potentiam vacuandam. In prælio, illo vtique singulari, quo potestates aëreas singulariter debellauit. Resurgens autẽ ab inferis, & solemnis victoriæ vexilla reportãs; hominem vnitum sibi resuscitauit: & triumphatrici palma cœlis inuectus, Patri ouem centesimam, quam perdiderat, repræsentans, audit ab Angelis. *Quis est iste Rex gloriæ?* Sed & eisdem conclamantibus, *Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ*, cœlorum insonuere palatia; & tota supercælestis domus profusioribus gaudijs inundauit. Verè Dominus virtutum in resurrectione: virtutem faciens, quam ante non fecerat: redimens seruum, & pro seruo filium exponẽs. Clarissima autem ascensionis die, quando videntibus discipulis est eleuatus in cœlum, summum illud reuerendũmq; collegium venit obuiã Redemptori: & omnis illa, tam assistentiũ, quàm ministrantium Angelorum authoritas, cucurrit ad Filiũ, & ascendentem demirans, ait.

*Resurrectionis & Ascensionis Christi gloria.*

*Ibidem.*

*Quis est iste, qui venit de Edom: tinctis vestibus de Bosra?* Videntes enim eum sanguinei ruboris vnda perfusum, mirantur ejus potentiam, & sæuitiam Iudæorum, qui non sunt veriti filium Dei crucis ignominia condemnare. *Gradiens*, inquiunt, *in multitudine fortitudinis suæ.* Non solùm in fortitudine, sed & in multitudine fortitudinis: quia nulla fortitudo major, quàm redimere seruum, & in diuinitatis dextera perpetuò collocare. Hæ suntillæ voces, quæ descendentem ad inferos, ab inferis resurgentẽ, ascendentem ad cœlos, multiformi præconio prosequuntur. Sed jam vertendus est stylus ad Sanctã Sanctorum: & illorum verborum enodanda proprietas: quæ Virgini matri sunt specialiter dedicata. Sed vti superliminarem titulum in futuri fronte ædificij præponamus, dicamus breuiter, quia prima interrogatiò conuenit ejus natiuitati, secunda ejus conuersationi, Assumptioni tertia. *Quæ est ista*, inquit Spiritus sanctus, de ejus natiuitate: *quæ progreditur sicut aurora consurgens: pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Hæc est, quæ nesciuit thorum in delicto: Virgo Dei Filio singulariter consecrata, specialiter sancto consignata Spiritui. *Quæ progreditur*, inquit, *sicut aurora consurgens.* Quàm elegans & clara similitudo, & ex illius disciplina descendens, qui summum sapientiæ fontem in Canticis affluenter inclusit. In meridiano lumine primus ille parẽs creatus est, factus ad imaginem & similitudinẽ conditoris. Quid enim clarius, quàm creatum creanti non esse dissimilem? *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Imaginem dedit ei in æternitate, similitudinem in moribus: vt sit similis creatori, etsi non identitate, similitudine tamen. Sed ille tanti priuilegij dignitate rejecta, apostatæ spiritui falsa promissione delinitus inhæsit, & se cum posteritate sua, perpetuæ morti destinauit & tenebris. Ab illa hora tenebræ factæ sunt per vniuersam terram, vsque ad Virginem; nec inuentus est aliquis, qui vel exiret de tenebris, vel tenebras dissipasset. Sed mundo crescente creuit & tenebrosa vorago: donec in densissimam cõglobata nigredinem, humanũ genus nocte terribili sepeliuit. Hæc est illa nox solitaria, nec

*Isai. 63.*

*Ibidem.*

*B. Virgo Sancta Sanctorum.*

*Cantic. 6.*

*Genes. 1.*

*Imago & similitudo Dei in homine sita.*

laude digna, de qua scriptum est: *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransierunt omnes bestiæ syluæ:* quia crudeles & indomiti spiritus dimotis repagulis humanum genus totis viribus obtriuerunt. Sed nata Virgine surrexit aurora: quia Maria veri præuia luminis natiuitate sua mane clarissimum serenauit. Hæc est stella matutina in medio nebulæ, quæ in cœli cardine summo splendore coruscans, subditum orbem splẽdidioribus radijs incolorat. Hęc est aurora, quam sequitur, imò de qua nascitur sol justitiæ, solius solis claritati succumbens. Hæc est aurora, quam ille non vidit, qui videt omne sublime: & orat beatus Iob, vt ei multa suppressione claudatur dicens: *Non videat ortum surgentis auroræ. Tuus est dies*, Domine, in quo Adã est conditus: *tua est nox*, in qua Adam à die est ejectus: *tu fabricatus es auroram:* id est Virginẽ matrem, *& solem*, solem scilicet justitiæ, qui de Virginali thalamo consurrexit. Sicut aurora terminum noctis, principiũmque diei adesse testatur: sic & Virgo noctem expulit sempiternã; & diem de die de terra suæ virginitatis terris infudit. *Progrediens*, inquit, quasi procul egrediens: procul enim, & de vltimis finibus pretiũ ejus. *Aurora:* quia noctis finis, & lucis initium. *Consurgens*, quia de cadente supersurgens materia. *Pulchra vt luna.* Quid luna pulchrius, cùm stellis coruscantibus in signifero limite reliquorum siderum splendorem excedit? Considera quàm stellans, & serena vibratio, quàm luminosus fulgor circularem orbem tanti sideris superfundat: vt aliorum luminum claritatem non mediocriter obfuscet. Sic & Virgo inter animas Sanctorum & Angelorum choros supereminens & evecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit. Quantumlibet aliæ stellæ reluceant: luna tamen & magnitudine præminet & splendore. Sic vtrãmque naturam virgo singularis exuperat, & immensitate gratiæ, & virtutum fulgore. *Electa vt sol.* Hanc attende similitudinem, qua nulla in rebus mundi potest esse sublimior. Nihil enim habuit spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui Virginis excellentiam compararet. Multò enim altius aliquid habet claritas solis quam lunæ: quia etsi illa minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat. Hic vero lucidiùs incandescens, ita sibi siderũ & lunæ rapit positionem, vt sint quasi non sint: & videri non possint. Similiter & virga Iesse veri præuia luminis, in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorũmque spiritũ hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis, nec possint, nec debeant apparere. An putas, quòd non cõtremiscat tota rationalis creatura, ad contemplationem tantæ dignationis? Considera, & quæ in cœlis, & quæ in terris, in Virgine refabricata; Deum, qui cœlum palmo metitur, virginei ventris breuitate conclusum: redemptionem hominum, Angelorum restaurationem: denique quicquid est, fuit, & erit, per Virginis vterum renouatum: & tunc tibi cogitatio suggeret, quòd locutio demonstrare non potest. *Electa*, inquit, sed & prælecta, *vt sol.* Quia sicut sol solus orbem illuminat, sic hęc sola solidiori lumine, & Angelos & homines illustrat. *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Terribilis dæmonibus, ordinata virtutibus: singularis timor malignorum spirituum; specialis amor ciuium beatorum. Sequitur de ejus con-

*Psalm. 103.*

*Beata Virgo stella matutina.*

*Iob 3.*

*Psalm. 73.*

*B. Virgo aurora est.*

*Vt B. Virgo soli similis sit.*

*Cantic. 6. B. Virgo dæmonibus terribilis.*

*Cantic. 3.* uersatione. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris: & vniuersi pulveris pigmentarij? Ista est speciosa inter filias Ierusalem.* *Mundus desertum dicitur.* Desertum est vastitas hujus mundi, in quo bestiæ agri frequentiùs ludunt, vbi Princeps ille nequissimus omni fortitudine principatur. Desertum autem dicitur, quasi derelictum à virtutum administratione; cùm earum conuentus abundante iniquitate ad proprios ortus reuolauerit. *Quæ ascendit*, inquit. In hujus sæculi vanitates, omnes vel descendere, vel cadere cognoscuntur: rarúsq; qui non vel descendat vel cadat in hujus turbulentissimæ profunditatis oceanum. Sola illa mater & filia Creatoris nec descendit nec cecidit, sed de virtute in virtutem ascendens, consummatione virtutum vestita est. Qualiter autem ascẽdit? Sicut virgula fumi. Sed & hæc comparatio quàm significanti sit signata similitudine, recollige. Virgula fumi recta est, subtilis, odorifera: quantomagis in aëra extenditur, tãtomagis dilatatur. *B. Virgo virgula fumi.* Sic & Angelorum Regina recta est in sublimitate conuersationis, quia virga directionis virga regni tui: subtilis in deitatis contemplatione, quia ipsa conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. *Luc. 2.* Odorifera in virtutum opinione, quia currimus in odore vnguentorum suorum. Angusta in temporalibus, quia non erat ei locus in diuersorio: in spiritualibus dilatata, quia astitit Regina à dextris tuis. Hæc est virga illa, qua retunditur impetus aduersariorũ dæmoniorum: virga Aaron, per quã fiunt signa & prodigia. Baculum autem crucẽ intellige, quo non solùm verberatus est, sed & occisus ille insatiabilis homicida, qui mortibus hominum pascitur & nutritur. In Virgine Maria, & baculo cruce: miserorum spes & consolatio continetur: sicut sublimis Propheta clara voce declarat. *Psalm. 22.* *Virga*, inquit, *tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Sequitur, *Cantic. 2.* *Ex aromatibus myrrha & thuris.* Nominantur species, de quibus aromatica virgula subleuatur, myrrhæ & thuris. Myrrha corpora dissoluta consolidat; & cadauer exanime sibi vendicat, ne putrescat. Thus autem Deo in oratione offertur sicut scripturarum testimonijs edocemur. In myrrha continentiam; in thure deuotionem intellige. *Virginis caro maculas Adæ nō admisit.* Caro enim virginis ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit: sed singularis continentiæ puritate in candorem lucis æternæ conuersa est. Porro quis ejus deuotionem votiuis laudibus poterit adæquare, cùm rememorarit missum Archangelum, superuenientem Spiritũ, Filium conceptum, Deum natum, stellam novã, Magorum gloriam, munerum gratiam, & super hæc omnia testimonium conscientiæ suæ? Hæc sunt duo, quæ virginalem aulam vel substantiã, tota circumdedere virtute, continentia scilicet & deuotio; quorum alterum carnem, alterum mentem ita possedit, vt caro mundissima, mens purissima, genitricem Domini singulariùs consecrarent. Sed ne putares, his solis duabus virtutibus insignitam dominam orbis, & Reginam cœlorum, subsequitur scripturarum authoritas. *Et vniuersi pulueris pigmentarij.* Hic expressum est, quicquid exprimi potuit. Integræ species odorem quidem reddunt, sed magis confractæ. Crebris enim tunsionibus supertritæ, remotiorẽ etiam locum odorifera conspersione refundũt. Sic & virtutes in pace quidem fortiter redolẽt, sed fortiùs in tribulatione: quia virtus in pace adquiritur, in persecutione probatur, in victoria approbatur. Vniuersus ergo pulvis pigmentarius in virgine congestus est: quia in ea virtutum conuentus reuerendum sibi thalamum cõsecrauit: *In B. Virgine plenitudo gratiæ.* & si cæteris per partes spiritus affuit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ superuenit. Nec integræ fuerunt in ea species, sed in subtilissimum pulverem comminutæ: quia ipsa est, quæ fortioribus tribulationum malleis superpressa, vidit suum & Dei filium affigi cruci, lancea vulnerari, & inter duos latrones positum expirare. Sequitur de ejus Assumptione. *Cantic. 8.* *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens: innixa super dilectum suum?* Hæc est Regina illa, quam videntes filiæ Sion, beatissimam prædicauerunt, & reginæ laudauerunt eam. Ascendit autem hodie de deserto, id est de mundo, ad regalis throni celsitudinem sublimata. *Delicijs*, inquit, *affluens.* Verè affluens, quia multæ filiæ congregauerunt diuitias: hæc supergressa est vniuersas. Deliciarum autem non est numerus: quia dum Spiritum sanctum suscipit, concipit Dei filium, Regem gloriæ generat, penetrat cælos cumulata diuitijs, & delicijs affluens, ad regnum euolat sempiternum. *Innixa super dilectum suum.* Rex virtutum dilecti pater est, in quo sibi bene complacuit. Super hæc innititur mater illa felicior, & in aureo reclinatorio diuinæ Majestatis incumbens, inter sponsi, imò filij, brachia requiescit. O quanta dignitas, quã specialis potentia inniti super illum, quem Angelicæ potestates reuerentur aspicere. Hæc sunt ergo, quæ præsenti festiuitati, sub vmbris & imaginibus dignanter alludunt: & sacratiore tegmine conuelata, gratiosiùs lucent: quàm potuerint huc vsque in editis reuelari. His succinctè de matre misericordiæ expositis, rogemus eam: vt solita pietate pro miseris filium suum Deum & Dominum nostrum exorare dignetur, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorũ.

## SERMO. *In Natiuitate B.* MARIÆ.

*De eo quod scriptum est:* Fecit Rex Salomon thronum. *3. Reg. 10.*

DE gaudijs properamus ad gaudia, & feruentem stylum gloriosa materia facit feruentiorem. De Virgine venimus ad Virginem, de Maria ad Mariam recurrimus. Bonũ est nos hic esse, melius immorari, optimum permanere. Felices Angelici spiritus, qui beatæ Virginis habent præsentiam: nos interim memoriam abundantiæ suauitatis suæ eructamus. Illi præsentiã, nos memoriam. Si sic dulcis est memoria; quid erit de præsentia? Et illi quidem abundantiori rore diuinitatis infusi, genitum & genitricem visione mirabili contuentur, Regis & Reginæ gloria cumulati. Nos verò quos carceriæ mortalitatis ærumna contorquet, memoria pascimur, scripturis releuamur: & quod illi vident nos legimus. Vtinam veniat dies, qui nos in lucem reponat: vbi non legere liceat, sed videre. Interim consolemur nos suauitate memoriæ, donec dulcedine præsentiæ satiemur. *Virgo est thronus veri Salomonis.* Hodie nata est illa, per quam omnes renascimur: cujus speciem concupiuit omnipotens, & in qua Deus posuit thronum suum. Ipsa est thronus ille mirabilis, de quo in regnorum historia legitur in hæc verba. *3. Reg. 10.* *Fecit Rex Salomon thronum de Ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis: per*

*sex gradus ascendebatur ad eum.* Rotundus erat in posterioribus. Duodecim leunculi stabant super gradus respicientes ad thronum. Porrò duæ manus tenebant hinc & inde sedile. Duo
*3. Reg. 10.* leones stabant juxta Barachiola, *Non est factum simile opus in vniuersis regnis.* Sed jam verba proposita producamus in lucem, & aquam eliciamus de petra, ipsa loquente in nobis, de qua vobis loqui proponimus. *Fecit*, inquit scriptura, *Salomon Rex thronum de ebore grandem.* Tribus nominibus in scripturis Salomonem vocatum legimus, & vbique nomine regio titulatum: Salomonem scilicet, Ecclesiasten, Ididā. Christus
*Christus est Salomon, Ecclesiastes, & Idida.* filius Regis imò Rex, nec solum filius Dei, sed & Deus, Salomon, id est pacificus; est nobis in hoc exilio: Ecclesiastes, id est concionator, erit in judicio. Idida, id est gloriosus, erit in regno. In exilio amabilis; in judicio terribilis; in regno admirabilis. In exilio pius; in judicio justus; in regno gloriosus. Vide autem, si non vbiq; Rex. In exilio rector morum; in judicio discretor meritorum: in regno præmiorum distributor. Simulque considera, quia non Ecclesiastes, non Idida, sed Salomon, tam gloriosum opus facere prænotatur. Auerte oculos tuos ab illius terreni regis delicijs, qui licet fuerit sapientiā singularis, sublimis gloriā, rebus affluens, pace securus; non tamen opus tale potuerit, quale factum non sit in vniuersis regnis. Numquid sacræ Scriptor historiæ, omnia opera mundi, & gloriam eorum, intuitu diligenti prospexerat: vt hoc statim tota deliberatione, non vni, sed omnibus anteferret? Ludicra sunt hæc, si non recurramus ad intimos cœlestis disciplinæ recessus: si non deviamus à via literatoriæ qualitatis. Salomon noster, non solùm sapiens, sed & sapientia patris; non solum pacificus, sed & pax nostra, qui fecit vtraque vnum: fecit thro-
*Thronus Christi est vterus B. Virginis.* num, vteri scilicet intemeratæ virginis, in quo sedit illa Majestas, quæ nutu concutit orbem. Hanc sessionem Filij & probauit & cognouit Pater, ipso dicente. *Tu cognouisti sessionem meā.*
*Psal. 138.* Thronus tuus Deus in sæculum sæculi: & thronus iste sicut sol in conspectu tuo. *Sedes*, ait scri-
*Psalm. 9.* ptura, *super thronum, qui judicas æquitatem.* Quid enim justius, quàm vilem & transfugam servum, & conservi sui sedulum deceptorem, perpetuis ignibus adsignare; & illum quem fefellerat, suo resignare principio? Ait ille alter
*Apocal. 19.* filius virginis. *Et vox de throno exiuit dicens, Laudem dicite Deo nostro omnes sancti ejus.* Ex hoc throno laus Angelorum prorumpit & hominum: quia dum hic restituitur, & ille resarcitur, vtrique gratiarum debent deuotionem.
*Ibid. c. 21.* Nosti, quidnā dicat, qui sedet in throno? *Ecce*, inquit, *noua facio omnia.* Felix thronus, in quo sedet dominator Dominus: in quo & per quem non solùm omnes, sed & omnia renouantur. Meritò ergo tale opus, non alloquenti, non glorioso, sed pacifico dicitur assignatum; quia venit Iesus instaurare, & quæ in cælis, & quæ in terris: pacémque & concordiam inter homines & Angelos mediante Virgine reformare. *De Ebore*, inquit. Quid est, quod aurum & argentum, & lapides preciosi; & omnis preciosioris materiæ prætermittitur gloria? Sola eboris substantia tantæ capax est compositionis; & fabricatur in ea, quod omnibus operibus præferatur? Ebur & mirabili candore lucidum est, & multa præeminet fortitudine, frigidiorisque naturæ sortitur auspicium. Et quid candidius illa virginitate, quæ singularis aspectus suigratia supercælestem curiam allicit ad videndum? Quid fortius illa fortitudine, per quam Domini fortitudo vasa diripuit fortioris? Quid frigidius illa substantia, quam obvmbrauit virtus altissimi, & ab æstu peccati defendit superueniēts Spiritus plenitudo? Sequitur. *Grandem.* Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ diuinitatis infra sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphim, & in illius superioris naturę supervola dignitatem; & videbis quicquid majus est, minus virgine; solúmque opificem opus istud supergredi. *Et vestiuit eum auro fulvo ni-*
*mis.* Aurum omnibus metallis pretiosius, intel- *3. Reg. 10.*
lige diuinitatem Dei, omni præeminentem mūdo, omnia gubernantem. Hæc vestita est, imo superuestita mater altissimi: totámque virginē tota illa indiuisibilis natura largiori gratia superfudit. Quid est autē, quod dicit *fulvo nimis*? Hic aliquid nobis reliquit inquirendum Spiritus ille multiplex: & vtinam possim explicare quod sentio. Quatuor modis inest Deus
creaturis. Primo modo essentialiter, tam bonis quam malis: nihilque intercludit deitatis essentiam, per quam omnia esse cœperunt. Inde est, quod nusquam, & in omni loco esse legitur: cùm omnibus præsentialiter assistat, & à nullo comprehendatur. Habent etiam & mali Dei præsentiam: sed tamen non gaudeant, cùm inanimata quæque hoc possint priuilegio gloriari. Secundo modo inest bonis operatione, agit enim in eis virtus operatiua, vt operentur opera Dei: nec otiosè creati sunt inter creaturas, sicut & mali; qui elegerunt arescere, vt sempiternis ignibus alimenta ministrent. Inest & plerisque bonis illuminatione; quos de futurorum cognitione nobilitat, & participes suorum efficit secretorum: & hic est tertius modus. Quarto modo inest vni creaturæ, videlicet Mariæ Virgini, identitate: quia idem est quod illa. Hic taceat & contremiscat omnis creatura: & vix audeat aspicere tantæ dignationis immensitatem. *Dominus tecum*, inquit Archangelus. Habitat in Angelis Deus; sed non cum Angelis: qui non est cum illis ejusdem essentiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem. Hæc est ergo aurum fulvum nimis, quo thronus vestitus est; quia tali modo Deus virginem induit, & in virgine indutus est, vt meliori non posset. Sequitur. *Per sex gradus ascendebatur ad eum.* Elige meditari, quæ sancta sunt, quia peruersæ cogitationes sæparāt à Deo, & primum gradum ascendisti. Insuesce linguam tuam bene loqui, & subsilisti ad secundū. Iustè quod justum est operare, & tertium ascendere meruisti. Doce iniquos vias Domini; & consolare lugentes, & ad quarti sublimitatem raptus es. Relinque mūdum, & ea quæ in mundo sunt, & ad quinti cacumen euolasti. Teneat te perseuerantia, imò tu perseuerantiam non relinquas, & sextum gradum viriliter ascendisti. Ex hoc subsilire licet in cœlum, & ad illam gloriā aspirare, in qua Regina gloriosior Angelicam reuerberat dignitatem. Sequitur. *Rotundus erat in posterioribus.* Posteriora Virginis Assumptionem ejus intellige: in qua finem mortalis vitæ accepit, quæ vitam reddidit orbi. Et nota, cum quāto sacramento transitum Virginis scriptura cōparet rotunditati. In rotundo nec principium

*Deus quatuor modis inest creaturis.*

*Deus vni modo soli inest Virgini.*

*Luc. 1.*

*3. Reg. 10.*

*Qui sint sex gradus.*

*3. Reg. 10. B. Virginis posteriora, quæ sint.*

nec finem poteris inuenire. Ita & gloria, quæ eam de hoc mundo transeuntem excepit, principium ignorat, finem nescit: de qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia *gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*. Sequitur. *Duodecim leunculi stabant super gradus duodecim*. Leunculi, duodecim Apostoli sunt, qui præfixis gradibus validiùs insistentes, Reginam cæli non sine maximo stupore mirantur, & dicunt. *Quæ est ista quæ ascendit*, &c. Porrò duæ manus tenebant hinc & inde sedile. Duæ manus, actiuam & contemplatiuam vitam significant, quę matrem Virginem propensiori diligentia ambierunt: vt nec actio contemplationem minueret, & contemplatio non desereret actionem. Recordare, quia non erat ei locus in diuersorio: quomodo filium suũ proprijs vberibus lactauerit: & omnes denique vagientis pueri sustinuerit actiones; & tunc intelliges, quia plurimùm ministrauit. Considera, quia ipsa est, quæ in contemplatiuæ dignitatis supervecta dulcedinem, in ipsius Dei substantiã lucidiores invexit obtutus. *Læua*, inquit, *ejus sub capite meo, & dextera ejus amplexabitur me*, *Duo leones stabant juxta brachiola*. Duo leones sunt Gabriël Archangelus, & Ioannes Euangelista: quorum alter dexteræ Virginis, alter sinistræ custos est deputatus. Gabriël enim mentẽ, Ioannes carnem pervigili solicitudine seruauerunt. Qui bene leones dicuntur, propter rugitũ altisonæ vocis. Duo enim verba nuntiauerunt orbi terræ, qualia nec dicta sunt, nec dicentur: & in quorum comparatione omnia muta debeat apparere. *Aue Maria gratia plena Dominus tecũ*: ait Archangelus. Audisne in hoc verbo Incarnationem Dei, Redemptionem hominum, renouationem mundi? *In principio erat Verbum*: ait Ioannes. Animaduertis hic verbi Diuinitatem, Ecclesiæ fidem, hæreticorum silentium, locum quietis, secretum solitudinis, luminis serenum, habitaculum pacis. Ob hanc fortassis causam, vocauit Iacobum & Ioannem Boanerges: id est filios tonitrui. *Non est factum simile opus in vniuersis regnis*. Nihil verius, nihil sublimius, nihil dulcius miseræ mortalitati, & mortali miseriæ. Etsi multa magna facta sunt in creaturis mundi, nihil tamen tam excellens, tam magnificum, fecerunt opera digitorum Dei. Virgo Dei genitrix, cujus pulchritudinem sol & luna mirantur; subveni domina, clamantibus ad te jugiter. Reuertere reuertere Sunamitis: reuertere, reuertere: vt intueamur te. Tu benedicta & superbenedicta, reuertere primò per naturam: numquid, quia ita deificata, ideo nostræ mortalitatis oblita es? Nequaquam domina. Scis, in quo discrimine nos reliqueris: vbi jaceant miseri tui, quantum delinquant serui tui. Non enim conuenit tantæ misericordiæ, tantam miseriam obliuisci: quia & si subtrahit gloria, revocat natura. Non enim ita memoraris gloriæ Dei solius, vt misericordiam non habeas: neque ita es impassibilis. Naturam nostram habes, non aliã: & justum est, vt de rore tantæ pietatis, diffusiùs infundamur. Reuertere secundò per potentiam. Fecit in te magna, qui potens est: & data est tibi omnis potestas in cælo & in terra. Quid tibi negabitur, cui negatũ non est, Theophilũ de ipsis inferni faucibus reuocare? Infelicem animam, totum illud quod in te factum est, denegantem, de luto fæcis & miseriæ subleuasti: nilque tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis releuare. Quomodo enim illa potestas tuæ potentiæ poterit obuiare; quę de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare: non solum rogans, sed imperans: domina, non ancilla. Moueat te natura, potentia moueat; quia quantò potentior, tantò misericordior esse debes. Potestati cedit ad gloriam, injurias vlcisci nolle, cùm possit. Reuertere tertiò per amorem. Scio domina, quia benignissima es, & amas nos amore inuincibili; quos in te, & per te, filius tuus, & Deus tuus, summa dilectione dilexit. Quis scit, quotiens refrigeras irã Iudicis: cùm justitiæ virtus à præsentia deitatis egreditur? Reuertere quartò per singularitatẽ. In manibus tuis sunt thesauri misericordiæ Domini; & sola electa es, cui gratia tanta conceditur. Absit, vt cesset manus tua: vt non occasionẽ quæras saluandi miseros, & misericordiã effundendi. Neque enim tua gloria minuitur, sed augetur; cùm pœnitentes ad veniam, justificati ad gloriam assumuntur. *Reuertere* ergo *Sunamitis*, id est despecta: cujus animam pertransiuit gladius: quæ fabri vxor appellata fuisti. Ad quid? *Vt intueamur te*. Summa gloria est, post Deum, te videre, adhærere tibi, & in tuæ protectionis munimine demorari. Audi nos: nam te filius nihil negans honorat, qui est benedictus in sæcula.

*Psalm. 86.* *3. Reg. 10.* *Cantic. 6.* *Actiuam & contemplativam vitam B. Virgo eg t.* *Cantic. 2.* *3. Reg. 10.* *Luc. 1.* *Ioann. 1.* *Marc. 3.* *3. Reg. 10.* *Theophilus ope B. Virginis ereptus.* *Injurias nõ vlcisci gloriosum.* *Cantic. 6.*

## Sermo *In Exaltatione Sanctæ Crucis.*

*Super*: En colligo duo ligna. *3. Reg. 17.*

De virga Iesse deuenimus ad virgam crucis: & principium redemptionis fine concludimus. Ex illa Iesus Christus virgo virga virgine mirabiliter est generatus: in ista martyr martyrum caput, & martyrij forma, turpiter est appẽsus. Illa virga directionis; virga virtutis ista. *Virga directionis, virga regni tui*; ait illud familiare sancti Spiritus organum; quia nihil virgine rectius, subtilius nihil. Audi & de alia. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*. Profectò crux fuit virga virtutis, in qua Dominus virtutum viriliter pugnauit & vicit. De istis duabus virgis ait Zacharias Propheta. *Assumpsi mihi duas virgas: vnam vocaui decorem, aliamque funiculum*. Virga decoris, vterus Virginis. *Pulchra*, inquit, *vt Luna*. Virga funiculi, lignum patibuli: disterminans vtrũmque regnum, Dei scilicet, & diaboli: imponens frænum malitiæ ejus; latámque ejus pervagatíonem validissima potestate coërcens. In hac confossum est latus innoxium, & ad horam crucifixus est innocens manibus, & mundo corde. Terribilis ille latro, cujus manus plenæ sunt sanguine, in hac iterũ confossus est & confectus. Sed Christus aliter; aliter ille. Christus ad momentum, ille in æternum. *Debellauit aërias potestates*, ait Apostolus, *& affixit eas cruci suæ*. Ex altera parte crucifixus est Redemptor noster, ex alia summus ille præuaricator. *Rex Hai*, narrat historia, *suspensus est in gemino patibulo*. Rex mortis in duplici patibulo suspenditur; quia dum Christum interficit, in ipsa cruce crucifigitur, quam invenit. Magnum sacramentum crucis: nec est aliquid hoc sacramento sacratius. Respice crucem stantem; & vide quàm recta cacuminatione de terris erigatur ad cœlum, & veritatem rei ipsa imaginatione protestetur. Nonne tibi videtur figura

*B. Virgo & crux virga sunt.* *Psalm. 44.* *Psalm. 109.* *Zachar. 11.* *Coloss. 2.* *Iosue 8.* *Dæmon in duplici patibulo suspensus.*

ejus cœlum & terram sublimi continuatione contingere? Hoc est firmissimum gluten & indissolubile, quo conglutinantur rationales creaturæ; vt ex vtrísque fiat illa ciuitas, cujus participatio ejus in idipsum. Vide etiam, quomodo quadrifaria ratione, quatuor mundi climata cōprehendat, & omnem ad se pertrahat creaturā. Astat Iesus in medio, quadrifida sui corporis parte distentus: & expansis manibus omnibus ad se venientibus ex omni parte, amplissimum misericordiæ sinum ostendit. *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Prorsus copiosa, non gutta; quia largiter vnda sanguinis de corpore Iesu per quinque partes emanauit. Sufficeret ad redemptionem orbis vna pretiosissimi sanguinis gutta; sed data est copia, vt virtus diligentis in beneficij redūdatione clarescceret. Sed ne fortè occurreret tibi, vt vbique terrarum currens, Redemptorem tuum inuenire non posses; à quacúmque mundi parte procedas, siue ab oriente, siue ab occidente, seu à meridie, vel à septentrione, paratus est ipse suscipere venientem, & blanda confouere dulcedine. Sed attende, quid tibi exprimitur de corde altissimi. Venis ad hominem crucifixum? Crucifixus venias, aut crucifigendus. *Qui enim Christi sunt, crucifixerunt carnem suam cum vitijs & concupiscentijs.* Sic dignum Christo, necessarium tibi. Sed jam ascende mecum ad verbi hujus celsiora fastigia; & vide, quidnā sit, quod egreditur. Scriptum est in regnorum historia, quia beata illa mater ait ad Eliam. *En colligo duo ligna.* Duo ligna, duo brachia sunt crucis. In his duobus Angelicam & humanam naturam intellige. Et illud quidem lignum, quod recta sublimitate tendit ad cœlos, superiorem accipe naturam, quæ stetit in rectitudine, & officiosissima devotione voluntati dominantis adhæsit: illud verò quod transversum est, humanam designat: quæ transversa, imò eversa, status sui perdidit æquitatem. Intuere, cum quanto sacramento jungantur. In vtróq; ligno fit scissio, & ex occasione vulnerum vnitior junctura cōponitur. Supercælestes spiritus non mediocre vulnus acceperunt, cùm Deus in Angelis suis reperit pravitatem. Nec contemnenda plaga, cùm eam resarciri oporteat: quia si non restituatur numerus, numerositas cadens facta videtur in vanum. Inferior verò natura à planta pedis vsq; ad verticem ita venenifera fermentatione infecta est: vt nesciat vnde veniat, aut quo vadat. Vtrorúmque igitur vulneribus non mediocriter hiantibus impressio facta est juncturalis: quę Christo conjungente ita est resarcita, vt nihil vulnificum videatur inesse. Christus enim in vtrísque, & pro vtrísque confixus, vtrósque cauilla corporis sui nectit: & corpus propriū juncturis opponit, ne valeant resilire. Crux ergo cœlum conjungit & terram. Christus in cruce trahit omnia, leo rugiens ibi ligatur, Angelus confœderatur & homo: totúmque per eam reficitur, quicquid fecerunt manus altissimi. Excede paulisper sensus carnis, & irruentia corporearum phantasmata voluptatum: & intuere divinæ naturæ bonitatem, suauitatem, dignationem. Meditare positionē crucifixi corporis; & vide, si aliquid est in eo, quod non totū perorret pro te apud patrem. Divinum illud caput multiplici spinarum densitate densatum, vsque ad cerebri teneritudinem confossum est, dum configitur spina. *Spinis peccatorum suorum*, ait Propheta, *circumdedit me populus iste.* Ad quid hæc? Ne doleret caput tuū, ne tua vulneraretur intentio. Caligaverunt in mortem oculi sui, & illa luminaria quæ illuminant orbem, ad horam extincta sunt. Nonne illis obtenebrantibus tenebræ factæ sunt per vniversam terram; & illa duo luminaria magna cum illis luminaribus submota sunt? Hoc totum factum est, vt auerterentur oculi tui ne viderent vanitatem; & si viderent, non adhæreret. Aures illæ, quæ in cælis audiunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth*, audierunt in terris, *dæmonium habet, & insanit: & crucifige, crucifige eum.* Vt quid hæc? Ne aures tuæ obsurdescerent ad clamorem pauperis, ne reciperent auditum vanū, ne detractionis virus apertis propitijsque auribus susciperent. Speciosa illa facies speciosi forma præ filijs hominum, sputis illita est; afflicta colaphis, addicta delusionibus. Sic námque scriptum est. *Cœperunt conspuere in eum, & percutere eum, dicentes. Prophetiza, quis est qui te percussit?* Quare hoc? Vt facies tua illuminaretur, illuminata confirmaretur, & diceretur de te; *vultus ejus non sunt amplius in diuersa mutati.* Os illud, quod docet Angelos, homines instruit; quod dixit, & factum est; felle potatum est & aceto. Sed & hoc factum est, vt veritatem & judicium loqueretur os tuum, & confiteretur Dominum Deum suum. Manus illæ quæ fundauerunt cœlos, extensæ sunt in cruce, clavísq; trāsuerberatæ durissimis: vt manus tuæ extenderētur ad inopem, & dicere posses. *Anima mea in manibus meis semper.* Quod tenemus in manibus, non facile obliviscimur. Sic & qui animam suam bonæ operationi imprimit, non tradit eā obliuioni. Pectus illud, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, lancea militari perfossum est: vt pectus tuum à prauis cogitationibus mundaretur, mundatū sanctificaretur, sanctificatum conservaretur. Pedes illi, quorum scabellum adorare debemus, quia sanctum est, dura transfixione transfixi sunt: ne pedes tui festinarent ad malum, sed currerent viam mandatorum Dei. Quid plura? Foderunt manus ejus & pedes ejus, dinumeraverunt omnia ossa sua. Pro te carnem & animam suam posuit: vt corpus & spiritum tuum sibi vendicaret, toto se totum te comparauit. Quid vltra debuit facere, & non fecit? Absoluit vinctum, illuminauit cæcum; quia *Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos.* Reduxit erroneum, reconciliauit reum; qui te portauit in humeris suis: qui pro te patri proprio sanguine satisfecit. Attende ergo consilium Dei tui, non solùm cū patre regnantis, sed & dulcissimi amici tui in cruce pendentis. Nec falli potest, quia sapientia est; nec fallere te vult, pro quo tam ignominiosam sustinet passionem. *Si quis*, inquit, *vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Audi consilium, non præceptum: si enim præceptum esset, quicúmque effectui non manciparent, possent cruciatus expectare perpetuos. Sed cùm dicit, si quis vult, in nostra positum est voluntate, vtrùm ex æquo currere cum eo festinemus. Grandis profectò labor, sed præmium incomparabile. *Post me:* post eum eundum est; quia ipse est veritas, ne decipiamur: per eum, quia ipse est via, ne aberremus; ad eum, quia ipse est vita, ne moriamur.

*Psal. 129.* — *Vna sanguinis Christi gutta quanti pretij.* — *Galat. 5.* — *3. Reg. 17.* — *Duo ligna Angelica natura & humana.* — *Sanè intelligenda verba hæc.* — *Crucifixi positio perorat pro nobis.* — *Isai. 6.* — *Matt. 11.* — *Ioan. 19.* — *Quid nos moneat Christus in cruce.* — *Marc. 14.* — *1. Reg. 1.* — *Psalm. 118.* — *Psal. 145.* — *Ioan. 12.* — *Sanè etiam accipiendum istud consilium.* — *Liberum arbitrium.*

*Ioann. 14.* Ego sum, ait, *via, veritas, & vita.* Sequitur. *Abneget semetipsum.* Primus ille parens præfixis obedientiæ legibus coarctatus, in campum malæ libertatis exiuit. Acceperat in præcepto, vt voluntatem Creatoris suæ præponeret: sed vsus, imò abusus propria voluntate, cùm habere se voluit, perdidit seipsum. Depulsus ergo ab illa felici hereditate, exilium sortitus est pro patria, mortem pro vita, pro gloria ignominiam. Si vis ergo ad tuam hereditatem reuerti, tuam abnega voluntatem. *Per abnegationem duo expugnãda.* In hac abnegatione duo sunt, aduersus quæ pugnare, & quæ expugnare oporteat: elatio in mente, voluptas in corpore. Fuge Regem, & Regis exercitum; id est superbiã; & superbiæ prolem; & illum secutus imò consecutus es, qui dixit. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* *Matth. 11.* Pretiosa vestis, epulæ lautiores, & voluptas secretior, longè sint à te: & carnes tuas timore Domini confixisti. Abnegatio igitur voluntatis, hæreditatis est recuperatio. *Tollat crucem suam.* Si non cecidisset Adã, & in illa sui status dignitate mansisset, esset tamen alias euocandus; & in ordinem promouendus Angelicum. Ob duplicem enim causam factus erat, & ad resarciendum numerum imminutum; & ad illum implendum, qui deerat, si Angelus non cecidisset. Quia igitur per propriæ voluntatis abrenunciationem nobis hæreditas redditur, consequenter per crucis portationem grata illa societas beatorum spirituum reparatur. Duo iterum sunt, quæ in hac crucis portatione nos habere oporteat: vt læsi non lædamus, & benefaciamus lædentibus. *In crucis gestatione duo sunt habenda.* Magnum quidem, & vltra hominem est: verborum asperitatem, & verberum, non solum pati, sed & non reddere. Illud vero majus est, & diuinum quiddam sapit, benefacere his, qui oderunt te. Magister noster & Dominus, Christus filius Dei, & lædentes patienter pertulit, & benefecit lædentibus dicens. *Luc. 23.* *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Audi beneficium, dum fel ori, claui manibus, lancea lateri apponerentur; os manus & latus agebant pro inimicis. Vide ergo si Angelicæ dignitati justè hæc assignauimus. Hæc enim duo illorum proprietati sunt propria. Quotidie illos ad nostri custodiam deputatos multipliciter offendimus: & offensam negligentia cumulamus. *Angelorum custodum in nos pietas.* Ipsi autem, licet à nobis frequenter injurias patiantur, compatiuntur tamen peccantibus. Nec minor illorum circa nos custodia, imò major sollicitudo, cùm boni custodis sit, infirmis magis quàm sanis, operam exhibere. Sequitur. *Matt. 16.* *Et sequatur me.* Et si in sui abnegatione reuocatur hereditas, & in tollendo crucem dignitas Angelorum, in imitatione Christi summa nobis felicitas reseruatur. Hic est virtutum consummatio, finis cursus, principium præmiorum. Sed in hac imitatione duo sunt adimplenda: videlicet vt magistrorũ subdaris imperijs, & perseuerantiam non amittas. Ita planè poteris sequi Christum; qui non venit facere voluntatem suam, sed ejus qui misit illũ: & qui pro eadem voluntate non timuit ponere animam suam. Quo fructu, qua vtilitate, quo præmio? *Ioann. 12.* *Vt vbi sum ego,* inquit; *illic sit & minister meus.* Quanta est dignitas esse cum Deo, beatis interesse spiritibus, & in illum cœlestem conventum perpetuò numerari. Vide ergo, ne rursus tibi met ipsi crucifigas filium Dei, & ostẽtui habeas: rursus fabricans crucem, in qua crucifigatur ille, qui resurgens à mortuis, jam non moritur. *Rom. 6.* Intuere, ne mortiferam crucem efficias: *Crux quædam mortifera.* in qua facias Dei filium amaris doloribus interire. Superbia superiùs, inferiùs luxuria, à dextris prosperatio iniquitatis, à sinistris aduersitatis desperatio, spinas, clauos, & lanceam, filio Virginis repræsentant. Cùm enim elevaris & ambulas collo extento, caput altissimi spinarum multiplicitate contorques: *Qui fabricetur.* & hic à superioribus superare contendis, illi similis, qui se similem altissimo cogitauit. Scriptum est, *Iac. 4.* *Deus superbis resistit,* illis scilicet, qui cum eo ex æquo stare contendunt. Cùm ponis oculos tuos, vt non respicias cœlum; & voluptuosis carnis tuæ motibus moueris & traheris; durioribus clauis pedes omnipotentis transverberas. Ab inferiori infers supplicium, dum momentanea voluptate voluntatem dominantis excludis. Cùm prosperaris in iniquitate, & feliciori cursu rerum peccata peccatis accumulas: clauum ponis in illius dextera, quem de suis bonis persequi non desistis. Cùm verò abundantiori tristitia absorberis: & tuam impietatem ejus pietati præponderas, sinistram ejus transfigis, & conceptum furorem furore tuæ desperationis amplificas. Cùm verò præsumis defendere, quod fecisti, lancearem ictum lateri Salvatoris intorques. Nihil grauius ingeris crucifixo, quàm tueri quod odit. De hoc enim peccato scriptum est. *Psalm. 58.* *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.* Vides ergo, quanta differentia inter vtramque crucem perambulet? Relinque ergo crucem, quam tibi fabricasti, & gloriare in cruce Domini nostri: qui est benedictus in sæcula.

## Sermo In Festo Angelorum. De sex alis eorum.

Circa rerum cardinem versamur, & magnificentiam operum Domini stylo prosequimur impolito: nec est præsumptio, sed deuotio: quia non temerarij scrutatores, sed pij pulsatores accedimus. Honorauerunt siquidem stylum majestas virginis, & dignitas crucis, & vtrumque præsumpsimus, vtroque salvati. Nũc ad Angelos sermonem conuertimus, & illius purioris naturæ contemplamur originem: & hoc quidem convenienter. In primis namque locis illa duo prima posuimus, quæ sibi primatum vendicant in rerum creaturis. Tertium autem locum sortiuntur Angeli, sicut in cœlo, ita in scripto; *Tertium locum habent Angeli in cœlo.* sentit anima, quod continet pagina, & authoritas ratione munitur. Beata illa regio supernarum virtutum: in qua felices spiritus circumvolant Dominum, & sublimi pennarum applausu, in plateis supernæ Ierusalem, *Sanctus, Sanctus,* clara voce decantant. *Isai. 6.* *Vidi,* inquit Propheta, *Dominum sedentem super solium excelsum,* &c. Singula ista verba suo pondere librata sunt, & diligentem quærunt expositorem: cujus nos immunes insipientia & ineloquentia facit. Tentabimus tamen aliquid exsculpere; si non ita solemniter, veraciter tamen. Visio hæc corporalis non est, sed spiritualis: non phantasticis involuta præstigijs, sed pura, & purioris intelligentiæ desiderat sanctitatẽ. Hanc non vident, nisi videntes, & qui mundi caligine supergressa, splendorem diuinitatis lucidissima mente suscipiunt. Et vt breviter eam diffiniamus, spiritus Dei nostro spiritui dulciter applicatus, hanc

efficit visionem, cùm nos de præscientia cumulat futurorum. Hoc igitur modo ille totius Prophetalis eloquentiæ gloria, vidit Dominum & sedentem. Filius Dei triginta & tribus annis servus fuit, non Dominus; minister vilis, non gloriosus: & licet dixerit Discipulis suis, *Vos vocatis me Magister & Domine, & ego sum lux mundi:* pauci tamen verborum altitudinem notauerunt: Pharisæis inuidentibus, Iudæis non credentibus, & illum arguentibus præsumptionis. Sed postquam resurrexit à mortuis, & in triumphali sede receptus est, Imperatoria decreta propalata sunt orbi: fixitque crucifixus in totam mundi latitudinem dominationis insigne. Iam majestatiuis nominibus circumfunditur ille pauper & vnicus, & seruilium nominũ vilitate dimota, Rex Regum, & Dominus dominantium, multa luce refulgurat. Vidit ergo eum filius Amos, non humilem, sed sublimem: non judicatum, sed Iudicem Angelorum. *Sedentem,* inquit. Triplicem legimus Domini sessionem; vnam post mundi creationem, quando requievit ab omni opere, quod patrarat; aliam post ascensionem, quando assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei: tertiam post resurrectionem, cùm sederit in sede majestatis suæ, & nos cum eo sedebimus. Solet quietem labor præcedere, statio sessionem. Sed quando laborauit illa majestas, quæ nec afficitur passione, nec labore distringitur? Audi quomodo. Plurimus ei labor incubuit, cùm illum pessimũ præsumptorem de cœlis ad inferna detrusit: & hominem peccato penè simili comprehensum, de paradiso voluptatis in ærumnosum immisit exilium. Quantum putas tumultum in cœlestibus efferbuisse palatijs, cùm mortifer ille vastator irreparabile dissidium in illa cœlesti curia fabricavit? Conventum proscidit Angelicum, & agmina stellantia secum traxit in mortem. Desævijt tunc omnipotentis indignatio, totáq; divinitatis dextera percussus est inimicus, & in perditionis devolutus abyssum. Huic tam graui damno, tã graviter vindicato, successit & aliud. Peccauit námque ille, qui huic resarciendæ ruinæ fuerat subrogatus: propter quem omnia subcælestia fuerant constituta. Peccante autem illo, multùm splendoris sidereis detractum luminaribus, totámque elementorum materiam infectio deploranda confudit. Nondum aversus erat furor Domini, sed adhuc manus ejus extenta; & dexteram ejus singulari vulnere fatigatam provocauit in se fragilis & lutosa substantia: sensitque reliquias fulminei furoris miser homunculus; & personale delictum proscripsit vniuersos. Deturbatus igitur frequentibus injurijs rationabilium creaturarum Dominus majestatis, & super suis hostibus vindicatus, cadentes Angelos cum desperatione damnavit: & hominem castigavit in spe, prævidens quanta bona de illius peccato esset facturus. Et ob hoc fortassis Angelicum peccatum in scripturis non invenitur expressum; ne scripturæ mandaretur, quod emendari non poterat. Requievit ergo Deus, rationabili fine tantis malis imposito. Sed rursus tactus dolore cordis intrinsecùs: & peccantium hominum enormitate gravatus, deleuit, quem creaverat hominem, & diluvium inhabitare fecit. Nec hoc contentus; super Sodomam & Gomorrham ignem pluit & Sulphur: Ægyptios submersit in fluctibus: Israëlitas prostrauit in eremo: vbique turbulentioris Domini repræsentans imaginem. Ad extremum venit ipse, nube nostræ carnis obtectus, & dolorum particeps & laborum, obedientiam didicit, ex his quæ passus est. Consummata autem carnis susceptione, assumptus est in cœlum & sedet à dextris Dei. Nec tamen sedet ad plenum; quia adsistit adhuc vultui Dei pro nobis. Erit autem ei tertiò sessio gloriosa, cùm bonis & malis diuerso fine diversisque clausulis inclusis, sedebit in sede majestatis suæ: cùm nos traxerit ad se, & erit Deus omnia in omnibus. Prima sessio est gratiæ, qua gratis omnia fecit. Secunda misericordiæ, qua nos misericorditer redemit. Tertia gloriæ; cùm nos justificabit. Simúlque attende sedentis gloriam, & excellentiam sessionis; vbi nulla creatura sedere pręsumit. *Seraphim,* inquit *stabant*, non sedebant. *Vidi Dominum, & vniuersam militiam cæli adsistentem ei*, ait Propheta. Assistentem ait, non sedentem. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, ait Daniel. *Omnes Angeli stabant in circuitu throni*, ait Euangelista. Et alibi. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus Gentibus, & populis, & linguis, stantes ante thronum.* Sed & Virgo singularis astat à dextris in vestitu deaurato. Moyses vt videat Dominum transeuntem; stat in petra; & Elias stat in conspectu Domini; & omnis creatura in conspectu diuinæ majestatis adsistit. Solus ille transfuga spiritus, dissensionis principium, princeps malitiæ, malorũ summa, voluit consedere. *Sedebo,* inquit, *in monte testamenti*. Omnes stãt, omnes ministrant, & tu pacis inimice sedere præsumis? Ipse filius, idem quod Pater, sedere nescit, donec dicat ei pater, *Sede à dextris meis.* Talem vidit eum Isaïas, & dominatorem vniuersæ terræ, & in aureo throno suæ diuinitatis sedentem, in illa secunda sessione, qua carnem nostram cœlis invexit. Sequitur. *Super solium excelsum.* Excelsum solium, Angelicam naturã intellige, primam omnipotentis creationem, & primariæ dignitatis præditam potestate. Super hanc sedet & superuehitur filius Virginis, susceptúmque hominem ordinibus prævehit Angelorum, quia etsi minor est naturâ, fortior est gratiâ. Si magna dignitas, major voluntas Dei, quam omni naturæ nexu summus ille Philosophorum astruit altiorem. Eleuata est ergo magnificentia Dei, non solùm super cœlos, sed & super Angelos: quia tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit. *Et plena erat omnis terra majestate ejus.* Omnis terra. Ipse Dominus Deus noster, in vniuersa terra Iudicia ejus, ait Psalmista. Et quomodo nunc post hanc ejus elevationem asserit Propheta, omnem terram majestate ejus esse repletam? Sed cùm dicit plenã majestate, intendit dicere, majestatis cognitione: quam ante ejus incarnationem aut nulli meruerunt, aut pauci. Sed nunc ab ortu solis vsque ad occasum, nomen Dei magnum prædicatur in Gentibus, súntque omnes docibiles Dei, quos ejus vnctio docet de omnibus. Etsi in Israël magnum nomẽ ejus, non tamen jam vni angulo, sed toti mundo notitia se divinitatis infudit. Sequitur. *Et ea quæ sub ipso erant replebant templum.* Templum accipe ciuitatem Dei viuentis, sponsam ejus quę non habet maculam neque rugam. Sub ipso sunt, incarnatio, passio, mors, & omnis illa ho-

*Filius Dei qualis per 33. annos.*

*Ioan. 13.*

*Isai. 6.*

*Triplex Domini sessio.*

*Demon in cælo seditionem concitant.*

*Hominem non puniuit Deus vt Angelum.*

*Marc. 16.*

*Prima sessio gratiæ est, &c.*

*Isai. 6.*

*3. Reg. 22.*

*Daniel. 7.*

*Apocal. 7.*

*Isai. 14.*

*Excelsum solium Angelica natura est.*

*Isai. 6.*

*Quænam sint sub Deo*

rariæ dispensationis molestia, quia resurgens ex mortuis jam non moritur. Hæc sunt, quæ replent Ecclesiam: quorum recordatio nobis annuas parit solemnitates. Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum: quod tunc profectò mirabile est in æquitate, cùm Ecclesia personas non accipit, respuit munera, veritatē eligit, diligit rationē. Sequitur. *Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, & sex alæ alteri.* (Isai. 6.) Duo Seraphim Angelū & hominē accipe. Qui incendentes, vel ardentes dicūtur: cùm ille ardeat præsentia, hic memoria. Primùm de alis Angelorum videamus, & quali volitatione ferantur. Et quia nota est sententia illa, quomodo caput & pedes velent, & tantum media videantur; id est, quid fuit ante mundum, & quid post eum erit: his quæ in præsenti sunt, aliquantulū apparentibus, Ezechiel adducamus in medium, qui animalium alas hoc modo distinguit dicēs. *Duabus alis volabant; & duæ pennæ singulorum jungebantur; & duæ tegebant eorum corpora.* (Ibidem.) Prima eorum ala est dignitas suæ creationis. Transi parumper in arcanum hujus intelligentiæ, & dignitatem hujus considera creaturæ. (Quid sint sex alæ Angelorum.) Ipse est *principium viarum Dei*, ait Scriptura. Quantum privilegiū, quod illa cogitatio altissimi in hunc mundū & opus prorupit. Quàm decebat, vt singulari gloria prefulgeret, quod de manibus dominantis primitiua creatione processit. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti:* (Ezech. 28.) dicit Propheta. Non solum similitudo; sed & signaculum similitudinis: vt tantò subtilius imago Dei insinuetur expressa, quantò differentiùs signaculum similitudinem præcedit. Vbi autem plenitudo sapientiæ, decoris perfectio, paradisi deliciæ, nominatur: tota simul jungitur beatitudo. Subdit autem scriptura, quod superexcellit, & quod totius eloquentiæ superat facultatem. Quoniam pretiosiorem fecit illum Deus. Hic dictum est, quicquid dici potuit. Secunda est gratia confirmationis. Hæc ala feliciori volatu lassitudinem nescit, per omnia similis præcedenti, nec inferior. Cadentibus præsumptuosis, & istis in humilitate durantibus, incircumscriptus ille spiritus remanentes summa prosecutus est largitate: dans eis in munere, ne possent amplius aliqua labefactione corrumpi. (Angeli in justitia confirmati.) Confirmati igitur, & de sui status stabilitate securi, lucidioris gratiæ subiere fastigium. Seruiunt ergo illi, cui seruire regnare est: & felici securitate, & secura felicitate. His duabus alis volant Angeli, volatione vtrique indefessa; & creati digniter, & fortiter confirmati. Tertia ala est singularis amor sui Creatoris: & hæc quidem felicissima, subtilibus pennulis intertexta. Amant enim & ardent, & desiderant in eū prospicere, cujus amore feliciter incenduntur. Quantò enim propiores, tantò ferventiores: & in lumen majestatis absorpti, indicibili modo & semper ardent, & semper satiantur. Quarta est assidua visio deitatis: sed & hæc pennis splendidioribus interpicta. Quantæ dignitatis est, assiduè videre Deum. Et illi quidem spiritus, etiam cùm mittuntur, non fraudantur gloria visionis: quia vbique divinitatis occurrit essentia, quæ intus est omnia continendo, exterius gubernando. De his duabus scriptum est, *Duæ pennæ singulorum jungebantur:* (Ezech. 1.) cùm singularis amor ex assidua visione nascatur, & assiduam visionem singularis amor efficiat. Quinta est gaudium nostræ redemptionis: sed & hæc multiplici varietate picturata. Quis verborum copiâ comprehendat, quantum gaudium Deus homo virtutibus Angelicis ingessit, cùm & eorum collegam, qui ab eis exierat, sed non erat ex eis, vexillo crucis irruente confregit, & hominē perditum ad regna reuocauit cælestia? (Gaudium Angelorum de nostra reparatione.) Nec mirum, quia videbant materiam repurgatam, de qua superna illa ciuitas reædificatur, cujus participatio ejus in idipsum. Sexta est restitutio supernæ civitatis: sed & hæc picturis pulchrioribus colorata. Quid erit, cùm illo terribili Iudicio peracto, Dominus virtutum homines Angelis sociabit, resarciens damnum; redintegrans numerum, & vnumquémque ordinem emeritis hominibus ad summā revehet numeralem? Tunc sicut lætantium omnium habitatio erit in civitate Dei: quia varietate partium ordinata, nil erit amplius quod repugnet, vel quod à statutis locis valeat elocari. De his duabus dicitur: *Duæ tegebant eorum corpora:* (Ezech. 1.) quia gaudium nostræ Redemptionis, & restitutio supernæ civitatis, beatorum spirituum corpora contegunt & resarciunt: ne tam ruinosa diminutio in illa superiori gloria cognoscatur. Et attendendū, quanta benignitas erga genus humanum, in istis administratorijs spiritibus cumuletur; (Angeli pro nobis pugnant.) quia pugnant pro nobis, juxta illud. *Factum est prælium magnum in cœlo.* (Apocal. 12.) Vincunt pro nobis; sicut ibidem subjungitur. *Nunc facta est victoria.* Gaudent pro nobis, sicut scriptum est: *quia gaudium est Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente.* (Luc. 15.) Flent pro nobis, juxta illud. *Angeli pacis amarè flebunt.* (Isai. 33.) Hæ sunt felices pennæ, quibus ille numerosus ordo supervolat, stans immutabiliter, alacriter volans, & in æternitatem. Sed jam redeundum est ad nos, & stylus ad nostram retorquendus humanitatem; quos ab Angelorum consortio corporeæ voluntates diuidunt & abjungunt. Et licet in hanc degenerauerimus vanitatem, portamus tamen imaginem Creatoris: quæ & si obscurari potest, tamen nequit deleri. *Vniuersa vanitas, omnis homo vivēs;* (Psalm. 38.) ait justus; sed *in imagine pertransit homo.* Assignemus ergo sex alas istas homini: & si non tales, qualescúmque tamen. (Sex alæ homini vtcúmque applicantur.) Prima hominis ala revertentis ad Deum, amaritudo cordis est. In multis offendimus omnes, & non est numerus offensionum nostrarum. Sed cùm accedente, & accēdente gratia Dei cor nostrum, recogitamus omnes annos nostros in amaritudine animæ nostræ, obscuratam reclaramus imaginem, & in nostrum principium reformamur. Sed quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: sequitur secunda penna; confessio scilicet oris. *Ante omnia confessio*, dicit scriptura: nihilque Deo gratius est, quam confiteri & accusare quod fecisti. Plena est omnis scriptura sacra tantæ virtutis testimonio: cui tam veteris, quàm novi testamenti tota seruit authoritas. Istæ siquidem duæ virtutes sunt, quæ multiplicem cumulum scelerum nostrorum ante Dei oculos abscondunt. De his dicitur: *duæ tegebant eorum corpora.* (Ezech. 1.) *Beati quorum remissæ sunt iniquitates; & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* (Psal. 31.) Imputavit, dixit, non fecit; qui enim peccatū non fecit, non est nisi vnus, & hic est filius Dei. Omne quod ipse nobis imputare non decrevit; sic

est quasi non fuerit. Tertia ala est spes. Hæc est, quæ fragiles animos erigit ad superna; quæ tædium expectationis læuigat, quæ præsumit de misericordia Iudicis, & in divinæ virtutis obversatur palatio. Quarta est timor. Ista est, quæ subcutit carneam carnem nostram, ossa penetrans, & ipsis se infundens medullis. Offer paululum oculis cordis imaginem Domini: & illius Domini, qui fecit cœlum & terram; qui potestatem habet corpus & animam mittere in gehennam; cujus patientiam provocasti, thesaurizans tibi iram in die iræ, & revelationis justi Iudicij Dei. Cùm hæc intuitu diligentiori perspexeris, timor & tremor venient super te; & formido mortis interiorem hominē validiùs internecet. Quia igitur spes multum pręsumit, & timor diffidit nimis, vtrúmque jungere non moreris; vt in commune faciant, quod divisa non possunt. Disce sic sperare, vt timeas: sic timere, vt speres. De his scriptum est: *Duæ pennæ singulorum jungebantur.* Quinta est humilitas. *Prope est Dominus his, qui contriverunt cor,* ait Scriptura. Humilitas mater virtutum: superbia vitiorum regina. Hæc sola virtus virtutum nutrix, quam solā in Virgine matre respexit altissimus; cujus, quamdiu conuersatus est in terris filius Dei, & executor extitit & magister. *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum & humilis corde.* Sexta est charitas. Hæc est principium & finis, bonorum clausula, singularis filia summi Regis. Superfluū est, eam verbis prolixioribus commendare; cui alludit & sæcularium, & divinarum, tota facundia litterarum. De his dicitur. *Duabus alis volabant.* His geminis alis illi pennati evolant ad superna, de quibus dicitur. *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Quod si istis volaverimus, nec defecerimus: quandóque etiam pennis Angelorum volabimus, & videbimus eum in decore suo, qui est Deus benedictus in sæcula.

*Spes timori jungenda est.*

*Ezech. 1.* *Psalm. 33.* *Matt. 11.* *Ezech. 1.* *Prouer. 1.*

## Sermo *In Dedicatione Ecclesiæ:* De Sacramentis ejus.

Post Crucem, post Virginem, post Angelos, quid est majus in terris: quid in cœlis sublimius? Illa vtique, quam acceptavit altissimus, quæ vulneravit cor sponsi sui; cui sponsus idem in Cāticis dicit: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno crine colli tui, & in vno oculorum tuorum.* Quàm speciosa sponsa ista, quæ in vno capillulo, & oculi scintillatione, vulnerat cælorum Regem, Angelorum Dominū, filium Dei Patris. De illa nobis est sermo: licet non sit sermo in lingua nostra. Hæc est illa, quæ posita est in superbiam sæculorum: cujus gloria à mari vsque ad mare: cui Reges & principes famulantur: quam circumvolat Angelorum cœlestium multitudo: in qua fons sapientiæ repositus est & signatus. Hortus conclusus, fons signatus. Hortus, vbi clara rosaria pulchriori colore refulgurant, & felices virgæ florum & fructuum gloria cumulantur. Hortus, quem ventorum non tangit alternitas; vbi molliotis auræ gratia frequenter aspirat, & vernans amœnitas allicit intuentes. Conclusus, non murali vallo, nec cæmentatorum lapidum glutinosa tenacitate; sed Angelica statione vallatus. Fons, de quo fontes Israël derivantur: qui irrigat vniversam superficiem terræ, & inebrians & emundans. Signatus, sigillo vtique totius Trinitatis, quod

*Cantic. 4.*

*Ecclesia spōsa Christi.*

*Ecclesia hortus conclusus est, & fons signatus.*

ille malignus effractarius, non dico confringere, sed nec tangere audebit. In hac mortua germina regerminant, & aridiora ligna facile resilvescunt. In hac contegitur multiplex varietas sacramentorum: & contegitur thesaurus misericordiarum Domini Dei nostri. Et vt breviter dicam; duodecim Sacramenta sunt in Ecclesia, quæ vnius fidei pietas contegit: circa quorum instantiam reflectitur Christianæ religionis authoritas. Primum est Baptismatis. Hoc sacramentum pretiosius est cūctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Quis enim cogitatione cordis, vel volubilitate sermonis adimpleat, quanta sint in aquarum substantia completa? Antequam mundus parturiretur, & ex informi materia multiformium specierum diversitas exiliret, spiritus Domini ferebatur super aquas; & elementum hoc figurati præmulcebat obsequio. Cœlum ipsum ex aquis compactum, Hebræorum tradit authoritas; & per aquas vniversalis illa purgatio celebratur. Patriarchæ ad aquas fiunt vxorij, & per aquas Iudæorum murmur extinguitur. Omnis illa series veteris instrumenti diligentiùs introspecta, majorem sacramentorum altitudinem in aquarum materia consignauit. Salvator ipse legem sequens, itinerarij sui principium aquis indixit; cùm in flumine sublimis illa potestas voluit baptizari. Primum miraculum ex aquis fecit. Samaritanæ juxta puteum, fontem aquæ salientis in vitam æternam repromittit. Denīq; qui ab aquis cæperat, finivit in aquis. Vulnerato enim latere crucifixi aqua manavit, quæ terrarum orbem purgatorio lavamine candidavit. Ad extremū conclusiva sententia chorum Apostolicum imbuens, *Euntes*, ait, *baptizate omnes Gentes, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Nonne igitur liquidò patet, quia legis vtriúsq; sublimitas vim rerum sacramentalium in hujus elementi liquore perfudit? Non te moveat paucitas exemplorum: cùm plurima præ manibus haberentur, nisi prolixitatem evitaret oratio. Secundum est Sacramentū Confirmationis. In Baptismate spiritus datur ad veniam, hic ad pugnam. Ibi mundamur ab iniquitatibus, hic virtutibus præmunimur. Nonne in superliminari fronte domus nostræ terrestris, consecrata manus Episcopi sacri Chrismatis imprimit vnctionem? Nec quilibet tanti mysterij est executor, nisi solus Pontifex, super cujus caput fusum est vnctionis oleum; & cujus ditioni sacerdotum subditur multitudo. Baptismi gratiam omni homini, vel omni sexui tradidit authoritas antiquorū; Confirmationis autem insigne sola Pontificis persona suæ vendicat dignitati. Inde est, quòd Decretales paginæ, & sanctorum Patrum instituta decernunt, non esse differendam hujus sacramenti virtutem post baptismum; ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor, à quo nemo vmquam nocendi inducias extorsit. Delibuti igitur vtriúsque roris vnguento, illo sanati, confortati isto: securiùs descendamus ad singulare certamen. Nec nos terreant arma Goliæ, non magnitudo moveat staturalis; quia nobiscum est magnus Dominus noster, & magna virtus ejus: apprehendens arma & scutum, vt exurgat in adjutorium nobis. Tertium est oleum infirmorum. Infirmantibus nobis, & vsque ad mortem mortali febre languētibus, spiritus pietatis assistit: & recordatus est quod pul-

*Baptismus sacramentorū primū.*

*Genes. 1.*

*Ioann. 1. & 4. & 19.*

*Matt. 28.*

*Secundum Sacramētū Confirmatio est.*

*Sacramētū Extreme-vnctionis.*

*Iac. 5.*

vis sumus. Ait enim. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros, & orent super eum, & vngant eum oleo sancto: & si inpeccatis est, dimitentur ei.* Solénis vnctio, liquor excellés, quo sanitas redditur, peccatū dimittitur, immittitur timor Dñi. Vidésne, qualiter Sacerdotis manus infirmantis inungat corpus, & illecebrosam sensuū motionem sacrata mitiget vnctione? Vnde & Sancti Patres hanc vnctionem Sacramenti genus esse sanxerunt, decernentes non esse reiterandam: quia qui Sacramenta replicat, injuriā ipsis Sacramentis facit.

*An sit iterandum hoc sacramentum, vide in notis.*

Quartum est, consecratio Pontificis. Hæc quantò sublimior, tantò dignior approbatur. Cùm enim Canonicis Sanctionibus eligitur persona, quæ tantæ dignitatis debeat subire fastigium, clarior Pontifex cū cæteris Pontificibus evocatur: præparatur Ecclesia, partem susceptura de filio. Vngitur illius caput oleo lętitiæ præ consortibus suis, in illius figuram, qui thalamo virginali spirituali balsamo profusiùs irroratus, oleum benedictionis super filios hominum distillavit. Liniuntur & manus, vt quidquid benedixerint, benedicatur; & acceptum sit divinæ majestatis aspectui. Ponitur & Evangelica pagina super caput ipsius recumbentis; vt & verba vitæ suam sentiat excedere rationem: & oculi ejus deficiant in eloquium Domini. Superponitur cidaris capiti consecrato, & aurea lamina frontis gloria præsignitur, in qua contexitur divinitatis nomen. Traditur annulus secretorum in manu ejus; vt dicat cum Propheta. *In corde meo abscondi eloquia tua: vt non peccem tibi.* Calciantur & pedes in præparatione Evangelij pacis, vt fit de quibus dicitur: *quàm speciosi pedes Evangelizantium pacem.* Accipit & baculum Pastoralem; vt ex ipsa virgæ qualitate signetur, qualiter mansuetos colligat, corrigat inquietos. Sic sic solemni vestimentorum glorificatione præfulgidus, & ad altare Dei familiariùs intrās & exiens, iram Iudicis in misericordiam patris, felici cōmutatione devoluit. Hic habet gladium spiritus, quod est verbum Dei: hic potest tradere Satanæ in interitum carnis.

*Consecratio Episcopi.*

*Psalm. 118.*

*Isai. 52.*

Quintum est inunctio Regis. Sublimis ista delibutio, quia sublimem efficit potestatem. Cùm enim tantę nobilitatis sanguis, vel genere vel electione consecratur in Regem, religio cum nobilitate totis regni viribus convocatur. Astat hinc Primatū, Metropolitanorum, Episcoporum, gloriosa societas, illinc Ducum, Comitum, Castellanorum, non spernenda nobilitas. Procedit medius homo super homines regnaturus, constipatus agmine personali. Ducitur denique ad excelsi Dei aram, ab eo regni principium sortiturus, per quem Reges regnant. Priusquam Imperatorijs cultibus vestiatur, requiritur super eo Cleri voluntas & populi, & manu propria libertatem jurat Ecclesiarum: & tunc vestibus suis exuitur, & oleo sanctificationis aspergitur; vt typico rore perfusus, cælestis vnguenti plenitudine glorietur. Induitur denique purpura, quod est regiæ majestatis insigne; gestat regni sceptrum in manibus, ad regendum populum sanctum Dei. Ponitur corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis. Præfertur gladius in oculis ejus; vt cognoscat, quia vindex est iræ Dei, in hoc ipsum constitutus. Tantis igitur ac talibus mysterijs initiatus, reportatur ad palatium: à die illa & deinceps timendus pariter & amandus. Felix autem, si gladium regni gladio conjungat Sacerdotij, vt & gladius Sacerdotis mitiget gladium Regis: & gladius Regis gladium acuat Sacerdotis. Isti sunt duo gladij, de quibus in passione legitur, *Ecce gladij duo hic*, & respondetur à Domino, *sufficit*. Tunc enim regnū provehitur, Sacerdotium dilatatur, honoratur vtrúmque, cùm duo prætaxata felici confœderatione junguntur.

*Vnctio Regis.*

*Luc. 22.*

Sextum est sacramentum Dedicationis. Dici vix potest, quanta sit in hoc loco varietas Sacramentorum, & institutionum alternatio. Primùm enim Ecclesia intus & foris dealbatur; cruces duodecim in interiori circuitu Ecclesiæ imprimuntur; cerei totidem accenduntur, emundatur Ecclesia, Pontifex Ecclesiā exteriùs circuit cum aqua benedicta, & in superliminari portę tertiò virga pastorali feriens, dicit: *Attollite portas principes vestras*, &c. illis, deintus respondentibus: *quis est iste Rex gloriæ.* Tunc benedicit aquā sale & cinere, vino hyssopóque conspersam; Alphabetum ex transverso quadrangula ratione conscribit. Altare septies ex eadem aqua Respergit, cruces Chrismate, altare verò mixtura chrismatis oleiq; pervngit; ad quatuor altaris cornua incensum incendit, altare tersum novis velaminibus operit, aliáq; multa quæ sermonis brevitas non permisit inserere. Post hæc omni vestimentorum gloria cumulatus, ingreditur ad altare, sacrificium singulare celebraturus, & sic finem sacrificationi impositurus. Quis hujus abyssi caliginē sermonis claritate possit illuminare? Attigissemus tamen quantulumcúmque: nisi nostris temporibus Carnotensis Episcopus vivacissimo mentis ingenio omnia lucidè declarasset. Ad eum igitur lectorem mittimus, vt plenissimam hauriat veritatem. Notandum tamen, quia præcedentia sacramenta sine visibili vnctione non fiunt, cum subsequentia nihil hujusmodi continere legantur.

*Dedicatio seu Consecratio Ecclesiæ.*

*Psal. 23.*

Septimum est Sacramentū confessionis. Confessionis bonum, quantum, vel quale sit, non est nostrę tenuitatis laudibus efferendum: cùm præclara patrum ingenia multis eam insignierint documentis. Hæc est via communis ad Deum, fons tam justis quam peccatoribus patens, qui criminum abundantiam abūdantiori liquore detergit. Primam reddit innocentiæ stolam, & fugitivum filium in paternos reducit amplexus. Ex hoc fonte felices Apostoli lacrymæ profluxerunt: in hoc peccatricis feminæ dæmonia sunt submersa: per hūc adulter & homicida Dauid spiritu principali legitur confirmatus. In hoc felix ille volutatus est latro, qui breui ponte crucis de patibulo ad regnum, de cruce in paradisum translatus est. Consummatus in breui, expleuit tempora multa. In hac virtute caligant oculi plurimorum: qui vel discretione priuati, vel assentatione seducti, aut nesciunt, quid injungant: vel si sciunt, privatā gratiam præferunt veritati. Nec suscepimus hic aperire, quid sentiamus ex ea; sed sermoni proprio proprietatem illius reservamus. Hoc tamē lectori tædiosum non sit; quia confitens pastori suo puritatem cordis, oris veritatem, carnis macerationem, debet exhibere. Ille verò cui confitetur, pœnitentiam dignam, orationem continuam, taciturnitatem perpetuam confitenti curet administrare.

*Confessionis seu Pœnitentia sacramentum.*

*Sigillum Confessionis.*

Octavum est Canonicorum. Isti sunt in Ecclesiæ solio sublimati, qui in Epi-

Canonici Regulares. scopi$ fede, veste candida præfulgentes, innocentiam cordium colore vestium repromittunt. Hi de communi & in commune viuentes, vel viuere debentes, perpetua, si peccauerint, sunt pœnitentia castigandi. Habitus enim eorum, non pœnitentiæ, sed innocentiæ esse monstratur. Videant ipsi amici sponsi: quid respondeat ante faciem sponsi, cum de sponsa cœperit exigere rationem, qui judicat orbem terræ in æquitate. Nolumus inuehi super illos: sed hoc solum caueant, ne de patrimonio crucifixi lautioribus epulis infundantur, vel vestimentis ornentur nitidioribus: ne audiant à Propheta. *Non compatiebantur super contritione Ioseph.* (Amos 6.) Nonum est Monachorum. (Monachorũ institutio.) Hi sunt, qui forensium causarũ tumultibus elõgati, ludificationes dæmonum patienter eludunt: in scripturis assidui, in obedientia præcipui, fervidi charitate, beatæ vrbis gaudia è vestibulo contemplantur. Circumspiciant tamen semetipsos, nec in amplioris coronæ vel laxioris calciamenti vilitate confidant; cùm homo videat in facie, Deus autẽ in corde. Decimum est Eremitarum (Eremitæ.), qui per montium cavernas, & vallium concava latitantes, Angelicis sociati spiritibus; in diuitias gloriæ contemplatiuis oculis rapiuntur: & in carne carnis obliti, naturam suam indefessa meditatione fatigant. Vndecimum est Sanctimonialium. (Moniales.) Istæ sexum & sæculum ausu validiore vincentes, spectabilem victoriam ab hostis antiqui feritate reportant. Gloriosa res, vbi tenera membra longiori martyrio confringuntur: illius enervant fortitudinem, qui similitudinem altissimi concupivit. Ad hujus spectaculum pugnæ, citò convertitur ille misericors intuitus: & tali potissimum victoria delectatur. Duodecimum est nuptiarum. (Matrimonium.) *Sacramentum hoc magnum est*, ait Apostolus; (Ephes. 5.) *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem*, &c. Quid enim magis vnum, quàm illi, quibus est vna caro, vna mensa, vnus thorus immaculatus? Hic destruuntur incæstuosa conjugia, & legitimorum hæredum digna progenies propagatur. Hæc sunt duodecim sacramenta: quæ nisi fallor, duodecim cruces significant; quas in circuitu Ecclesiæ videmus expressas. Hæc sacramenta in Ecclesia per manus ministrorum Dei fiunt, ad honorem illius, qui est benedictus in sæcula.

### SERMO *In Festo Sancti Victoris:* De septem Ramis & septem fructibus ligni vitæ.

AD manum est S. Patris nostri Victoris solẽnitas; ad cujus sanctissimũ corpus, si vera est antiquitatis fides, quotidie residemus. (S. Victor Abbas Arremarensis, miraculis clarus.) Hic est, qui in virtutum signis virtute Dei gloriosus effulsit: Apostolis, & Apostolicis viris, miraculorum gloria comparandus. Quæ vel quanta sint, vel quali sublimitate fulgeant, libellus de ortu & vita ejus latiùs exarat⁹, sufficit indicare. Huic significanter adsignari potest illud, quod in illa solemni visione Angelo Ephesi Ecclesiæ scribitur. (Apocal. 2.) *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei* Ipse etenim nomen ex opere fortitus, antè vicit, quàm vincere nosset; nec quemlibet hostem, sed illum, de quo rara & numquam secura victoria. Quod sit hoc lignum vitæ, diligenter libet nunc intueri. Lignũ vitæ est sapientia: de cujus fructu, & hic in specie, & illic manducat in re. Fructu vtique speçioso & pretioso: speciosó propter speciem; pretioso propter vtilitatem. (Lignum vitæ quodnam sit.) Hæc est illa sublimis arbor, cujus vmbra montes, & arbusta cedros Dei operuerunt. Hæc est cedrus Libani, quæ ramosa densitate Angelicas pervmbrat stationes. Sub hujus arboris vmbra sedet sponsa, & fructus ejus dulcis gutturi suo. Huic dicimus, *In vmbra tua viuemus inter gentes.* (Thren. 4.) Hujus vmbraculum protegit ab æstu diei, in securitate & absconsione à turbine, & à pluvia. Hoc est illud granum sinapis, quod in vtero Virginis Dei patris manibus seminatum, minus fuit omnibus oleribus terræ; sed in tantã altitudinem excrexit, vt veniant volucres cæli, & habitent in ramis ejus. Lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum: lignum vitæ in medio paradisi. Et attende magnum sacramentum. Filius Dei totus & integer eructatus est de corde Patris in vterum Mariæ: de vtero Mariæ in gremiũ Ecclesiæ. Quantus in patre, tantus in virgine; quantus in Virgine, tantus in Ecclesia vnitate. In Patre ineffabiliter: in Matre mirabiliter; singulariter in Ecclesia. Cum patre ejusdẽ & æqualis substantiæ: cum Matre ejusdem & diuisæ; cum Ecclesia ejusdem, sed occultè. Sic distillaverunt cæli misericordiam: sic verbũ Dei transfusum est, & effusum vbique totum; sine quo nihil totum. Felix effusio, quæ currentes adolescentulas ad odorem suauitatis invitat; visu recreat, satiat gustu: vbique autem in medio. (Christus semper in medio.) Nam in illa deitatis essentia, medius est inter Patrem & Spiritum, persona familiaris homini benignitate, familiarior identitate, cum sola carnis nostræ susceperit paupertatem. Vnde Dauid in ipsius divinitatis abyssum immersus ait. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*, (Psal. 66.) & illum in medio majestatis esse protestans, & nostrum asserens specialiter, qui nostræ mortalitatis indutus est vestimento. Pater enim & Spiritussanctus impleuerunt quidem virginem: sed majestate, non susceptione. Est & in medio ipsius Virginis vtero substantialiter illapsus, qui medietatem staturæ comprehendit humanæ. Deus enim Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ, terræ vtiq; illius, de qua scriptum est. *Nemo erat, qui operaretur terram.* (Genes. 2.) Est etiam in medio Ecclesiæ, dicente Psalmista. *Sanctificauit tabernaculum suũ altissimus: Deus in medio ejus non commovebitur.* (Psal. 49.) Colligamus pauca de pluribus, qualiter Salvator medius sit, & semper in medio videatur. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; ipse non habet nidum, foveam ignorat, angulũ nescit. Locum illum elegit, vnde pateat omnibus, exclusa personarum acceptione. (Christus omnibus patet.) Denique natus invenitur in medio duũm animaliũ; quæsitus à parentibus, reperitur in medio Doctorũ; & medius Iudæorum stat, quem ipsi nesciunt. Loquitur & ad Discipulos. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, (Matt. 18.) dicit Dominus. Et *ego in medio vestrũ sum sicut, qui ministrat.* (Luc. 22.) Crucifixus est etiam in medio duorum latronũ: resurgens etiam stetit in medio discipulorum suorum. A Ioanne etiã visus est in medio candelabrorum aureorum. Medius ergo medium sequere: nec angulorum sordibus, nec fovearum tenebris delecteris, sed dic cum justo. *In medio Ecclesiæ laudabo te.* (Psalm. 21.) Hoc igitur lignum vitæ plantatũ in medio paradisi, arbor aromatica, purissima balsamorum mella

distillans,

distillans. Ex hujus arboris substantia septemplicium ramorum corona progerminat; in quorum summitate fructus illi dependent, quos cælestis illa fistula Paulus Apostolus verbis elegantibus explanauit. Primus ramus est Incarnatio ejus. Iste quidem subtilis & necessarius, cùm & instauret cælestia, atque terrestria restauret, & vtramque naturam sua viuificet viriditate. *Si in viridi*, inquit, *ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* se vocans viride lignum, de virginali pullulatū virore, cùm nos & natiuitatis munditiam, & fidei viriditatem in primo parente verum sit amisisse. Hæc tam sapienter ab ipsa sapientia excogitata est, vt & cordis & oris transeat facultatē. Oportebat enim ad redēptionem hominis, vt victus homo victorem diabolum vinceret: sed vnde hoc fieret non habebat. Omnes enim in illo proscripti eramus, & per illum originalis peccati grauitate depressi. Deus enim non debuit, cùm potiùs potentia videretur, si servum recedentē ab eo, cui se subjugauerat, enodaret. Quod igitur homo per se non potuit, Deus per se non debuit, artifex sapientia Deum & hominem colligauit; vt ex parte hominis pro hominibus satisfaceret, & ex parte Dei, & superbum sicut vulneratum, humiliaret. Clausa est principi tenebrarum hæc tam gloriosa conjunctio: nec versuta calliditas consilium Dei potuit conjectare. Assumitur purum semen de virginea puritate; & illum propitiationis fontem sapientia Dei secretiori novitate repurgat. Primus itaque ramus est Incarnatio ejus: fructus ipsius, spiritus sapientiæ. Secundus ramus est baptismus Christi. Intuere filium Virginis, non ad ablutionem membrorum suorum, quæ de virginibus membris exierant, fuisse baptizandum: sed vt tantæ inundationis priuilegium in aquarum substātia sanciretur. Tene intellectu, quod visu non potes; descendere in aquam, cùm aliquis baptizatur, filium diaboli; & ascendere filium Dei; vasa iræ in misericordię vasa conuerti: euerti peccatum originis, subverti latronis ædificium; diuinitatis domicilium pręparari. Adest Spiritussanctus; & de summa cœlorum arce descendens, aquam sanctificat; deificat baptizatū; clarificat ministerij dignitatem. Constipantur Angelicę virtutes; alludētes sacramentalibus institutis: & cælestibus creaturis vnda purificans coronatur. Cordis non carnis oculos desiderat sacramenti transversio; quia intelligibilis est. Secundus ramus est baptismus Christi; fructus ejus, intellectus. Tertius est passio Redēptoris. Vide consilium Dei, quod in abysso judiciorum Dei clausum fuerat ab æterno. *Consilium tuum antiquum, Domine, verum fiat*, ait vnus, qui ad arcanum diuinæ prouidentię fuerat intromissus. Numquid non consuluit tibi, cui non erat adjutor; cùm se addixit opprobrijs, tormentis exposuit, & inclinato capite emisit spiritum? O quàm indebita miseratio! quàm gratuita, & sic probata dilectio! quàm inopinata dignatio! quàm stupenda dulcedo! filium Dei sic affligi, Regem gloriæ crucifigi. Denique nihil melius ad te redimendum habuit, quàm quod semetipsum exaninauit; nec excellentiorem modum inuenit sapientia Dei in omni sapientia sua. Passio ista est tuæ redemptionis consilium, ramus mirabilis & necessarius; fructus ejus, spiritus consilij. Quartus est descensus ejus ad inferos. In fortitudine singulari descendit ad inferos, tamquam potens crapulatus à vino; & conturbauit virum, qui conturbaverat terram: qui posuit orbem desertum, confringens malleum vniuersæ terræ: & horrendum palatium illud fortissima subversione concutiens. Fortis quidem erat ille; sed fortior superuenit, qui vasa disperderet, auferret arma, ligaret inimicum. Et ramus quidem iste rectus & subtilis; cujus fructus est spiritus fortitudinis. Quintus est Christi Resurrectio. Hic ostendit nobis exemplo, quod promiserat in præmio: & scire nos fecit, quòd eo resurgente resurgemus & nos: qui & dissimilis gloriæ, tamen ejusdem naturæ in vtero Virginis fuerat incarnatus. Exclusa est totius ambiguitatis offensio; viderunt manus, tenuerunt pedes, palpauerunt latus; & omnia mortis insignia beatis oculis aspexerunt. Et hic ramus magnus atq; sublimis: fructus ejus spiritus scientię. Sextus est Ascensio ad cœlos. O singularis pietas, bonitas specialis, cùm limum nostræ carnis sublimibus intulit officinis; & ad dexteram patris collocauit in gloria. Vident & admirantur cœlestium agmina Angelorum: & ad tantæ glorię largitatem incessabiliter obstupescunt. Exuperat omnem sensum tantæ dignationis intuitus, ipsi soli pervius Trinitati. Sed & hic ramus spectabilis & mirandus: fructus ejus spiritus pietatis. Septimus est dies Iudicij: quando veniet cum potestate magna & majestate, reddere in ira vindictam, & vastationem in flamma ignis. Tunc erit timor ille timendus, cum cælis ardentibus, pugnantibus elementis, terra succensa, conscientijs obvolutis, dæmonibus accusantibus, Angelis trementibus, Iudice furibundo, & misericordiam nesciente, fiet illa discussio, quæ vtinam nos paratos inueniat. Ramus iste magnus & metuendus, fructus ejus spiritus timoris Domini. Amemus ergo lignum vitæ, & de fructu ejus assiduè manducemus: quia fructus iste filius Mariæ est; qui est Deus benedictus in sæcula.

*Primus ramus arboris Christi Incarnatio ejus.*

*Luc. 23.*

*Secundus ramus baptismus ejus.*

*Tertius ramus passio.*

*4. Ramus descensus ad Inferos.*

*Quintus ramus Resurrectio.*

*Sextus ramus est Ascensio.*

*Septimus ramus dies judicij.*

## SERMO *In Festo omnium Sanctorum*: De septem Beatitudinibus.

HODIE dies serenior arrisit nobis: sol solito lucidior terris illuxit. Non enim vnus, sed vniuersi Sancti sanctificant eam: & splendoribus irradiant luminosis. Spectabilis illa cælorum solemnitas, quæ non annuis, sed continuis gaudijs inclarescit: vbi lumen videtur in lumine, & ipsius Trinitatis substantia beatis oculis oculo ad oculum aperitur. Ibi cognoscitur gignentis genitique, & procedentis ratio sempiterna; quę hic credi potest, comprehendi non potest. Illic Regina Virginum virginibus innumeris comitata, mansiones perambulat Angelorum: & vtrisque naturis gloriam ejus admirantibus dicit. *Quid me admiramini? Diuinum est mysterium hoc, quod cernitis.* Diuinum profectò, non humanum, nec humanis vmquam rationibus comprehensum. Ibi numerosus Angelorum exercitus sacris diuisionibus insplendescit; & volitatorio delectatus obsequio, non velat, sed reuelat Domini majestatem. Illic Patriarcharum electio primitiua, reuerenda societas Prophetarum, gloriosus Apostolorum chorus: purpurea Martyrum multitudo, congregatio florida Confessorum, candidissima Virginum turma, Monachorum numerus infi-

*Verba Ecclesiæ.*

nitus. Sedet in medio Dominus virtutum: & de refusione gloriæ suæ inebriat intuentes. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Ibi pax secura, requies voluptuosa, vita perpetua, sapientia mentis, agilitas corporis, cordis illuminatio. Verè *beati qui habitant in domo tua Domine.* Verè, *sicut lætantium omnium, habitatio est in te ciuitas Dei;* & in plateis tuis, vox exultationis dulcioribus modulis intonatur. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me. Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi* ibi. Sed hic stadiũ, illic præmium: hic pugna, ibi corona. Vanum est, ante lucem surgere. Indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum procul abstrahẽdus, & vtriúsque substantiæ materia repurganda: si ad proprios ortus volumus reuolare. Amãda est interim tenuitas paupertatis: sermo suspendendus amarior; elatio fugienda: sustinendi labores; cum fortuna congrediendum: eliminandæ diuitiæ sæculares. Hoc est, quod ille pauper & vnicus, in hodierna sancti Euangelij lectione pauperibus, quos de mundi vanitate vocauerat, ait. *Beati pauperes spiritu.* Hæ sunt octo, imò septem beatitudines: quia octaua eadem cum prima. Felicissimi gradus, quibus itur ad Deum: quos omnes in persona sua primus ascendit, qui ascendit in montem, & aperuit os suum; vt discipulos doceret suos. Denique quis pauperior illo, qui non habuit vbi caput suum reclinaret? Quis eo mitior, qui mitis est, & humilis corde? Videns ciuitatem, fleuit super illã; fleuit Lazarum, justitiam docuit, justitiam fecit; in cujus ore non est inuentus dolus. Quis illo misericordior; qui mulierem adulteram liberauit, peccatricem sanauit septem dæmonibus cumulatam? Quis mundior eo, qui peccatum non fecit? Pacificare venit, & quæ in cœlis, & quæ in terris: pacem reliquit discipulis suis. Persecutionem, pro justitia passus; flagellatus in carne, suspensus in cruce, morte turpatus. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ambulauit & ipse ambulare.* Canta ergo Canticum graduum, & gradatim ascende: nec præpropero saltu aliquẽ prætermittas; quia qui offendit in vno, factus est omnium reus. Sis ergo pauper spiritu, nec putes hũc primum gradum leuiter attingendũ: cùm multæ solicitudinis sit mundum, & mundana relinquere; & à consuetudinario cursu, cor, corpus, & studium, reuocare. Qui enim pauper est spiritu, vilitate gaudet, humilitatem amplectitur, desideria terrena conculcat. Sed quia illa paupertas execrabilis est, quæ superbo spiritu intumescẽs discordias seminat, inseruit litibus, detractorijs sermonibus jucundatur; euolandum est ad secundi gradus sublimitatem, vt sis mitis. Mitis est, qui nulli reddit malum pro malo; læsus veniam petit, & benefacit lædentibus. Nec plenam jactet victoriã, quisquis hunc fortassis ascendit: cùm sit omni lacrymarũ fonte plangendum, quòd tamdiu sub Pharaone seruierimus; & ideo *beati qui lugent.* Luctus autem Sanctorum, non est de diminutione rerum, non de corporum invalitudine, non de sublimioris potestatis ferocitate. Lugent enim peccata, vel aliena vel propria; ruinam mundi, detrimentum fidei, contemptum justitiæ, abundantiam iniquitatis, dilationem regni. Neque hic consummationis terminus imponendus: cùm perfecta justitia sit, diligere proximũ sicut seipsum: & ejus excessus libera discretione, &

*Psalm. 35.* *Psal. 83. & 86.* *Psalm. 41.* *Matth. 5.* *Christus ascendit omnes gradus beatitudinum.* *1. Ioan. 2.* *Pauper spiritu quis.* *Quis mitis.* *Matth. 5.* *Perfecta justitia quæ.*

discreta redarguere libertate. Qui enim pro persona quam gerit, non resistit peccantibus: de suo se nouerit silentio esse damnandum. Esurit ergo & sitit justitiam, qui vitia destruit, construit virtutes: sobrius sibi, justus proximo, pius Deo; cujus animam vrit zelus domus Dei; qui cantat cum justo: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Sed quia secundùm vocem Oratoris, plerúmque jus summum summa malitia est, & inconsummata justitia præcipitium parturit; ideo sequitur: *Beati misericordes.* Misericordia est speciosum humanę naturæ ornamentum, cujus expers malè degenerat, & hominem diffitetur. Est autem vera misericordia, cùm superexaltatur misericordia judicio: cùm vel largitate substantiæ, vel bona voluntate, vel doctrina verbi, vel exemplo facti, corpus & animam proximi refovemus. Cùm autem à claritate in claritatem sic cœperimus ambulare; à claritate cordis nostri, ad clarificandum cor proximi: mundandi sumus ab omni inquinamento carnis & spiritus: ab omni mundi hujus aspergine, purè presséque tergendi; sicut subjungitur. *Beati mundo corde.* Quis glorificabitur castum se habere cor? *Prauum est cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscet illud?* Difficile est illud mundare, cùm in suis abditis delitescens irruentium recipiat agmina cogitationum, plerúmque renitentibus nobis, sed nequaquam obniti valentibus. Ille igitur cor habet mundum, qui vtriúsque hominis motibus mitigatis, passiones non reprimit, sed ignorat; natura bonorum operum cursu communitus, crucifixus mundo, & cui crucifixus mundus. Pauci autem, quibus se infundit tantæ gratiæ plenitudo. Quicúmque autem illi sunt, jam sunt prope palmam supernæ vocationis; si pace, qua referti sunt, pacificare studeant diffidentes; vt dicant cum Propheta. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Ideo sequitur. *Beati pacifici.* Non solùm pacati, sed & pacifici; facientes pacem, concordiæ semina seminantes. Sed quia sæpius vel adulatione potentium, vel amore tẽporalium, justitiam aut dimittimus, aut non defendimus dimissam; ad metam cursus porrigenda est dextera: vt pro justitia, non solùm nostra, sed & alterius, persecutionem patiamur, & resistamus vsque ad sanguinem, vel vsque ad mortem. Et hoc est quod sequitur. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Post hæc autem quid? Hic adhæremus Domino, & vnus cum eo spiritus efficimur. Hic disrumpitur nubes, & transit oratio. Hic reuelata facie gloriã Domini speculamur. Hic dulcedo spiritus, cordis suauitas, jubilatio mentis. Et beatus populus, qui scit jubilationem. Videamus, si fortè aliqua sermonis consequentia, beatitudines istas septem donis sancti Spiritus possumus assignare. Paupertatem spiritus generat timor Dei, qui pungit animã, & sanguinem elicit, & cogit nos quærere medicinam. *A timore tuo Domine concepimus, & parturiuimus, spiritum salutis fecimus super terram:* hoc est, spiritum paupertatis, dicit Isaïas Propheta, imò per eum Dominus. Hic facit nos mundana vel relinquere, vel non concupiscere. Hic est clavus clavum expellens, & pertingens vsque ad divisionem animæ & spiritus. Pietas verò mites facit, dum illos dulciori spiritu superfusos, ad mansuetudinis thalamum introducit. Qui enim efferati sunt

*Psalm. 118.* *Matt. 5.* *Misericordia speciosum ornamentum.* *Ibidem.* *Ierem. 17.* *Quis mundum cor habeat.* *Psalm. 119.* *Matt. 5.* *7. Beatitudines congruunt septem donis.* *Isaia 26.*

superbia, sublimes in oculis suis, ardentes invidia, invicem mordentes, quomodo mitigatoria possunt indui pietate? Porrò scientia luctum parit. Scimus enim, quia singularis scientia est, recogitare annos nostros in amaritudine animæ nostræ: multiplicibus lacrymarum rivulis propria deflere peccata. De fortitudine verò nascitur fames & sitis justitiæ, cùm vitium sit non paucarum, pro libertate justitiæ loqui, ne dum mori: & vbi Deus in causa est, nec allici blanditijs, nec terrore moueri. Consiliũ autem misericordiam parit: cùm sit totius consilij summa consulere omnibus; & infirmitates tam animarum quàm corporum, benigna manu misericordiæ sublevare. Munditia cordis ab intellectus puritate descendit, qui cordis receptacula purgat, & latebrosos ejus affectus acutissima circumspectionis falce succidit. Porrò pacificus ab ipsius sapientiæ nascitur summitate, conformis illi sapientiæ, quæ pretio sanguinis sui, & terram pacificauit & cœlum. Fortassis etiam, si diligentius perscrutemur, septem petitionibus, quæ in oratione Dominica continentur, eas iterum concatenare poterimus. Illi etenim de timore Domini paupertatẽ spiritus amplectũtur, qui volunt vt sanctificetur in eis nomen Domini, & dicunt cum Psalmista. *Custodi animam meam, quoniam Sanctus sum.* Qui verò sunt mites, nisi quos pietas imbuit; qui cum patientia & mansuetudine frequenter postulant, vt adveniat regnum Dei, cupiunt dissolui, & esse cũ Christo? Quorum vniversitati Sanctus eructuat dicens, *Expecta Dominum, & custodi viam ejus: & exaltabit te, vt hereditate capias terram:* cui terra viuentium promittitur possidenda. Qui autem lugent, nisi quos instruit scientia salutaris, qui plarum vndis lacrymarum voluntatem Dei volunt fieri, sicut in cœlo, ita & in terra; sicut in Angelis, ita & in hominibus? Porrò fames & sitis justitiæ de mentis fortitudine generatur: quæ quotidianum panem ab ipsis Dei manibus quærit: panem illum scilicet, qui cor hominis confirmat. Qui etiam misericordes sunt, nisi qui pro facultase consulunt omnibus: & audaci conscientia pactum faciunt cum Deo; *dimitte nobis debitã nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?* Mundum autem cor non nisi lucidissimus percipit intellectus: qui non inducitur in tentationem: rogans à patre luminum, non vt non tentetur, sed vt non inducatur in tentationem: excutiens latrocinantium turmas negotiorum. Pacificatio nostra à sapientia ipsa descendit, vbi liberamur à malo, & ab omnium iniquitatum emundamur influxu. Hæ sunt septem beatitudines, septem dona, septem petitiones, septem candelabra, septem lucernæ, septem infusoria, septem spicæ: & siqua sunt alia, quæ in arce septenarij numeri Scripturarum cõsecravit authoritas. Adolescentulus ego ausus sum totam lectionis hujus seriem explanare: illorum rogatus, imò compulsus precibus, & præcepto, quibus nec velle, nec posse fuerat, obviare. Sed vt præsenti festiuitati aliquantulum insistamus: favoralis & mellita dulcedine redũdans tota solemnitas: in qua laudem dicũt Deo omnes Sancti ejus, & totus orbis clara voce resultat. Isti sunt advocati, quos apud Iudicem habemus. Pro quo isti intercesserunt, sententiã non timet capitalem. Confugiamus ad probata suffragia, nec nos deterreat enormitas peccatorum: quia major est pietas eorum, quàm impietas nostra. Cõsiliarij sunt Regis nostri, & ipsius iræ sæpe resistunt: nec nos deserunt in tempore malo. Sciunt, vbi nos reliquerint; & quantis hostium insidijs pateamus. Suspiremus igitur ad illorum memoriam; vt protegant nos sub vmbra alarum suarum, donec transeat iniquitas: perducant nos ad sponsum Ecclesiæ, qui est Deus benedictus in sæcula.

*Magna scientia est deflere peccata.*

*Psalm. 85.*

*Psalm. 36.*

*Matt. 6.*

*Septem beatitudines, dona, &c.*

*Sancti iræ Dei resistunt.*

## SERMO *In Festo Sancti Martini.*

*Super:* Videte, & vigilate, & orate. *Marc. 13.*

NOBILIS ille Confessor, Sacerdotum gloria, gemma Pontificum; Clericorũ forma, lumen Monachorum, solemnem diem vniversitati nostræ præfixit. Hic est Martinus, miraculorum potestate sublimis: qui terrarum orbem lumine suæ cognitionis impleuit. Ægyptus religionis mater, & Eremitarum fœcundissima nutrix, Martinum tantis filijs posuit in exemplum. Creuit in immensum fama nominis ejus, & ausa est in ipsam Apostolicam irrumpere dignitatem; quorum manus tractauerunt de verbo vitæ, qui filium Dei inter filios hominum felici visione viderunt. In finibus terræ, & in insulis maris; pervagata est memoria tanti Pontificis: & sonat vita Martini, vbicũmque resonat fides Christi. Gloriatur Imperator in milite; laudatur miles in Imperatore. Testatur hoc Turonensis Ecclesia, thesaurum corporis ejus continens, quæ possessiones suas extendit à mari vsq; ad mare: quam fundauerunt Reges, & ornauerunt Principes: cui Romani Pontifices summæ libertatis fastigia prouiderunt. Accedit etiam ad gloriam Confessoris, quia in ipsius honore nonnulla sedium Episcopalium fundamenta locata sunt; quod, nisi fallor, de alio non legitur Confessore. Scintillat longè latèque fulgor claritatis illius; & de remotis mundi partibus ad præsentiam sancti corporis festinatur. Clementia diuinitatis & Regibus, & regno nostro, prouidit misericorditer; vbi tantum lumen ad remedium peccatorũ in sæculũ collocauit. Actus ejus & vitam Seuerus insignis Orator, ita suo nobilitauit eloquio: vt & historicam relatione plena veritate proponeret, & rethoricis legibus multipliciter insigniret. Et nunc arida vel jejuna nostra lingua, quid audeat de laudibus ejus immurmurare, cujus laudis plena est terra? Ne tamen in tantis gaudijs cujuscũmque sermonis videamur immunes, recurrendum est ad Euangelicam lectionem, in qua sub trium verborum breuitate, sapientia Dei Patris totius humanæ perfectionis summam inclusit. Ait enim. *Videte, vigilate, & orate.* Ille qui videt omnia, hortatur nos, vt corporalibus oculis postpositis, mentis lumine videamus; oculis illis, quibus per Salomonem dicitur. *Oculi sapientis in capite ejus.* Præcipit ergo, vt soli solitudinem nostri cordis ingrediamur; & reuoluamus veterum sarcinas peccatorum, quibus polluti sumus, & obvoluti. Primùm ergo videamus apud nos peccatorum abundantiam. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo; multum est enim:* ait vnicus ille consecretarius Regis æterni. Peccavimus super numerum arenæ maris, multiplicata sunt peccata nostra. Tu innumerabilia numerare contendis: & in summa ponere, quod summam exuperat. Ecce grandis acervus, impetuo-

*Encomiũ S. Martini.*

*Seuerus Sulpitius vitã S. Martini scripsit.*

*Marc. 13.*

*Eccle. 2.*

*Psalm. 24.*

sus torrens; nec potest discuti tanta miseria, quoniam iniquitates nostræ supergressæ sunt caput nostrum. Ambulavimus collo extento; oculi nostri pleni sunt vanitate, aures detractione. Odoramus non odorem vnguentorum, in quo sponsa se currere gloriatur, sed odorem mortis in mortem; quorum os maledictione & amaritudine plenum esse describitur. Manus nostræ plenæ sunt sanguine, pedes veloces ad sanguinem effundendum; contritio & infelicitas in vijs nostris, & via pacis abjecta, non est timor Dei ante oculos nostros. Quid igitur faciendum, in quo sperandum, quò fugiendum? Standum est in hoc acervo, non novarum, sed veterum frugum: & videnda visio timescenda, vt statuamus nos ante oculos nostros: ne Iudex quandoque nos arguat, & statuat ante faciem nostram. In hac visione Dei videtur à nobis ventus turbinis; quia secundùm virum justum, hic involutæ sunt semitæ gressuum eorum. Ne putes autem hanc visionem inter parva connumerandam; cum hæc perducat ad visionem Cherubim, & animalium pennatorum: & adipsius dominantis introducat aspectum. Visa igitur abundantia peccatorum nostrorum, videamus secundò negligentiam nostram. Traximus peccata, sicut restem longam; & sanguis sanguinem tetigit, & dissimulavimus: vulnus & livor & plaga tumet, & non aspeximus: zelus Dei recessit à nobis, & nos contempsimus. Sic peccatorum multitudini negligentiam cumulantes, obstruximus nobis iter confessionis, semitas vitæ evitavimus; nec solùm negligentes, sed & de negligentia gloriantes, juxta illud viri sapientis: *qui cùm malè fecerint, lætantur; & exultant in rebus pessimis.* Vis scire, quia de peccatorum abundantia, negligentia generetur? Audi, quia peccator cùm venerit in profundum malorum contemnit. E contrariò qui Deum timet, nil negligit: quia qui modica spernit, paulatim decidit. Peccatorum multitudo negligentiam, negligentia lætitiam, lætitia mortem interminat sempiternam. Vide tertiò patientiam Dei. Hæc fecisti, & tacuit. Omnia videt, omnia audit, nihilque remotum oculis ejus, de quo dicitur. *Oculi Domini in omni loco contemplantur bonos & malos.* Oculos hominum timuisti; oculos autem altissimi non expavisti. Ecce cognovit omnia nouissima & antiqua: neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus, locus est fugiendi; quoniam Deus Iudex est. Vidit opera tua, recursus flagitiorum tuorum, & continuit iram suam: cœlum non fulminavit, aqua non submersit, non absorbuit tellus; & cùm omnis terra plena sit gloria Dei, in gloriâ ejus tuam miseriam evomuisti, nec reueritus es præsentem Deum, & coram tanta munditia, tuas immunditias exercere. Ipse autem quid? *Ego*, inquit, *quasi non videns.* Numquid alicui ministrorum suorum, qui vindices sunt iræ ejus, in hoc ipsum constituti, revelauit ignominiam tuam? Ecce videt, & tacet: videt, nec manifestat; videt, nec judicat; videt, nec vindicat; videt, & videre dissimulat. Vocat, & non audis; promittit, & contemnis; minatur nec metuis; & thesaurizas tibi iram in die iræ. Cùm ergo sit Iudex justus & fortis, multùm est patiens, nec irascitur per singulos dies. Ecce continet iram, reprimit furorem, auertit oculos, peccantibus parcit; & illi omnia hæc in suum judicium congregant, omnium rei. Numquid igitur, quia ita tacuit & silvit, semper ita tacebit? An non legisti, quia ad judicium veniet, patientiâ abjiciens, humilitatem nesciens, ignorans misericordiam? Attendisti patienter tacẽtem; attende & impatienter loquentem. *Sicut parturiens*, inquit, *loquar.* Vidisti dissimulantẽ; vide, & quæque minima numerantem. *Vestigia*, inquit, *pedum meorum dinumerasti.* Quis locus erit spei, cùm veniet Iudex, qui stetit sub Iudice; præcinentibus tubis, conclamantibus Angelis, elementis ardentibus? Ad cujus fugiemus auxilium, cùm ventis ex transverso furentibus, mũdialis machina divelletur: & ignis incandescẽs cœlum & terrã finalibus immiscebit incendijs? Veniet ipse cum potestate magna & majestate; non cum dulcedine & humilitate: quia illic plena est justitia dextera ejus, quæ hic misericordiã seminauit & sparsit. Tunc ille misericors oculus non parcet, & non miserebitur; sed percutiet & occidet. Induet iram; furore repletus, plenus crudelitate. Peccatores autem quid? Videntes turbabuntur timore horribili, sed incorrigibili; audientes illud horrendum tonitruum. *Ite maledicti in ignem æternum.* Quanti putas doloris erit, à facie Dei excludi; videre & perdere Deũ: cùm Rex gloriæ ciuitatem sublimem sublimis intrabit: miseris peccatoribus omni spe misericordiæ in perpetuum sigillata? Quisquis ergo es, qui contemnis diuitias bonitatis & patientiæ Dei, relege textum epistolæ ad Romanos: & illa tibi plenius dicet, quia non evasisti Iudiciũ Dei. Aspice quartò misericordiam Dei. Licet peccaueris, licet neglexeris, & prouocaueris patientiam Dei; paratus est tamen misereri cum volueris, & reuerti ad reuertentem; obliuisci & tegere peccata tua, & projicere in profundum maris. Nec erit mora inter confitentem & remittentẽ, inter gementem & gemitus exaudientem; quia benignus & misericors est. Sunt homines mũdi faciles ad iram, difficiles ad misericordiã: Deus autem & ad irascendum difficilis, & facilis ad miserandum. Reuolant illi ad opprobria quæ remiserunt: iste cùm remiserit, sic est quasi non fuerit. Ad limina potentium frequentiùs excubamus, non habentes liberos accessus ad colloquendum. Et si quid deliquimus, supplicibus oculis, facie tribulata, verbis humilibus emendamus. Illi autem plerùmque superbo oculo, & humero dedignanti, pedibus suis prouolutos vel respicere dedignantur. Non sic Dominus Iesus; qui libentiùs loquitur mecum, quàm ego secum; quem inuenio, quotiens quæro: qui occurrit cum panibus fugienti: qui vultum lætum ostendit mihi; qui meam pœnitentiam sicut innocentiam amplexatur: vbique lætus, vbique bonus, vbique pius, vbique dulcis, cum magna multitudine dulcedinis suæ. Non facit supercilium, oculos non obliquat, non detorquet faciem, nec verba resonat ampullosa: sed occurrit reuertenti, & accurrit in amplexus, flens super collum meum: & jubet proferri stolam primã, dari annulum intelligentiæ, & calciari pedes in præparationem Euangelij: in choro & symphonia ad superna gaudia reuocari: & occidere vitulum saginatum in remissionem peccatorum meorum. Vides ergo, quàm longa patientia sit in Deo, quàm velox misericordia. *Longanimis*, ait Sanctus; *& multum misericors.* Libenter igitur ad te confugio, Domine Iesu: qui diutius

*Statuere nos debemus ante oculos nostros.* *Iob 6.* *Prouer. 2.* *Prouer. 18.* *Eccle. 7.* *Eccli. 19.* *Dei patientia erga peccatores.* *Prouer. 15.* *Isaie 57.* *Deus in judicio patientiã abjiciet.* *Isaie 42.* *Iob 13.* *Matth. 2.* *Quanta nunc Dei misericordia.* *Quàm bonus Deus pœnitentibus.* *Psalm. 102.*

pateris, & velociter misereris; quia tu es Deus, & non homo, sicut dicit Propheta, qui servet iram: abscondat malitiam; vindictam inquirat. Adhuc & istud considerandum in misericordia miserantis: quia sæculi homines semel aut bis, aut vt multùm, septies, vel decies, dimittunt. Hic autem millies in die, si fieri posset, quæ cōmittimus dimittit: & hæc quamdiu viuimus, quamdiu peregrinamur ab ipso. Visis igitur his, quæ enumerauimus, attolle oculos, ad videndū Domini largitatem, siue familiaritatem. Si cui, vel maxime potenti, fecimus, quod ei displicet: numquid ampliùs nobiscum loqui, ne dum aliquid largiri, vel familiaris esse dignatur? Graves sumus ei etiam ad videndū; & pro magno beneficio cōputat, si saltē à nostra morte desistat. Et licet multiplicibus & devotis obsequijs defendamus offensam, semper tamen injuriæ memoria prætervolat oculos illius: nec obliterari valet vel beneficio vel obsequio, vel ipsa etiam vetustate. Numquid ita Deus meus misericordia mea? Absit. Consueuit enim honorare pœnitentes, magis quàm innocentes; reuertentes, plusquàm remanentes: quia deuotior est fervidus pœnitens, quàm tepidus innocens; cùm ille materiam fervoris habeat, hic tepiditatis. Fortassis præsumptionis arguar, qui contra præceptum Apostoli, verborum novitates induco. Sed habeo ad manum testimonia, nec parva, nec pauca; quæ & ipsa credibilia facta sunt nimis, & quæ possint satisfacere murmuranti. Petrus Apostolus, nec quilibet Apostolus, sed Princeps Apostolorum, cui traditus est principatus & cæli & terræ, numquid non de choro pœnitentium est, & de sorte graviter injustorū? Nonne ipse est, qui Deum negauit, reliquit magistrum, amicum deseruit, fefellit promissum: qui cœpit detestari & jurare, quia non novit hominem? Negationi perjurium addidit, crimini crimen. Cecidit, sed non est collisus; quia Dominus supposuit manum suam. Sed quid dicit scriptura? *Respexit Dominus Petrum.* Respectum Petri sequitur fletus Petri; & lacrymarum amaritudo dulcedinem antiquæ dignitatis instaurat. Felices, Sancte Petre, lacrymæ tuæ; quæ culpam abluunt, gradum restituunt, debita dimittunt, ampliora committunt. Respexit pietas, & impietas cessit, & accessit prisca familiaritas. Denique, *Simon Ioannis, diligis me plus his; pasce oues meas*, & his similia, quid sunt, nisi magnæ documenta familiaritatis? Illud etiam singulare sancti Spiritus organum, Dauid loquor, cui reuelata sunt incerta & occulta sapientiæ Dei: nonne cum homicidio & adulterio insignitus est nota & nomine proditoris? Sed vide quàm celeri pœnitentiæ saltu resilivit ad innocentiæ arcem, & grandia vulnera sic rejunxit, vt non solùm vulneris, sed nec etiam cicatricis vestigia remanerent. Redargutus enim à Propheta, & retorsione parabolica suggillat⁹, dixit: *Peccaui*; illéque statim subintulit: *Transtulit Dominus peccatum à te, & non morieris.* Translatum est peccatum, quod diuidebat inter Dauid & Deum; eóque sublato, idem Dauid qui priùs. Sed & ille vas electionis, qui volauit super pennas ventorum: qui plus omnibus laborauit; cui credita sunt eloquia Dei: nonne primus in primitivā Ecclesiam ardentiùs cæteris fertur efferbuisse? Actus Apostolici sunt in testimonium, quanta mala fecerit sanctis Dei, qui tanta mala

*Homines nō dimittunt sæpe peccata, vt Deus.*

*Petrus Apostolorū princeps, pœnitentium exemplar.*

*Luc. 22.*

*Ioann. 21.*

*Dauid pœnitens.*

*2. Reg. 12.*

passus est pro nomine Christi: & tamen lucet in firmamento cœli, nec est aliqua gemma pretiosior in corona Regis æterni. Accedat & illa mulier, quæ septem dæmonijs, hoc est vniversis vitijs cumulata fuit: cui multa dimissa sunt, quia multùm dilexit: quæ prima vidit à mortuis resurgentem, Apostolorum Apostola, dilecta propriè Salvatoris. Veniat nunc innocentum chorus, & tota virginea puritas adunetur: quis erit, qui ad istorum gloriam aspirare, necdum transcendere audeat? Propterea confitebor tibi Domine Iesu, & laudem tribuam nomini tuo; quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine. Quæ est ista lex, quæ propitiatio? Quia offensus clementē te promittis, pœnitentem admittis, punire prætermittis. Magna est ergo virtus pœnitentia vera, cùm Ambrosius dicat: *Faciliùs inueni eos, qui innocentiam servauerunt, quàm qui congruam egerunt pœnitentiam.* Vide & sextò custodiam ejus. Nisi ipse custodierit, nos frustra vigilamus. Decursis igitur sex visionibus istis: transeamus ad secundam Salvatoris vocem dicentis: *vigilate.* Vigilandum omnino, & somnus ab oculis auferendus: quia latrones multi obsident iter nostrum, toxicatis missilibus formidandi, nullum prorsus intentatum transire sustinentes. Tres enim hostes præcipuos habemus, & præcipitium suadentes: carnem scilicet, diabolum, & mundum. Ex quibus duo, etsi aliquando intermittunt, numquid tamen dimittunt? Tertius autem, id est diabolus, ita inexorabili odio exarsit aduersum nos; vt numquam ab eo inducias, vel in ictu oculi, potuerimus extorquere. Et vt verba Tullij ponamus; cùm hoc quotidianus & anceps est congressus. Ex hoc innumerum vulnus, nec ex facili cicatricem promittens. Sub hoc casus frequens, & respiratio difficilis. De hoc rara & numquam secura victoria. Huic voluntas semper iniqua, & fallendi principatus. Quis adversum hæc poterit vigilare: nisi custos ille de nocte venerit in auxilium nostrū? Per nos non sufficimus: sed deficimus, si confidam⁹ in nobis. Attende autem de hoste isto inuisibili, quantus egrediatur ad singulare certamen; qualia gerat arma, quàm fortia, quo turbine torqueat hastā. Recole librum Iob, & historiam Regum, & armatum, & arma considera; quia qui Golias in libro Regum, idem est diabolus in regno Christianorum. Habet enim hastam delectationis, clypeum obdurationis, loricam desperationis, gladium occisionis; armigerum superbiam, qui antecedit eum; & exprobrat agminibus Dei viuentis, & dicit inimicus. *Persequar & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea.* Tu autem quid? Assume Apostolicam armaturam: scutum fidei, loricam justitiæ, gladium spiritus, circumspectionis hastam; & præcedat te armiger tuus, id est humilitas, & dic. *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant.* O Domine Iesu, numquid æqua pugna est hominis & dæmonis, duplicis & simplicis, fortis & imbecillis? *Inuoca me*, dicit Dominus, *in die tribulationis: & eruam te, & honorificabis me.* Invoco te Salvator, apprehende arma & scutum: vt videam contra fortem te fortiorem, & conteras Assyrium in terra sua. Facta ergo congressione, inimicos tuos comminuet, vt pulverem ante faciem venti; vt lutum platearum delebit eos. Sic autem contra istum

*Luc. 7.*

*Mulier peccatrix, vulgò putatur Magdalena*

*Marc. 16.*

*Ioan. 20.*

*Ambr. l. 2. de pœn. c. 10.*

*Tres anim. hostes.*

*Iob 41.*

*1. Reg. 17.*

*Exod. 15.*

*Psalm. 17.*

*Psal. 49.*

vigilandum est, vt semper de redivivo certamine timeas; & de victoria non desperes. Caro autem sub necessitatis specie, furiosi tumultus sui velat imaginem; & nunc ferculorum varietate repleta, nunc pretiosa vina commutans, incipit lascivire: laxatisque frænis tota fertur in præceps. Statim recrudescunt affectus, cogitationes rebellant, visæ proponuntur imagines; & pingimus in cordibus nostris, quod multis diebus deleri non possit. Ingurgitati enim, non confortati; impleti, non nutriti; & corpore & corde distendimur: completurque in nobis illud satyricum. *Inguinis & capitis nullum discrimen habetur.* Parco sermonibus, quia turpis sententia non nisi turpibus verbis potest explicari: & vnicuique nostrum notum est, vel quod tacemus, vel quod volumus præterire. Tenuis autē mensa, cibus asperior, simplicior potus, corpus firmant, confirmant animam; & vtriúsque hominis statum reddunt alacriorem. Mundus vero quid facit? Offert nobis, quicquid est pulchrum visu, & concupiscentiam carnis & oculorum, & ambitionem sæculi: vt illaqueet miseros, illaqueatos strangulet, strangulatos sempiternis involuat incendijs. Tentat nos multiformibus insidijs, superiùs per superbiam, inferiùs per luxuriam: à dextris per prosperitatem, à sinistris per aduersitatem; anteriùs per mundi cōcupiscentiam, posteriùs per præteritorum vitiorum recordationem; in orbiculari motu per involutionem quinque sensuum. Vigilare igitur necesse est, aduersus hujusmodi latrunculos, manúmque sicariam, & cum Isaïa dicendum. *Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem, & super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus.* Nec solùm stare conuenit, sed & armatum stare armaturâ illâ, quam Apostolus docet, & dicit. *Induite vos armatura Dei.* Alter nostrorum temporum Tullius, de quo superiùs mentionem feci, vernans vbique florem sermonum, armaturam hanc lucidissimis capitulis inaurauit. Si fabulosi spiritus, & incantatores motus carnis circa te obstrepuerint, cōfide, & dic. Discedite à me maledicti, & scrutabor mandata Dei mei. Si recalere carnem senseris, & velle reuolare ad ineptias suas, esto cōstans & dic. Confige timore tuo carnes meas, Dominè. Si paupertatem odisse cœperis: & desiderio diuitiarum inceperis suscitari, expergiscere & dic. Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram. Si te demulceat adulator, & ad plebeculæ laudes animus hilarescat, confortare & dic. Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Si tibi suggeratur in futurum tempus bonum differre propositum, cōsurge & dic. Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Si gula desquiens lautiores tibi commēdaverit apparatus, recalcitra & dic. *Non est regnum Dei esca & potus.* His velut quibusdam increpantibus diffugiunt inimici, delabitur memoria voluptatū, carnis garrulitas conticescit, sanctæ conuersationis initia convalescunt, mūdus contemnitur, superatur hostis antiquus. Sic igitur videns & vigilans, fac funiculum triplicem, qui difficile rumpitur: & transi ad orationem, ingrediens interiora veli cum summo Pōtifice Domino IesuChristo, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui assistit vultui Dei pro te. Admissus autem, non sic audacter & frontosè ingeras te oculis majestatis; sed humillima trepidatione concussus, quomodo saltem ad tanta miracula admitti potueris, admirare. Sit ergo oratio verecunda, vt erubescamus peccata nostra, & tantæ reuerentiæ deferamus: sit pura, vt nihil ab ipso præter ipsum quæramus; sit deuota, vt in pinguedine spiritus eam protendamus: sit ampla, vt extendamus eam vsque ad inimicos: sit continua, ne intermissione fiat remissior: sit pacata, ne turbulentis cogitationum fluctibus submergatur. Fateor excessi modum, & magis solito vestras aures onerare non timui: sed scio, quia patienter audistis me de illius patientia disputantem, qui est Deus benedictus in sæcula.

*Caro necessitatis specie se velat.*

*Mundus quid nobis offerat.*

*Isai. 21.*

*Psalm. 118.*

*Ibidem.*

*Luc. 6.*

*Psalm. 140.*

*Luc. 12.*

*Rom. 14.*

*Qualis debeat esse oratio.*

## SERMO *In Festo Sancti Andreæ.* De Confessione.

ET quietum studium, & attentum silentium, & tanta tanti viri festivitas, monent, imò compellunt, aliquid dicere; ad ostendendum gloriam deitatis, gratiam Apostolicę dignitatis, confessionis virtutem. Demus gloriam laudi ejus, quem laudant omnes Gentes; qui ministros suos & laudat, & laudabiles facit. Ipse est, cui assistunt Angeli, ad audiendam vocem sermonum ejus: qui stellas vocat, & dicunt, adsumus; cujus manus extendit cœlos; qui fundavit terram super stabilitatem suam: qui graditur super fluctus maris: qui facit mirabilia solus: in quem desiderant Angeli prospicere. Ipse est, qui fecit omnia: & in omnibus quæ fecit, quæcúmque voluit fecit. Huic seruire, regnare est; qui servivit pro nobis sub dura & graui necessitate, & purpuram suæ divinitatis cilicio nostræ mortalitatis operiens, pauper & mendicus venit in regionem nostram. Numquid nisi ludus vobis videtur, Iudæi, Pagani, Hæretici, & omnis illa subsannantium, imò insanientium turba: cùm dicimus, filium Dei carnem, crucem, mortem, clavos, & lanceam, tolerasse? Ludus profectò est; vnde sic nobis luditur, vt vobis illudatur. Vnde ille sapiens, hujus mysterij nec ignarus, ludum istum eleganti sermone prælusit. *Delectabar*, inquit, *per singulos dies ludens coram eo in orbe terrarum.* Lusit quippe coram Deo, cùm carnem ex ejus præcepto suscepit; & in orbe terrarum, quia ad redemptionem orbis terrarū delectatus, per singulos dies in singulis Apostolis jucundatus: dum vni tradit regnum cælorū: alteri de pectore suo reclinatorium facit. *Et delicia mea, esse cum filijs hominum.* Putabam ego, Domine Iesu, quod deliciæ tuæ essent, esse, non cum filijs hominum, sed cum choris Angelorū: vbi divinitatis gloriâ thronis & potestatibus admirandus, superiorum oculos reuerberas naturarum. Ibi lucem habitans inaccessibilem, & circumstantiam clarissimorum luminum tui luminis obtegis majestate. Sed illa clementissima tua pietas, & benignitas adoranda, delicias esse dicit, esse cum filijs hominum. Isti sunt filij hominum, qui sperauerunt sub tegmine alarum tuarum: quos elegisti de plebe, quorum lavisti pedes, quibus tuum infudisti spiritum: qui fidem tui nominis quadrigis Euangelicis per orbem quadrifidum portaverunt. Nota tamen, quòd dicit, non cum hominibus, sed *cum filijs hominum.* Ego puto, homines ad veterem hominem, filios verò hominum ad filium hominis pertinere: juxta quam intelligentiam puer citharista

*Infidelibus ludus videtur, quod de Christo dicitur.*

*Prouer. 8.*

*Ibidem.*

*Deliciæ Christi, esse cum hominibus.*

Psalm. 8. sic intonat. *Quid est homo, quod memor es ejus; aut filius hominis, quia visitas eum?* Vides, neque Deum hominis esse memorem, filium verò hominis se visitare confirmat. Præsumimus & suspiramus, quia faciet nobis misericordiam suam in conspectu filiorum hominum: si interim protegat nos in abscondito faciei suæ à conturbatione hominum. Magister & Dominus noster, cujus schola est in terris, & cathedra in cælo, ex his omnibus quos elegit, prælegit Andream Apostolum: cujus solemnitatem & vocibus & cordibus inclamamus. Dulcis Apostolus, & primitiva vocatio Salvatoris: qui in ipsum Apostolicum chorum tanti prioratus insignitur fastigio. Non subterfugit vos, quia quodammodo tenerrimus est, & dulcior in cordibus fidelium: cujus passio tanta spiritus deuotione distillat, vt mentes audientium adipe & pinguedine replere videatur. *Passio Sancti Andreæ deuotione distillat.* Vnde nec immeritò in singularem authoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt orbi, & ministri fuere sermonis. Vocatio ejus, vita, & passio, cognita sunt vobis; & nunc quid superest, vt à me amplius expectetis? Verumtamen monet me lectio Apostolica, vt aliquantisper de ea vestræ reverentiæ colloquamur; ait enim: *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. 10. *Dicit enim Scriptura. Omnis qui credit in illum non confundetur.* Solum cor hominis capax est rationis, & susceptibile mysteriorum Dei: quod purgatum atque politum, ipsam divinitatis substantiam, etsi non comprehendit, apprehendit tamen. Cor est in pectore, anima in corde, mens in anima: fides in mente, Christus in fide: & hoc esse puto, quod dicit Apostolus: *habitare Christũ per fidem in cordibus vestris.* Ephes. 3. Hoc igitur in meracissimam eliquatum est puritatem, cùm omnia mysteria Christianæ fidei, fide percipis inconcussa: nihilque tibi dubitationem parit, licet non videas rationem. Hæc est consummata justitia, perfecta veritas, & vera perfectio: si tamē oris confessio subsequatur. Fides enim cordis sine fide oris, aut nulla est, aut parva, Salvatore dicente. *Qui me erubuerit, & sermones meos; hunc filius hominis erubescet, cùm venerit.* Luc. 9. Et Propheta. *Perijt fides, ablata est de ore eorum.* Ierem. 7. Non dixit de corde, sed de ore: quia nihil valet fides cordis, sine fide oris; nec fides oris, sine fide cordis; cùm ista justitiam, illa donet salutem: quia salus à justitia, vel justitia à salute separari non possant. Crede ergo, & confitere; nihilominus confitere, & crede; quia fides ad justitiã, confessio fit ad salutem. Et quandoquidem in hæc devenimus loca, & occasio confessionis se obtulit: reddendum est, quod alibi promisimus, totúmque proferendum, quod de confessione sentimus. Patientes autem estote, & si fortè propensiùs sermonē extendero, vos intendite, quæ dicuntur: quia vestræ proferuntur vtilitati. *Confessio est via veniendi ad Deũ.* Via enim est, sine qua nemo venit ad Patrem: quam qui perdidit, perdidit Deum. Cùm igitur de vitiorum abysso disponis emergere: ad illum præcipuè sit refugium tuum, cui tua anima commissa est: quem imposuit Deus super caput tuũ. Nec te moueat, si illiteratus sit, vel indiscretus: quia hoc ipsum signum humilitatis est, quæ generat confessionem. Memento, quia non est potestas, nisi à Deo. *Super cathedram*, inquit, *Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.* Matt. 23. Et tu attende, nō sedentē, sed sedem: cathedram, non personam.

Quòd si fortè vel licentiã ejus ad alium tibi fugere permittatur; tu tamen priùs ei reueles tui cordis arcanum; quia non est plena salus, si ille fugitur, aut contemnitur, cui adhærere, & quē honorare debueras. Quod si minùs tibi sufficiēs videtur ejus instructio, patet ad libertatem via, vt corã alio literato effundas cor tuũ: reseruato illi privilegio suo, cui tu tuam animam commendasti. Nec tibi blandiaris, si graviter peccanti leuior pœnitentia, vel à nesciente, vel à dissimulante, dictatur; cùm in purgatorijs ignibus perficiendum sit, quicquid hic minùs feceris: quia dignos fructus pœnitentiæ quærit altissimus. *Quid si pœnitentia levior imponatur.* Licet autem non evaserit manus Dei viventis, qui tibi non plenè consuluit: tibi tamē ratio magistra præsidet, quæ te doceat tantùm à licitis abstinere, quantùm te memineris illicita perpetrasse. A vestibulo igitur hujus sacratissimæ virtutis omnes illos excludimus, quos ad confessionem vel timor cogit, quia extorta confessio non est confessio: *Qui à confessione excludantur.* vel aliorum accusatio trahit, quia non est confessio, sed offensio: vel sui excusatio ducit, quia non est confessio, sed defensio; vel inanis jactantia rapit, quia non est confessio, sed illusio: & si quæ aliæ pestes sunt, quæ vmbratorio velamine tanti Sacramenti simulent sanctitatem. Cor in semetipso & ex semetipso contritum & humiliatum, ad hujus purificationis potest ascendere puritatē. Ostendã tibi vnum justorũ justissimè confitentem. Quæris quisnam sit? Psaltes Domini est. *Dixi*, inquit, *confitebor aduersum me injustitiam meã Domino.* Psalm. 31. Dixi, hoc est, in corde meo proposui: non coactus, neque compulsus, sed spontaneus. *Injustitiam meam*, ait, non alienam. *Adversum me*, me accusans & arguens. Vides, quia non timore alterius, vel ad alium accusandum, aut excusandum seipsum, sanctus Domini confitetur. Pro hujusmodi confessione *remittes tu Domine impietatem peccati mei: & pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno.* Ibidem. Hæc primùm in corde germinat ad justitiam, post hæc in ore nascitur ad salutem. Primus ejus gradus, est cognitio peccati. *Initium salutis*, ait quidam, *notitia peccati.* In hac cognitione videndum est, quid egeris: quantis contumelijs affeceris corpus tuũ, ambulans in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum: possidens vas tuum in immunditia & vilitate, non in sanctificatione & honore. *Cognitio peccati quã vtilis.* Considerandum etiam, quòd merueris ignem illum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus: & omnia pœnarum genera, quæ in illis pœnalibus locis cumulantur & crescunt. Inspiciendum verò, quid amiseris: bona videlicet illa, quæ oculus non vidit. *Horum igitur omniũ consideratione perterritus, transi ad pœnitentiam.* Pœniteat te, quòd tot & tantis flagitijs involutus, in luto fæcis & miseriæ diutius jacuisti. Pœnitentiam age, corpus conterens, & furibundo carnis asello incentivorum semina præfureris. Pœnitenda amplius non admittas; ne vulnus vulneri frequenter ingeminans, confringas ossa animæ tuæ, quæ custodit Dominus in justis, *vnum*, inquit, *ex his non conteretur.* Psalm. 33. Et notandũ, quòd hæc duo ita sibi invicem conjuncta sunt, vt cognoscere non possit nisi pœniteat, & pœnitere non possit, nisi se cognoscat. Sic ergo tibi cognitus, & in te pœnitens, transvola ad tertiũ gradum, dolorem videlicet cordis, & jam plantata erit justitia plantatione illa, quam planta-

uit pater tuus cœlestis. Dole igitur, quia creatorem offendisti: cujus legem cælestia & terrestria, præter te, indefessa statione conservant: & in tanta republica Dei tu solus peregrinus es, & Imperatoriæ majestatis decreta non curas? Surgat & acrior dolor, quòd cum Creatore patrẽ etiam offendis: & illum patrem, qui tibi ministrat siderum cursus, fœcunditatem terræ, fructuum vbertatem. Accedat & acerrimus, qui pertranseat animam tuam; quòd tantum benefactorem contempseris: qui dolorem crucis sustinuit, ne dolores ampliùs inferni sustineres. Sic igitur in interiori homine justitia germinãte surculus erumpat in arborem; & loquatur lingua, quod conscientia loquebatur. Quartus itáque gradus, est confessio oris. Hæc purè facienda est; quia non est pars peccatorum dicenda, & altera reticenda; neque leuia confitenda & grauia diffitenda: nec alter accusandus, & ipse excusandus; sed cum justo dicendum. *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Hæc enim sunt verba malitiæ; & gravis malitiæ, qua pejor esse vix possit. Confitendum est & humiliter; vt idem sit in corde, quod sonabit in ore. Sunt enim nõnulli, qui narrare in confessionibus solent, quæ vel argutè literatorio, vel fortiter gladiatorio gessere conflictu, proh dolor, sub humilitatis pallio superbiã inducentes; & putantes se posse vitare oculos judicis õnia cernẽtis. Nonne vtrique Reges Saül & David redarguti à Prophetis Samuële & Nathan, dixerũt, peccaui? Et tamen Saül audivit: *Transtulit Dominus Regnum tuũ à te, & dabit illud æmulo tuo:* & David. *Transtulit Dominus peccatum tuum à te, & non morieris.* Quid est hoc, nisi quia quòd Saül habuit in ore, non fuit in corde; & humilitas quæ in ore Dauid extitit, in corde etiam radicauit? Dicendum est & fideliter, vt in fide Ecclesię credat sibi peccata remitti; quia Cain & Iudas purè & humiliter confessi sunt, sed nequaquam fideliter; quia alter eorum desperans ad laqueum cucurrit: alter illud grande scelus evomuit, *Major est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Mentiris latro, quia major est pietas Dei, quam quævis iniquitas: quia misericordia ejus super omnia opera ejus. Sequitur quintus gradus, maceratio carnis: quæ jejunijs & vigilijs est attenuanda, ne nova prurigine ad voluptuosam revolet pravitatem. Hæc autem facienda est licentiosè: quia quod sine licentia fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi. Occultè, vt nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Discretè, propter debilitatem corporis, & infirmitates. Plerósq; enim vidimus in principio conuersationis ita discretionis infregisse repagula, vt laudum solemnijs inhabiles redderentur: & apparatu lautiori diuturnis temporibus foverẽtur. Iam sic illuminatus procedat ad sextũ, qui est correptio operis. Prohibe ergo linguam tuam à malo: operare quod bonum est, & sensuales motus tuos continentiæ frænis infræna: & sic erit pax in terra carnis tuæ. Argue malos pro persona quam habes, & te præsente justitiam non sinas sepeliri. Veni ad septimum gradum, & hic est perseuerantia bonitatis: & in hoc septimo vocabit te Dominus cum Moyse de medio caliginis, & in ipsam divinitatis substantiam interiores oculos infiget. Perseverantiam autem faciunt expectatio præmiorum, pœnarum recordatio, primitię

*Solus homo Dei decreta violat.*

*Vt facienda sit confessio.*

*Psalm.* 140.

1. *Reg.* 15.
2. *Reg.* 12.

*Genes.* 4.

*Discretio in pœnitentia servanda.*

*Perseuerantiam quæ faciant.*

spiritus, & donum cæleste. De quibus loquitur Apostolus, quod nec expertus ignorat, nec inexpertus intelligit. *Stultitia enim est illi, & non potest intelligere,* quod non sit expertus. Audite & breviter, quem oporteat ordinari ad dispensatiõẽ ministerij hujus. Oportet eum non minùs literatũ, esse quàm religiosum: vt zelũ Dei habeat, & secundùm scientiam, cùm indiscreta religio magis obesse soleat, quàm prodesse. Literatum autem ideo, vt sciat quid injungat: cui parcat, quando parcere debeat, quam consolationem proferat de Scripturis. Religiosum verò idcirco, vt puras manus leuet ad Deum, & pro peccatoribus fiducialiter intercedat. Videat autem, ne vmquam de his quæ sub signaculo confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquenti consentiat. Caveat etiam, ne vilescat in conspectu ejus, qui ei suam vilitatem ostendit: nec sit suspectus, nec de præterita futuram vitam æstimet peccatoris. Quòd si fortuitu de his, quæ in confessione suscepit, causa coram eo fuerit ventilata, non tamquã conscius in partem declinet: sed tamquàm nescius Iudiciorum ordinem permittat excurrere. Habeat autem in voluntate compati, & liberare eum: & nitatur aliquid detrahere seueritati, imitans dulcedinem Domini mei: de quo dicit Sanctus: *Quoniam fecisti Iudicium meum, & causam meã.* Sed proh dolor, temporibus nostris per vniuersum mundum pestilentialis morbus excrevit, vt præficiantur Ecclesijs, quos nec scientia nec vita commendat: cæci duces cæcorũ, & præcipitati & in præcipitium perducentes. Audivimus de confitente, de confessionem suscipiente: audiamus nunc, quæ sint, quæ impediãt confessionẽ. Quantum colligere possum, quatuor præcipuè occurrunt: pudor, timor, spes, & desperatio. Nihil fortius ad expugnandam gratiam Dei, quàm timor humanus: quia dum erubescimus confiteri, quæ commisimus, Deum minùs quàm homines reveremur. Hæc est confusio adducẽs peccatum. Opponamus ergo ei considerationẽ rationis, reverentiam intuentis Dei, comparationem majoris confusionis. Vt enim confiteamur, ratio monet, Deus cogit, qui vidit: & si confundimur hic dicere, quid erit in illa magna confusione, vbi omnia omnibus patebunt? Timor autem plerósque opprimit, ne gravi pœnitentia percellãtur, & perferre non possint. Verè, qui timet pruinam, irruet super eum nix. Hic considerandum est, quàm gravis sit pœna gehẽnæ, quàm longa, quam infructuosa: è contrario autem pœnitentia præsens, levis, brevis, & fructuosa. Spes autem multos obruit: qui dum bona præsentia cupiunt, aperire conscientias suas nolunt: ne si quales sint, hominibus appareant, ad nulla præsentis vitę bona conscendãt. Quibus inculcandum est, quia bona hujus sæculi parva sunt, incerta, & momentanea: & illa illius vitæ maxima, certissima, & æterna. Plurimos desperatio interficit: quia hoc solùm metuũt, ne possint continere. Verum est, quia peccator cum venerit in profundum vitiorum contemnit. Hanc obterere debemus vigore confessionis, gratia humilitatis, & compassione illius, cui aperimus conscientiam nostram. Sciendum est, quia alia est confessio quæ peccatum plangit, alia quæ laudem canit. Bonum animæ ornamentũ confessio, quæ & peccatorem purgat, & justum reddit purgatiorem. Sequitur, *Qui*

1. *Cor.* 2.

*Qualis debeat esse confessarius.*

*Psalm.* 9.

*Quatuor impediunt confessionẽ.*

*Confessio peccati, & confessio laudis.*

*credit in illum non confundetur.* Credere Deo, est verbis ejus fidem adhibere. Credere Deum, est confiteri vbique eum esse. Credere in Deum, omnem spem suam in illum dirigere. Deum & Deo credunt dæmones: sed in illum non credunt, in quem qui credidit, non confundetur: quia spem suam posuit in illum. Ecce quantum potui, etsi non quantum volui, de confessionis disserui sacramento. Sed quia sermonem in longum protraximus, finem loquendi pariter audiamus. Det nobis corde credere ad justitiã, ore confiteri ad salutem, & in se credere, sponsus Ecclesiæ, filius Mariæ, qui est Deus benedictus in sæcula.

*Credere Deo, Deũ, & in Deũ, qui differãt.*

## SERMO *In Festo Beati Nicolai.* De quinque Regionibus.

NICOLAVS iste meus, imò & vester, electus ab vtero, sanctus à puero: juvenum gloria, reverentia senum, Sacerdotũ honor, splendor Pontificum, Reverentiam vestram sua lætificat festivitate. Hic est Nicolaus, cujus miracula per totam mundi latitudinem diffunduntur; quem laudat orbis terræ, & qui habitant in eo. Tot enim & tanta miracula cumulantur, vt omnes literatorum argutiæ vix ad scribendum sufficiant, hos ad legendum. Et licet scholarium numerus in incude rhetorica sub Quintiliani vel Ciceronis malleis, tenuissimas orationum laminas extendat, superat tamen gloria Confessoris vocem & mentem, linguam & conscientiam. Crebrescunt enim quotidie miracula: nec requiescit spiritus Dei ad memoriam militis sui sua continuare miracula. Glorificatur in mari, laudatur in terra, in omnibus periculis invocatur. Denique qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis: ipsi viderunt opera Domini, & Nicolai per Dominũ miracula in profundo. Nonne post memoriam Virginis, tam dulcis pietas, vel pia dulcedo, in cordibus fidelium obversatur; vt in die tribulationis nomen Nicolai teneatur in ore, requiescat in corde? Si coruscationes fulgurant, & procellis detonantibus à supernis vindicta procedit, Nicolaus in patronum assumitur, Nicolaus dulciter inclamatur. Si tempestas sæviens, & crudelitas maris navigantibus mortem intẽtant, ille flebiliter oratur, vt audiat: suppliciter invocatur, vt veniat; vt eruat, misericorditer acclamatur. Si pulsamur incommodis, vel offendiculis indolemus; statim sanctum nomen prosilit in os nostrum, Nicolaus ingeminatur, patrociniũ quæritur Nicolai. Ne putetis me declamatoriè loqui, vel venustate Rethorica verborũ aggerare splendorẽ; cùm omnis mundus beneficia sentiat Confessoris, nec sit qui se ab amore ejus abscondat. In testimonium sunt peregrinationes ad sanctum illius corpus à finibus terræ susceptæ; vt videantur, quæ per eum fiũt, mirabilia. Non solum autem Christianis, sed & Paganis in tantam reverentiam Sancti nominis advolauit authoritas, vt certatim confluant ad laudandum & glorificandum nomen sanctum ejus. Præcipuè Sanctorum Sacerdotum & Clericorum turba, tanta devotione circa cultum ejus afficitur; vt in toto terrarum orbe quęcúmque vndecúmque concurrant ad obsequendum tantæ solemnitati. Lætantur pueri, juvenes gratulantur, ornantur virgines, senes exhilarantur, & omnis ætas personaliter alludit. Vnusquisq; autem habet materiã gaudiorũ: vt laudent pueri puerũ jejunantẽ, juvenes juvenẽ liberantẽ, virgines virginum infamiam redimentem, senes senis inopiam miserantem. Iuvenes & virgines senes cum junioribus laudent nomen ejus. Et nunc post actus ejus Græcorum excellentibus linguis insigniter diffamatos, quid audeat sermo pauperculus balbutire? Verumtamen ne videar excusatorias tergiversationes inducere, recurro ad Evangelicam lectionem; & quod de communi accepi, profero in cõmune. Ait enim. *Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam, & ait servis suis. Negotiamini dum venio.* Securè negotiabor, præcipiente Domino meo: nec timebo Psalmistã dicentem, *Quoniam non cognoui negotiationem, introibo in potentias Domini.* Non enim parvum mihi fiduciæ robur præstat, quod ille summus Imperator, negotiator meus factus est, & negotium meum sine otio egit, quamdiu fuit in terris; & pretiosarum mercium sarcinulas portans ad patrem, ipsi vultui Dei, & quid emerit, & quid redemerit, & vnde redemerit, ostendit. Tu ergo illo negotioso, otiosus esse dispọnis: illo laborante, quiescere? Ille venit negotiari in regionem longinquam; & tu ad regiones proximas ambulare contemnis? Aggredere & ingredere regionem dissimilitudinis, videlicet mundũ istum: & vide quàm frequentes ibi nundinæ, quantæ germinent & regerminent vanitates. Prorsus dissimilitudinis, quia regionem similitudinis, vbi ad similitudinem Dei facti sumus, amisisse nos constat. Numquid non magna dissimilitudo, de paradiso ad infernum, de Angelo ad jumentum, ad diabolũ de Deo? Vade ergo per forenses tumultus, & hinc inde decertantes circumspice: & quantum colligo, in tribus causis natat omnis voluntas. Alij divitijs, alij honoribus, alij gloriæ innituntur. Curris ad indiam, Æthiopiam circuis, trãsis maria, & alium tibi orbem aperis navigãdo, vt divitias congreges. Fugis patriam, ignoras filios, divelleris ab vxore; & omnium necessitudinum oblitus, quæris vt acquiras, acquiris vt perdas, perdis vt doleas. Thesaurizas & ignoras cui congregabis ea. *Filij hominum vsquequo gravi corde: vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Et hæc quidem pro divitijs; audi & breviter de honoribus. Ducem te constituerunt, & data est tibi facultas, vt miser sis, & amplius non quiescas. Cumulatur materia solicitudinum, & inter ærumnas cor ipsum exedẽtes, necesse est, vultum induere gaudiorũ. Numquid in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse, quis potest? Miseri, juxta Philosophũ, mercedẽ miseriarum amamus, ipsas execramur. Regum animos nobis induimus, & quicquid nobis ex voluntate non respondet, statim evocat iram, nec communis recogitatur humanitas. Et tamẽ est vermis arrodens, qui conscientiam jugiter torqueat, timor potentiæ superioris. Hæc est justissima lex, vt sic vivas cum inferiori, quemadmodum superiorem vis vivere tecum. Audi & de gloria. Si quæris gloriam, omnibus invidiæ semina præbuisti. Inflatus es, & ventilatorio spiritu plenus disrumperis; nec attendis quot te sequantur, sed quot te præcedant. Conglomerantur omnes ad detrahendum tibi, ad maledicendum linguas acuunt; & argutissimus

*S. Nicolaus precipuè invocatur.*

*Peregrinationes ad sancta loca.*

*Luc. 19.*

*Psalm. 70.*

*Nundinæ mundi quæ, & quales.*

*Ardor acquirendi.*

*Psalm. 4.*

*Quid honorum.*

*Quid gloriam sæculi comitetur.*

es, si vel manum, vel linguam invidorum possis evadere. Ecce vnus gloriosus esse volebas, ingloriosus esse convinceris. Nullum enim inexorabiliùs persequitur multitudo, quàm illū, qui sibi multitudinis arrogat principatum. Iunge his tribus potentiam & voluptatem, quæ & ipsa tenui & persusorio gaudio rapiuntur: & videbis, quia copia pauper est, honor humilis, vilis gloria, potentia debilis, & laboriosa voluptas. Et vt juxta Apostolum omnem intellectum in Christi obsequium redigamus, relege maximū Philosophorum, & illius verba meam invenies esse sententiam. Contemne igitur hæc omnia, quia omnia contemnenda: & de his omnibus fac sarcinam tuam contemptum mundi. Decursa igitur hac regione, & quod pretiosius est, interim sublato, transi ad secundam, quæ est paradisus claustralis. Verè claustrum est paradisus. Hic prata virentia Scripturarum, præterfluens lacrymarum vndositas: quam de purissimis affectibus amor ille cælestis eliquat. Hic sunt arbores erectissimæ, chori Sanctorum: nulláque est, quę non multa fructus gaudeat vbertate. Hic est illa sublimis mensa, in qua Deus est & cibans & cibus, munerans & munus, offerēs & oblatum, conviva & convivium. Hic aggestę sunt omnipotentis divitiæ: hic refusa est gloria Angelorum. Putásne vllas hic esse nundinas, & otiari illos, qui habitant vnius moris in domo? Videas hunc sacris lectionibus intendentem, illum incumbentem orationibus, hunc pro suis excessibus lacrymantem, illum in Dei laudibus exultantem, hunc vigilantem, jejunantem illū: & officia pietatis sibi adinvicem invidere. Nocte consurgunt ad confitendū ei: vespere & mane & meridie, narrant & annunciant laudem ejus: & omnis illorum sedulitas in orbem divini rotatur obsequij. Curre ergo per omnes, curre per singulos; & de vniversis & singulis fac sarcinam tuam formam vivendi. Relicto ergo mundo, & modo vivendi suscepto, transi ad tertiam, quæ est regio expiationis. In hac regione benignus pater examinat filios rubiginosos, sicut examinatur argentum: ducit per ignem & aquam, vt educat in refrigerium. Trinæ sunt distinctiones locorum, quæ pro diversitate meritorum animæ sortiuntur. Ad cœlum namque Sancti evolant, qui domicilio corporis vsi sunt tamquam carcere, qui defæcatam purámque substantiam vtriusque hominis servaverunt. E contrario qui fecerunt vsque ad mortem, quæ digna sunt morte, locis gehennalibus sine misericordia deputantur. Qui vero neutrum sunt, sed sunt inter vtrúmque: qui mortalia quidem cōmiserunt, sed circa mortem pœnituerunt, pœnitentiam non explentes: indigni, vt statim gaudeant; nec digni, vt semper ardeant; loca purgatoria sortiuntur, in quibus flagellantur: sed tamen non ad insipientiam sibi, vt excocti transferātur in regnū. Pro his qui in cælo sunt, non est orandum: quia eos, non pro eis orare debemus. Pro his, qui in inferno sunt, suspendendæ sunt preces; quibus clausa est misericordiæ janua, & totius spes interclusa salutis. Pro illis tantùm vigilandum est in orationibus, subveniendum sacrificio singulari, qui locis purgabilibus emundantur, vt benignus Pater pœnitentiam eorum in satisfactionem, satisfactionē in glorificationem citò convertat. Curre iterū post istos intuitu pietatis, & fac sarcinam tuam affectum compatiendi. Quarta regio est regio gehennalis, regio dura, regio extimescenda; terra afflictionis, terra miseriarum, terra tenebrarum, terra turbinis & caliginis, terra maledictionis & mortis: in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Totus tremo atque horreo, ad memoriam regionis istius: & concussa sunt omnia ossa mea. Illic est ignis, qui nō succenditur; vermis, qui non moritur, frigus horrendum, ibi fetor intolerabilis exoritur, percutientes mallei resonant incessanter, obfusæ tenebræ cumulatiùs indensantur. Illic confusio peccatorum, horribilis facies dæmonum, inextricabilium vinculorum feralis multitudo: ibi fletus & stridor dentium, planctus & gemitus, & alternantia mala impios sine pietate discerpunt. Nihil sic valet ad extirpandas voluptatum radices, quàm istorum memoria: & recordatio vulnerum Domini mei, qui stetit ante Iudicem, qui alapas suscepit, qui flagellatus est, qui consputus, qui coronatus spinis, qui colaphis cæsus, qui suspensus in ligno, cui pendenti insultatum est, qui mortuus in cruce, qui lancea percussus, qui sepultus, qui resurrexit, qui ascendit ad cælos, qui fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri. Curre per has tumultuantes nundinas, vt vivus descendas in infernum; & fac sarcinam tuam, odiū peccati. Quinta regio est paradisus supercælestis, Regio beata & gloriosa, plena voluptatis & gratiæ, suavitatis & lætitiæ, gratiæ & benignitatis. Ibi requies à labore, jocunditas de novitate, de æternitate securitas. Ibi est civitas regis magni, cujus plateæ constratæ sunt auro purissimo; quæ fundata est in sapphiris; in qua jaspidis propugnacula prævirescunt; & per ordinem lapides insternuntur. Lapides pretiosi omnes muri ejus. Illic omnes vivunt, nullus moritur: omnes exultant in voce exultationis. Intraverat Dauid in sanctuarium ejus, & mente Deo excesserat: nec tamen aliquid aliud potuit asportare, nisi, quia *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Et illud. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Nescio quid magnum promittitur nobis, videre Deum, & laudare. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* Iam stamus in atrijs Ierusalem, jam è vestibulo magnæ ciuitatis gaudia somniamus. Curre igitur, & per regionem istam: & fac sarcinam tuam amorem Dei. Negotiamini ergo donec veniat homo ille nobilis, qui abijt in regionem longinquam, accipere sibi regnum, & reverti. Reuertetur planè; & cum vsuris exiget pecuniam, quam tradidit nobis. Nihil perdit, nihil obliviscitur, nihil impunitum relinquit. Supplicemus ergo Confessori, vt Redemptori nostro amico suo pro nobis hodie supplicare dignetur, qui est Deus benedictus in sæcula.

*Margin notes:* 2. Cori. 10. — *Secunda Regio est paradisus claustralis.* — *3. Regio expiationis.* — *Tria loca post mortē.* — *Orandum pro ijs, qui sunt in purgatorio.* — *4. Regio gehennalis.* — *5. Regio cælestis.* — *Psal. 86.* — *Psal. 83.* — *Psalm. 121.*

SERMO *In Aduentu Domini, de Beata* MARIA. *De eo quod dictum est:* Fluvius egrediebatur de loco voluptatis. *Genes. 2.*

EXultate fratres in Domino; quia de domina illa sermo succedit, quæ singularem in cordibus vestris sibi vendicat principatum. Hæc est, ad cujus nomen humiliter inclinatis: cujus horis reuerenter assistitis: cujus memoriam jugiter frequentatis. Hæc est, quæ vestris affectibus suaviter indulcessit, quia magna multitudo

dulcedinis ejus. Spiritus enim ejus super mel dulcis: in qua dulcis Dominus cum omni sua dulcedine supervenit. Cùm enim fecerit Deus omnia opera sua valde bona: hoc melius fecit, consecrans sibi reclinatorium aureum, in qua sola post tumultus Angelorum & hominum reclinaret, & requiem inueniret. Hæc est, quam natura miratur, reueretur Angelus, veretur homo, stupescit cœlum, extremit terra, infernus exhorret. In hujus vtero majestas altissimi mirabiliter liquefacta, sicut adipe, & pinguedine repleuit terras, infudit cælos, inferna repersit. Hic exinaniuit semetipsum excelsus & immensus, mensuram bonam & confertam & coagitatam mittens in sinum nostrum. Hic diuinis manibus vnctus est oleo lætitiæ, & sicut ad altare in summum Pontificem consecratus. De hoc altari ad aram crucis ascendens, proprio cruore tamquam alterius generis oleo perfusus, jam non solùm consecratus, sed & consecrãs, totum corpus machinæ mundialis largiori liquamine consecrauit. Facessat igitur mœror, tristitia fugiat, elimineтur dolor, rancor abscedat: vt liceat vacare & videre visionem hanc grandem cum Moyse: qualiter Deus in hoc ventre concipiatur, diabolus decipiatur, recipiatur perditum, indebitum accipiatur. Totum me trahit affectio, sed oratio deficit, & diues cogitatio vocis paupertate confunditur. Fervent interiora, & in vndosam ebulliunt altitudinem: sed frigiditas linguæ cumulos refrigerat exundãtes. Quid est ô beatissima? Numquid ita sensim taciturnus obdormiam, vt ibi mutus sim, vbi omnis loquitur creatura? Verumtamen non tacebo, & non quiescam, donec egrediatur vt splendor vultus tuus, & sermo de te conceptus, si nõ vt lampas, saltem vt scintillula accendatur. Mouet me, fateor, quod disponente Deo peccant rationabiles creaturæ, & multis annorũ millibus tam cælestia quàm terrestria in cassum stare videantur, semirutis illis, istis dirutis. Stat illa ciuitas magna, ciuium suorum numerositate fraudata, & à stellantibus palatijs multiplex habitantium multitudo propellitur. Obscurantur stellarij ignes, solem loquor & lunam & stellas; multa sui luminis claritate mulctantur. Terra maledicitur, condemnatur hominum successio, & omnis creatura, juxta Apostolum, ingemiscit & parturit. Tacet Deus omnipotens, & ordinãs ejus omnipotentia tantam dissimulat confusionem. Tandem nascitur Maria, & ad nubiles annos egrediens speciem induit speciosam, quæ ipsum alliciat Deum, & divinitatis oculos in se conuertat. Vide, quid interim dicat ille, non minimus explorator secretorũ Dei. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & oblimiscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiscet Rex decorem tuum; quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* Germinat igitur virga Iesse de tortuosa radice generis humani, & de Patriarcharũ arbore in altitudinem & rectitudinẽ erumpens, omnem ignorat nodositatem, foliorum tenebras nescit, fruticosa quæque non habet. Videt & ardet ille vehemens amator, & totũ Epithalamium in laudibus ejus decantat: vbi manifestè sponsus inducitur, spirans amorem sincerissimũ, nec vltra valens dissimulare quod patitur. Evocatur statim cælestis ille conventus, & juxta Prophetam, init Deus consilium, cogit Concilium: facit sermonem cum Angelis de restitutione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovatione. Illis stupentibus & mirantibus præ gaudio, quæritur modus redẽptionis, & statim de thesauro divinitatis Mariæ, nomen euolvitur: & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa, totum hoc faciendum decernitur: vt sicut sine illo nihil est factum, ita sine illa nihil refectũ fit. Traditur epistola Gabrieli, in qua salutatio Virginis, incarnatio Redẽptoris, plenitudo gratiæ, gloriæ magnitudo, multitudo lætitiæ continetur. Missus est ergo Angelus Gabriel à Deo: &* ãtequam ad Virginem perveniret, invenit Deum virgineis illapsum visceribus, & majestatem Dei virginalis ventris brevitate conclusam. O venter diffusior cælis, terris amplior, capacior elementis: qui totum claudit omnia concludentem, in quo Deus gloriæ reclinatur. Denique & Archangelus non ait, *Aue gratia replenda*, sed *plena*: nec Dominus veniet in te, sed *Dominus tecum*, quia jam totam eam rapuerat sibi Spiritus sanctus, & cælestibus insignierat ornamentis. Iam consecrata erat in locum voluptatis, de quo fons ille debebat ascẽdere, qui vniversam terræ superficiem irrigaret. Satis huc vsque sparsimus verba, & volaticis sermonibus diversa præseminavimus. Nunc insistamus hic, si fortè aliquid dignum elicere valeamus. *Fluuius*, ait Scriptura, *egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandam vniuersam superficiem terræ: qui inde diuiditur in quatuor capita.* Fluvius iste est Dñs meus Iesus, qui de duob' locis voluptatis egreditur, ex vtero patris, & ex vtero virginis. Vnde Propheta; Dñs Deus noster fluvius gloriosus, exiliens in terram sitientem. Sed ineffabilibus differentijs longè aliter à Patre, quam à matre egreditur: quia etsi temporalis nativitas gloriosa est, multò gloriosior est æterna. Orantibus vobis de vtráque generatione volo aperire, quod sentio; non quòd aliquid exponere præsumã, cùm hoc vltra omniũ vires, quantomagis meas sit: & extremę dementiæ sit, velle fari ineffabilia, maximè hominem imperitum. Non enim oblitus sum Salomonẽ dicentẽ, *Sicut qui nimium comedit mel, euomit illud, sic qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* De vtráque enim dici puto per Prophetam. *Generationem ejus quis enarrabit?* Quia & illa patris ineffabilis est, & nulli pervia creaturæ. Hoc sensu credo Apostolum dixisse de Deo, *qui solus habitat lucem inaccessibilem*, cùm etiam puriores naturæ tanto reverberentur intuitu: nec possint irrumpere tantæ claritatis abyssum. Ipse etiam filius protestatur. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrẽ quis novit, nisi filius, & cui voluerit filius revelare*, non sicut est, sed sicut capere potest, cui tanta dignatio revelatur. Vndę & illa sublimis anima, quæ vsque ad tertiũ cælũ in divitias gloriæ rapta fuerat dicit. *Ego me non arbitror omnia comprehendisse.* Verissima igitur diffinitio est, quia illam gignentis & geniti generationem nullus omnino penetrauit intellectus. Hanc etiam de matre omni humanæ creaturæ reor inextricabilem: & nescio vtrum ab illa excellentiori natura valeat comprehendi. Quis enim comprehendat vnionem carnis & Verbi, qualiter Deus & homo in vnam personã conveniant, salvis imperturbatísque proprietatibus naturarum? Vnusquisque in suo sensu abundat: ego hanc omnem sensum supergredi credo, veterum virorum vestigijs inhęrens; qui

*B. Virgo est reclinatoriũ aureum.*

*Rom.* 8.

*Psalm.* 44.

*B. Virgo nodositatis expers virga*

*Cautè lege

*Genes.* 2.

*E duobus locis Iesus egressus est.*

*Prouer.* 25.

*Matt.* 11.

*Philip.* 3.

*Vnio Verbi & hominis ineffabilis.*

*Isaia* 16.

super hoc sanas & inconcussas sententias reliquerunt. Ad paternam igitur generationem recurrentes, locum voluptatis Patrem esse censemus, cùm Deus illocalis sit: sed efficientias rerũ nisi per vulgatos sermones explicare non possumus. In ipso autem omnem voluptatem esse intelligit, qui legit Apostolum dicentem. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia:* & alium ex illo duodeno apice similiter eructuantem. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum.* Ipse etiam filius dicit. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum & verum Deum.* Cognitio igitur patris vita æterna est; & vbi vita æterna, ibi sempiterna voluptas. Egreditur ergo fluvius de loco voluptatis, quia gignitur de vtero patris Deus de Deo, lumen de lumine, de Domino Dominus. Egreditur & æqualitate, quia pari omnipotentia respicit generantem: cùm omnia quæ possit pater, possit & filius, sicut ipse testatur. *Omnia quæcumque facit pater facit filius: nec potest facere filius quicquam, nisi quod viderit patrem facientem.* Egreditur & æternitate, quia licet generetur, non est posterior generante: sed ambo vnius antiquitatis sunt. Si tamen vocabuli novitatē non exhorretis, quod licet quoquo modo significet, quæ dicuntur, longè tamen est à sententiæ majestate. Egreditur similitudine, quia similis est Patri, Patris imago, splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus. Egreditur alternitate, quia alius est ab illo. Alius dico, non aliud. *Ego,* inquit, *& pater vnũ sumus.* Vnum dixit, non vnus: quia *vnum* significat substantiæ vnitatem, *sumus* verò personarum proprietatem. Sic igitur & longè excellentiori modo de Patre Filius egrediens inundat Angelicas stationes: quia juxta Salomonem, fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis. Citharœdus puer de hoc fonte pleno ventre potaverat, cùm diceret. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Apud te, inquit, est fons vitæ: quia non solùm tu vita, sed & filius tuus fons vitæ est. Et vt patenter quid sentiebat ostenderet, adjunxit. *In lumine tuo videbimus lumen.* Ad *irrigandam vniuersam superficiem terræ.* Quædam terra est in illa cælorum summitate reposita: quam præterfluit & irrigat fluvius gloriosus. Regnum cælorum terra viuentium est, de qua dicit Sanctus. *Portio mea in terra viventium:* & *Credo videre bona Domini in terra viuentium:* & *Placebo Domino in regione viuorum.* Irrigatio hæc indicibilis est. Inebriantur quippe Angeli ab vbertate domus Dei: & torrente voluptatis ejus potantur. Hic quid dicam, nescio; quia plurimus stupor sensum opprimit assurgētem. Vbi sunt oratorij sermones, quos in fornace rethorica omnis ille Philosophorum conflavit chorus? Vbi sunt gigantes à sæculo nominati: qui ab initio fuerunt statura magna, scientes bellũ, languentes circa pugnas verborum? Numquid non maximus ille gigas, Platonem loquor, ab intellectu tam purissimæ veritatis repulsus est? Numquid non acerrimo mentis ingenio tangens, sed non attingens diuinitatem Dei, dicit: *Vnum juveni, quod cuncta operetur: & aliud, per quod cuncta efficiuntur; tertium autem invenire non potui?* Rectè de Spiritu sancto inscius, qui illi non erat infusus; qui sanctarum reuelationum magister est; qui reuelat Paulo, quæ oculus non vidit, sicut idem Apostolus gloriatur. *Nobis,* inquit, *reuelauit Deus.* Per quid Apostole? *Per Spiritum sanctum.* Non per spiritum nostrum, quem secuti Philosophi, & seducti sunt, & seduxerunt. Ille noster Philosophus, qui super senes, & super omnes docentes se intellexit, quid super hæc senserit, audiamus. *Rigans,* inquit, *montes de superioribus suis.* De sublimioribus quippe Angelos docet, qui non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem ipsam Dei substantiam luminibus indefessis aspectant. Sequitur. *Qui inde diuiditur in quatuor capita.* In quæ quatuor capita? Dicamus breviter, quia grandis nobis restat via. In admirationem, quia tota obstupet illa dignior creatura de creatoris gloria & gloriæ ratione: in puritatem, quia in vase testeo, vel fragilitate complexionis humanæ bibunt de torrente voluptatis: sed remoto velamine hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: in satietatem, quia etsi in eum desiderant aspicere, non tamen desiderium necessitatem, vel necessitas miseriā inducit: sed mirabiliori modo, & semper desiderant, vt semper satientur; & satiantur, vt semper desiderent: in securitatē, quia de sua stabilitate certi, perennibus gaudijs immerguntur, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei: quando fiet vnũ ovile, & vnus Pastor; & superna illa Ierusalem consummabitur in idipsum. Sic influit fluvius iste per Angelicas officinas: sed hæc omnia fides capit, nescit ratio, intellectus ignorat humanus. Hęc sunt fortassis illa quatuor, quæ vas electionis felici quaternario in Epistola ad Hebræos diuidit dicens: *Non accessistis ad montem fumantem, sed ad montem Sion, ad Ierusalem Ciuitatem Dei viuentis: ad multorum millium Angelorũ frequentiam, ad Ecclesiam primitivam ascriptam in cælis.* Nunc accingamus nos ad videndum, qualiter egrediatur de virgine: quia egressio ista dulcior & affectuosior est humanæ miseriæ, quæ intuentium pectora concutit, irrorat oculos, & beatis fontibus vultus amantium superfundit. Hic locum voluptatis vterum Mariæ intelligo: in quo cumulavit omnes dilicias deliciarum Dominus; de cujus delicijs Spiritus sanctus admiratorio sermone in amoris Cantico sic eructat. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delicijs affluens?* Numquid in Angelis voluptatem habet altissimus: in quibus ipse reperit pravitatem? Numquid in constellatione vel scintillatione stellarum: quarum aliæ convertuntur in sanguinem, aliæ cadunt de cælo, aliæ in tenebras obscurantur? Numquid in aëre, vel igne, vel ventis? Nequaquam, quia *non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in spiritu Dominus:* si verus est ille, qui curru igneo & equis igneis assumptꝰ est in cælum. Numquid in aquis, vbi furens & tortuosus Leuiathan immoratur: aut in terra, quæ sub maledicto Adæ spinas emittit & tribulos? Non est locus voluptatis, nisi vterus virginis. Ex hoc egreditur humanitate, quia vestitus cilicio nostræ mortalitatis, visibilis humanis oculis apparuit, & de virgine virgam, de libro autem generationis lineam faciens, diuinitatis hamum innexuit, quem carne operuit virginali; vt draco magnus illectus ad carnem, ferrum diuini numinis subsentiret. Egreditur & cum novitate; quia numquam sic nascitur homo, sicut ipse nascitur. Primus enim homo primò de terra nascitur formatus, secundò mulier

Margin notes (left column): *Pater locus voluptatis est.* — Rom. 11. — Iac. 1. — Ioann. 17. — *Qui egressus Christus de loco voluptatis.* — Ioann. 5. — Ioann. 10. — Eccli. 1. — Psalm. 35. — Genes. 2. — Psalm. 141. 26. & 114. — *Verba Platonis.*

Margin notes (right column): 1. Cor. 2. — Psalm. 103. — Genes. 2. — Hebr. 12. — *Qualis egressus Christi ex Virgine.* — Cantic. 8. — 3. Reg. 19. — *Quomodo Leuiathan à Christo captus hamo.*

*Quatuor modi productionis hominum.* lier ex ejus latere fabricatur: tertiò Cain consuetudinario nascendi ordine gignitur ab vtroque. Solus iste de sola virgine nascitur, & Virginis vterum novo & singulari partu divinitas humanata sigillat. Vbi nunc Aristotelicæ subtilitatis facunda quidem, sed infœcunda loquacitas? Si peperit, cum viro concubuit. Velit nolit, vertitur in habitum privatio: nec adstringitur dialecticis terminis omnium terminator; ad cujus imperium perit natura, desuescit consuetudo. Egreditur etiam cum claritate. Nascente quippe illo sepelitur omnis illa stellantium luminum luminosa serenitas; & stella candidior lucidioribus radijs præscintillans, totam sibi cæli rapit positionem. *Ambulant Reges in splendore ortus ejus:* quoniā *ecce Reges congregati sunt convenerunt in vnum. Ipsi videntes* sic Deum & hominem nascentem, matrem & virginem parientem: *admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos,* in tantorum luce miraculorum. Egreditur & cum paupertate: quia pannis vilissimis involutus, & præsepi durissimo reclinatus, jam ex tunc sanctissimis mēbris legem martyrij præfigebat. Egreditur occultè, quia subtilissimus ille fraudum investigator, ab altitudine tantæ dignationis excluditur. Hinc est, quòd ambiguis alternationibus fatigatus, nunc illum tentat, nunc tentatum filium appellat altissimi: nunc instruit crucem, nunc destruit: mandans per mulierem consuetum sibi organū, *nihil tibi & justo illi.* Sequitur. *Ad irrigandam vniuersam superficiem terræ.* Ad terrenam miseriam expiandam, quam nobis in hereditatem primus ille peccator reliquerat. Volo, vt Apostolus hic eum mihi, sicut & superiùs, in quatuor capita distribuat: quia securiùs ejus expositionē suscipio. *Qui factus est,* inquit, *nobis sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio.* Ad nos quippe veniens, qui eramus in carcere, primò omnium tenebras ignorantiæ nostræ depulit luce sapientiæ suæ; deinde per justitiam, quæ ex fide est, soluit funes peccatorum nostrorum: sanctificans nos in suo corpore, redimens in corporis passione. *Dominus* enim *solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos:* sanctificat tabernaculum suum, de manu redimit inimici. Diuiditur & in patientiam, qua peccatores sustinet; in misericordiam, qua pœnitentes fouet: in largitatem, qua proficientes exaltat; in fortitudinem, qua perficientes conservat. De hoc secundo quaternario, toto hoc aduentu vestræ fraternitati confabulatus sum; per fluminum decursionem, & nominum interpretationem, moralia mysticis internectens; vtrum aliquid dignè, vos videritis. Verùm non omnia possumus præsenti sermone coarctare, fastidium euitantes. Habeo ergo quatuor capita dulciora prioribus: quę fortassis vestris cordibus dulciùs complacebunt. Dominus enim noster eleuatus in cruce, largissimas sanguinis vndas à quatuor sui corporis partibus abundantiùs emanauit. Spinis enim pungentibus sanctissimum caput niuea ceruice reflexū, & clauis pedes & manus, & lanceā latus ejus transverberantibus, pretiosus sanguis emicuit; cujus aspersione Iudex trāsit in patrem, iratus in mitem, in misericordiam virga, captiuitas in coronā. Christus ergo fons latens, & occultus in cælis; fons patens & apertus in terris. Illic de vtero Patris, hic egreditur de vtero Virginis. Illic viuens terram irrigat viuentium: hic moriens terram morientium. Illic diuiditur in quaternarium admirabilem, hic in dulcem. Dulcis Dominus, dulcis domina; quia dulcis ille Deus meus, misericordia mea. Hæc Domina mea misericordiæ porta. Ducat nos Mater ad Filium, filia ad Patrem, sponsa ad sponsum: qui est Deus benedictus in sæcula.

*Isaiæ 90.* *Psalm. 47.* *Nascitur Christus pauper & occultè.* *Matt. 27.* *Genes. 2.* *1. Corin. 1.* *Psalm. 145.* *Quæ sint 4. capita, in quæ diuisus est fluvius.* *Est quaternarius mirabilis, est & dulcis.*

SERMO *In Vigilia Natiuitatis Domini.*
De septem fluminibus.

TAndem de mari ad portum, de promisso ad præmium, de labore ad requiem, de desperatione ad spem, de via ad patriam pervenimus. Scripserat siquidem nobis frequentibus epistolis calamus scribæ velociter scribentis: *expecta reexpecta,* sed nos, quod subjungitur, dicere poteramus: *modicum ibi, & modicum ibi.* Præcucurrerant cursores promissione diuites, sed exhibitione pauperrimi. Dicebat alius. *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominū.* Alter vero: *si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet.* Pari consilio exierāt de sanctuario Dei, nihilque secum nisi promissionū multitudinem reportantes. Vnde & Citharista noster jam dormitaverat præ tædio, & in ipsum Deum tacitis obliquationibus totam culpā modis flebilibus intorquebat. *Tu vero,* inquit, *repulisti & destruxisti, distulisti Christum tuum.* De flebili quoque ad imperativum conuersus est, exagitante impatientia, quæ mater est impudentiæ & frontositatis. *Qui sedes,* inquit, *super Cherubim, manifestare.* Vt quid tamdiu dominatrici sedens in cathedra, circumvolantibus & vallātibus Angelis, non respicis super filios hominū; quos obsorduit & obsurduit iniquitas quidem per Adam commissa, sed à te permissa? Memorare quæ sit mea substantia, ad tuæ substantiæ similitudinem fabricata; quia etsi omnis homo viuens vanitas est, in imagine tamen tua pertrāsiens, vanitas esse non potest. Numquid ita vanè constituisti omnes filios hominum, de quibus dicis, *& deliciæ meæ esse cum filijs hominum,* vt eos verberet, & diuerberet malignissimus ille deceptor, qui decipere, nisi te permittente, non potuit? Inclina cælos tuos, & descende, & illos misericordes oculos miseris inflecte peccantibus, nec saltem in perpetuum obliviscaris nos. Hæc quidem iste, sed gemitibus, & ærumnis intortus, tantæ præsumptionis sententiam abjurabat. *Dixi,* inquit, *custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Sed & ille vir nobilis, & profundi sermonis vrbanitate perlucidus, affectuosis excessibus incalescens: *propter Sion,* inquit, *non tacebo; & propter Ierusalem non quiescam,* &c. *Vtinam,* ait, *disrumperes cælos, & descenderes,* & alia multa, quæ fastidiosa prolixitas vetat inserere. Hinc etiam morosioris gratiæ longinquitate suspensus, & nimietate doloris excedens, impatienter oblatrat dicens. *Ecce gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* Ieremias quoque in vocem gratulabundæ laudis, aduerbio demonstrante prorumpens, *Ecce,* inquit, *faciet Dominus novum super terram; & mulier circumdabit virum.* Sed tamen repentinæ subversionis lacrymis edocetur, vt priùs lamentum suscipiēs quàm aduentum, penitus conticescat. Danieli dicitur: *Visio est in dies, & in tempora longa:* & Ezechiel tantis caliginibus inuoluitur, vt vix

*Isaie 28.* *Prophetæ multa promittebant sed nihil exhibebant.* *Psalm. 26.* *Habac. 2.* *Psal. 87.* *Psalm. 79.* *Prouer. 8.* *Psal. 38.* *Isaia 62. & 64.* *Isaiæ 40.* *Ierem. 31.* *Dani. 10.*

dignosci possit, vnde veniat, aut quò vadat. Denique omnis ille Prophetalis conuentus, longa tardantis gratiæ morositate pertæsus, nunc rogando, nunc conquerendo variat orationem: & plerúmque sermonibus exoratiuis indignatorios intermiscet. Nos quoque satis satísque audiuimus; & nobis in fastidium releguntur. Iam fugiat Moyses, impeditioris siquidem linguæ factus est nobis: Isaïæ labia immunda sunt: Ieremias nescit loqui, quia puer est: Ezechiel polluto pane vescitur: Oseas fornicariam & adulteram ducit vxorem: Daniel post visionẽ grauiter infirmatur. Omnes itaque Prophetæ elingues sunt & muti. Iam lætari & exultare non possumus; nisi osculetur nos osculo oris sui.

*Prophetæ elingues visi Christi adventum optantibus.*

Auditi & exauditi estis: adest benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei, quæ vel differri vel auferri non patiatur amplius amorem languentiũ. Quid enim audistis? *Sanctificamini filij Israël, & estote parati, quia die crastina descendet Dominus.* Residuum diei hujus, & supervẽturæ noctis vix medianda progressio, dirimunt nos à vultu gloriæ; à puero Deo, à puerperio singulari. Currite celeres horæ, & rapidiori passu conficite metas vestras: vt liceat videre filiũ Dei vagientem in cunis, & Salvatrici natiuitati qualiacúmque obsequia præparare. Credo vos esse filios Israël, sanctificatos ab omni inquinamento carnis & spiritus: paratos ad diei crastinæ sacramenta, & solicita deuotione, & deuota solicitudine. Quid enim aliud his sacris diebus, & ejus aduentui dedicatis, egistis? Vidi ego senectutis oblitos adstare sacris juvenili alacritate vigilijs, & juvenes juventute sepulta, senili grauitate reuerentiæ diuinitatis assistere. Plena erãt subsellia concinentibus, & concentu parili voces in sublimibus resultabant: vt felici invidia jurasse vos crederem, jubilare Deo in voce exultationis. Psalteria erant præ manibus, Psalmi in labijs, in corde deuotio: solemnitatem animi indicabant hilaritas vultus, discursio corporis, operis solicitudo. Inspexi Sacerdotes vigilantibus oculis primos diei ortus subtiliter indagare, sacramentalibus indui vestimentis, introire ad altare Dei, ad sacrificandum corpus & sanguinem Redemptoris. Vidi assistentium turbam ministeriali deuotione nunc flectere genua, nũc osculari manus, & ad imperantium nutum, nutu citius obedire. Sed & pueros aspexi, qui nesciũt quid sit inter dextram & sinistram, sibi adinuicem Psalteria inuidere, & deportare ad lectulos suos: furari somnium ab oculis suis, & in lectulo suo per noctes quærere, quem diligebat anima eorum. Quod licet contra consuetudinem præsumptum sit, non tamen contra deuotionẽ. Fateor, inter hæc omnia cogitabam: *castra Dei sunt hæc, non est hic nisi domus Dei, & porta cœli.* Vellem nollem vestra deuotione trahebar, & vobis negotiantibus otiari non poterã. Nouit ille vnus. Sequebar vos, sed à longè, vel aberrans à via, vel claudicans à semitis meis: lugens & contristatus, quia non poteram æquare currentes. Nouit ille vnus, cum quo vno vnum esse cœpi in Domino, quàm frequentibus querelis impleuerim aures ejus, quòd vos in meridie essetis cum sponso, & ego in vespertino frigore commorarer. Eia fratres, si aliquis adhuc influus humor de flumine mortalitatis hujus vestras circumrorat affectiones, tergite & tegite illum niueo confessionis amictu, & calciate vos in præparationem Euangelij pacis; vt sitis de quibus dicit Sanctus. *In flumine pertransibunt pede.* Quid autem post hæc? *Ibi latabimur in ipso.* De hoc flumine, imò de fluminibus istis Isaïas Propheta in nocturnis lectionibus largiùs disputauit. *Percutiet,* inquit, *Dominus fluuium Ægypti in septem riuis, ita vt transeant per eum calciati.* Volo de fluvio & riuis ejus paulisper confabulari vobiscum: quomodo & qualiter percutiantur, & quid sit per eum transire calciatos. Ægypto figuraliter exprimi mundum istum, diuinorum eloquiorum scrutatores affirmant: qui positus est in maligno; qui tenebris & confusionibus est repletus. Flumen fluxus est humani generis, qui de primis parentibus infelici vena prorumpens, impetuosum torrentem per totã mundi latitudinem instagnauit. Qui in septem torrentibus diriuatus, valles & campestria profunda voragine supersedit: ipsis quoque montium cacuminibus eamdem refusionem intentans. Vnde vnus de altioribus clamat. *Torrentes iniquitatis conturbauerunt me, & intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Primus hujus fluminis rivus, est cogitatio mala. Rivus exundans, & qui nullis obicibus repellatur. Habet frequentiam pluviarum fenestras corporeorum sensuum, qui ei de mundanis cataractis mortiferos imbres infusiùs administrant. Occursat aspectui mentis quod vidit & audiuit, quod odorauit & gustauit, quod palpauit & tetigit: & plerúmq; quod simplici oculo aspeximus, versipellis contortor ad offendiculum retorquet & scandalum. Fingit similitudines, imagines pingit, colores aptat, & in thalamo mentis vniuersa convoluit; si fortè consensum eliciat, & inficiat affectum. Offert horribilia de diuinitate, terribilia de fide, mirabilia de fidei institutione, & in alveolo mentis veneniferas ingerit potiones, quas vel in confessione euomere peccator oneratus exhorret. Venit in oratorium, dormitorium occupat, insidet refectorio, circuit claustrum, reuisit officinas: nullam prætermittit artem nocendi, sed vbique suæ caliditatis assignat argutias. Et in choro quidem inter orandum & psallendum, mentem pertrahit in diuersa, præteritorũ rememoratione puritatem intellectus inuoluens. In thoro vero multiformes libidinis sensus euoluit, insidians solitudini nostræ: & telis fortioribus oppugnans, vtinam non expugnet; pungat, nec vulneret. In refectorio autẽ gulam allicit ad videndum quæ perferuntur, & ingenti auiditate onerat distentum ventrem, vt majore opera ad egerendum egeas, quàm ad ingerendum. In claustro libros reuellit à manibus, memoriam resecat Scripturarum: & nunc de isto ad illum, cum signis & scurrilitate transuertit. Per officinarum multitudinem te facit excurrere, & vagabundo se comitem facit; donec taciturnitatis ostium aut aperiat aut confringat. Quid plura? In choro deuotionem, in thoro castitatem, in refectorio parcitatem, in claustro lectionem, in officinis silentij virtutem virtutis inimicus extirpat. Nec sufficit in vigilãdo subtilibus spiculis cordis terebrare muralia, sed dormiendo singulari se versat & reuersat astutia; quæ melius vestræ conscientiæ, quàm styli scientiæ derelinquo. Sed & ad altare Domini virtutum sequuntur nos spiritus isti, in ipsos mentis oculos inuolantes; & vix aliqua vel nascentis Dei, vel pendentis in cruce possunt

*Fervor religiosorum laudatur.*

*Genes. 32. & 28.*

*Ad confessionem adhortatio.*

*Psalm. 65.*

*Isaiæ 11.*

*Ægyptus mundum significat.*

*Psalm. 17.*

*Primus riuus Ægypti mala cogitatio.*

*Multitudo tentationũ diaboli.*

memoria deturbari. Magnus ille Patriarcha vix volucres hujusmodi à suis sacrificijs abigebat: nos qui sumus, qui fugare præsumimus? Quis in hoc riuo vel mersum, vel submersum se esse negauerit? Videtis, quàm turbidus torrens, & limosa regurgitans cœnositate, qui vix aut nũquam ad hoc ducitur, vt penitus exsiccetur. Nõ puto, quòd ille, qui clausit cælum oratione, clauserit animum à cogitatione: vt facilius sit, cælum obserare, quàm animũ. Secundus rivus est locutio peruersa. *Linguam nullus hominum domare potest*, ait Apostolus, *membrum inquietũ*, membrum mortiferum, facilis ad loquendum, ad obloquendum procliuior. Et notandum, quòd alter nascitur ex altero, cùm malæ cogitationi prauæ locutionis janua sit aperta. Et est verbum aliud falsum, vnde dicitur: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*: aliud vanum, de quo dicitur. *Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum.* Aliud maledicum, de quo Apostolus: *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* Aliud impudicum, de quo idem Apostol⁹. *Turpis sermo de ore vestro non procedat.* Aliud excusatorium: vnde Psalmista: *Non declines cor meum in verba malitiæ: ad excusandas excusationes in peccatis.* Aliud dolosũ, de quo Propheta. *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa.* Aliud otiosum, de quo ipse Dominus: *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicij*: & si qua alia sunt genera pestis hujus, quæ nos breui saltu transilire non possumus. Tertius est actio praua. Post cogitationẽ & locutionẽ venitur ad opera, quando exhibemus membra nostra arma iniquitatis peccato: & cõtumelijs afficimus corpora nostra. Quid enim turpius, quàm membra Christi sanguine consecrata, & consepulta ei in baptismate, libidinosis ardoribus maculare: nec attendere reuerentiam præsentis Dei minantis pœnam, gloriam promittentis? Absit, vt aliquis vestrum huic idolo famuletur, vt filium Virginis in Veneris templo suscipiat: vt arcam Dei juxta Dagon collocet; vt nutritus in croceis, stercora complectatur. Quid Petro cum mago; quid Christo cum Antichristo; quid virgini & libidini; quid puritati & impuritati? Absit, vt quisquã vestrum ambulet in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum: qui corpus Christi aut consecratis, aut Christi corpori ministratis; electi seruire Imperatori, vt cum Imperatore sedeatis, cùm sederit in sede Majestatis suæ. Qua fronte, quibus oculis videret vos, viueret vobiscum, qui tantis inter vos obscœnitatibus deservirét? Qua mente, qua conscientia accederet ad sancta Sanctorum, immolare Sanctum Sanctorum, cujus fama contemptibilis, vita notabilis, sermo reprehensibilis haberetur? Sed etsi fortè, (humanũ loquor, propter infirmitatem carnis nostræ) aliquis nostrum tale aliquid in cubiculo conscientiæ complicauit; deplicet illud per confessionem & pœnitentiam: & ego ei de nascentis pueri misericordia repromitto, quia si confessus fuerit, & pœnituerit, nascetur in eo lux mundi; vt dimotis fallacibus tenebris, splendorem veræ lucis aspiciat. Quomodo enim miseris misericordiam hac nocte negabit, in qua misericorditer nascitur misericors & miserator Dominus? Adest Deus & homo, mater & virgo, caro & verbum, lux & illuminans, bonus & bonitas, misericordia & veritas, fœcunda virginitas, virginalis fœcunditas, æterna nouitas noua æternitas, diuina humanitas, humana diuinitas, humilis sublimitas, sublimis humilitas, & in his omnibus misericordia fabricatur. Cohibete igitur extollentiam ab oculis, loquacitatem à lingua, crudelitatem à manibus, voluptaté à lumbis, pedes ab itinere non recto; & venite & arguite eum, si non hac nocte disrumpit cælos, si non descendit ad vos, & projicit in profundum maris omnia peccata vestra. Quis tamen est, qui hujus tertij rivuli non sit mersus & remersus instantia? Quartus rivus est defensio peccatorũ. In veritate dico vobis, quia nihil sic exasperat iram diuinitatis, quàm iniquitatis defensio. Æquo enim certamine nos decertamus cũ Domino, cùm defendimus quod odit, cùm nobis placet, quod displicet illi. Magna quippe differentia est inter superbum & humilem peccatorem: cùm illum despiciat, hunc respiciat; qui humilia respicit, & alta à longè cognoscit. Quãdo sanari poterit, qui medicum spernit, medicinam conculcat, & infirmam substantiam contrariorum receptione succendit? Tu dicis malũ bonum, amarum dulce, tenebras lucem, & in Creatorem refundis injurias; vt quod laudauerit, tu vituperes; quod vituperauerit, tu laudes. Non est hoc palpatiua dissimulatione tacendũ, cùm viderim quosdam vestrum tantis impatiẽtiæ stimulis agitari; vt ad primas correptionis voces, non solùm excusationem, sed & defensionem exhibeant; & nisi disciplinalis vigor obuiauerit, ad tumultus & jurgia prosiliat. Hæc impietas maxima in Deum, delictum maximũ, culpa grauis: quam vir simplex & rectus, & seruus Domini summa circumspectione deuitat. Elegantissimam super his comparationem inducit Propheta, quam de sacrario sancti Spiritus asportauit. *Ibi*, inquit, *habuit foueam hericius.* Hericius ita confertissima spinositate densatus est, vt vndique punctionibus & aculeis vestiatur. Cùm vero se adeptum solitudinem putat, caput exerit, pedes extrahit, & viuificatorios motus plana deambulatione demonstrat. Si quis superuenerit, statim celerrima velocitate caput cum pedibus ad interius absconditorium reportatur: vt si tenere volueris, priùs videas sanguinem tuum, quàm corpus suum. Sic & peccatoris caput cum pedibus, id est, intentio cum actione à Pastorum solicitudine prospectatur, & quod ferè omnium peccantium vitium est, cùm ab omnibus videatur, à nemine existimat se videri. Si vitium resecare studeas, & intentionis ingressus cum actionis egressibus correctiuis manibus deprehendere, statim Ciceronis eloquentia renouatur, excusatur & defenditur quod opponis: accusaris & offenderis, qui proponis. Interrogat de loco, de tempore, quando factum fuerit; & novus Dialecticus exerta lingua prorumpit in medium. Parentes aduocat, patrocinatores quærit, grauari se judicat, indicat se recessurum, malle mori, quàm pati talia; & quæ vidisti negans, & quæ non vidit in te conuitia retorquens. Sic spinam sentis, & culpam perdis; odium incurris, nec corrigis; & quem totum tenere putabas, totum amittis. Vides, quàm multiplici cumulositate rivus iste omni homini, & maxime nostro Ordini se infudit. Quintus est exultatio in peccatis. O detestanda lætitia, & in sempiterni doloris tristitiam demutanda, in peccatis sicut in virtutibus

*Vanas cogitationes abigere impossibile.*

*Locutio mala secundus rivus.* *Iac.* 3.

*Psalm.* 5. & 11.

1. *Corin.* 6.

*Ephes.* 4.

*Psalm.* 140. & 11.

*Matt.* 12.

*Actio praua tertius rivus.*

*Defensio peccati 4. rivus Ægypti.*

*Psalm.* 103.

*Qui peccatores hericijs similes.*

*Exultatio in peccato 5. rivus.*

exultare! Nonne latrocinantes & facinorosi quique, cùm votorum plenitudinem assequũtur, non se capiunt præ gaudio: ita etiam vt audeant ipsi diuinitati gratias immutire? Qui cùm malefecerint, lætantur,& exultant in rebus pessimis: cadent super eos carbones, & in ignem dejicientur. Sed & rivus iste quàm vndosa refluxione miseros animantes offundat, meliùs conscientia quàm eloquentia comprehendit. Sextus est, alios docere ad malum. Hæc doctrina de cathedra pestilentiæ diriuatur: quam detestatur & reprobat, qui docet hominem scientiam. O quàm in vano accipit animam suam, qui aliorum animas venatur ad mortem; qui trahit peccata, sicut restem longam; qui miscet sanguinem sanguini: cui non sufficit, vt intereat in sæculum sæculi, nisi & alios pertrahat ad interitum sempiternum. Scitis enim, quia multa vitia tenerrimis ætatibus imprimuntur: quæ postea in magno corpore vix mitigare, ne dum extirpare quisquam possit. Infelices magistri, qui hujusmodi plantaria plantauerunt: explantabuntur ab illa cælesti plantatione, quam plãtauit pater ille cælestis. Quis gloriabitur, se hujus riui torrentibus non fuisse vallatum? Septimus est, in his omnibus perseuerare. Hic peccator demersus est & absorptus; & clausit super eũ puteus os suum. Cùm enim non leuat oculos ad cælum, nec recordatur judiciorum justorũ, mortuus & sepultus est in sepulchro conscientiæ suæ. Tunc à mortuo, tamquam qui non est, perit confessio; tunc peccator, cùm venerit in profundum malorum suorum, contemnit. Hic est in extremo fluminum Ægypti: hic multitudo miserationũ Domini tollitur ab oculis ejus. O flumen malum, riui pessimi, riui exterminantes! Hac nocte Dominus eos calciatus transiuit; cùm in virginali substantia puram carnem & omnium prætaxatarum pestium immunem accepit, illo calceamento calceatus, quod in Idumæam extendit; cujus corrigiam solvere non potuit magnus ille Baptista. Misit de summo filium suum, & accepit me in vtero virginis; & sic tandem assumpsit me de aquis multis, quas vobis breuiter prælibauimus. *Libera me*, inquit, *ab his qui oderunt me, & de profundis aquarum.* Percutiemus & eos, si cogitemus pro peccato nostro: si prohibeamus linguam à dolo: si declinemus à malo, & faciamus bonum: si confiteamur aduersum nos injustitiam nostram Domino: si dolor noster sit semper in conspectu nostro: si doceamus iniquos vias Domini; si laus Dei sit semper in ore nostro; & vt de arte sutoria nostris moribus aliquid consuamus, habeamus calciamenta densa, & subtiliter consuta, quæ possint aquas obviantes excludere. Faciamus carnem nostram firmam & confixam timore Domini, quæ libidinis humorem excludat; & excocta tribulationibus atque densata, fiat vter novus ad conservandum vinum novũ, de quo dicitur. *Quia factus sum sicut vter in pruina.* Sed jam corda & corpora vestra ad suscipiendum filium Virginis præparata dimittamus in pace: & omnes in commune lumen ad reuelationem gentium innocentibus brachijs amplectamur; qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.


*Quis in vanum animã suam accipiat.*

*In malo perseuerare pessimum.*

*Psalm. 68.*

*Vt percutiantur spiritualiter Ægyptij.*

*Psalm. 118.*



## SERMO *In Natiuitate Domini.*

*De eo quod scriptum est:* Oleum effusum nomen tuum, *&c.*

*Cantic. 1.*

NON poterit explicari sermone, quod mente concepi. Stupor enim miraculorum opprimit me: & dum omnia replico, omnia complicantur. Quis poterit cogitare diem aduentus ejus? Ideo fit elinguis lingua, memoria immemor, insensibilis sensus. Insueta nouitate resplendent omnia, & cuncta partui Virginis obsequuntur. Fiunt mirabilia in cælo sursum, & in terra deorsum; & vniuersa in nascentis Dei obsequium jurauerunt. Insigniuntur conuexa cælorum stella lucentiori, & multo lumine loca flammantia perstringuntur. Diffunduntur per quadrifidum orbem radij rutilantiores, & pluralitatem stellariorum ignium novus ignis obtundit. Miratur orbis cælos novum peperisse splendorem, & inconuertibilem eorum statum ad signa & prodigia fuisse conuersum. Vident Chaldæi in cælis, quod Balaam reliquit in scriptis. *Orietur*, inquit, *stella ex Iacob, & consurget homo ex Israël: & erit omnis terra possessio ejus.* Nascitur stella in excelsis, & Deus in terris; cujus possessio à mari vsque ad mare. Præparant se Reges Tharsis, vt cum nouitate munerum videant matrem novam, filium novum, novam natiuitatem. Fons olei de terra erumpit; Templum Romæ, quod vocabatur æternum, corruit, omnibus expensis & Vrbis & Orbis mirabiliter consummatum. Cùm enim Romani in memoriam victoriosæ antiquitatis, templum singulari schemate facere decreuissent, ab omni illa deorum, imò dæmoniorum multitudine quæsierunt, vsquequo durare posset tam excellentis operis operosa constructio. Responsum est, donec virgo pareret. Illi ad impossibilitatẽ oraculum retorquentes, solemnem illam machinam templum æternum vocauerunt. Nocte autem ista, cùm de virginali thalamo virgineus flos Mariæ egressus est, ita cecidit, & confractũ est illud murale & columnarium opus, vt vix appareant vestigia ruinarum. O Bethleem ciuitas Dei summi, & in te, & in suburbijs tuis visa sunt mirabilia hodie. Deus pendet ad vbera, ponitur in præsepe, ligatur in cunis, pannis inuoluitur, & laxatis fasciolis felices manus, & sancta brachiola per cunarum parvitatem expandit. Alludit virgini, matri arridet, & blandientes oculos in Mariam retorquet. Stat perterrita tantis miraculis Regina cælorum: confert in corde suo salutationem Archangeli, conceptionem Dei, natiuitatem pueri: & miratur quòd ille, qui aliter potuit ad nos venire, sic voluit sub uenire. Adest & Ioseph, sed ab vtroque remotus: & in excessu mentis miratur, & satis mirari non potest, qualiter ad tantæ dignationis sit admissus arcanum. Adest multitudo cælestis exercitus, & vocibus gloriosis *Gloria in excelsis* auditur. Pastores veniunt, & inueniunt puerum & puellam: præcedit stella, Reges accedunt, adorant filium, matrem venerantur, offerunt munera, honorem deferunt majestati. Cruciatur Herodes, Ierosolyma turbatur, requiruntur Scribæ, locus prædicitur, indicitur simulatio, simulator ad nihilum deducitur, deteguntur commenta fraudum. Magi per aliam reuertuntur viam, pax inaudita à sæculo in sæculo

*Miracula in Natiuitate Christi patrata.*

*Num. 24.*

*Templum pacis.*

*Luc. 2.*

regnat, vniuersus orbis ad censum describitur, riuus olei de terra profudat, & in diuitem venam liquor sanctificatus ebullit. Quid est hoc, nisi quia vera pax in terris apparuit: nisi quia ad supernum regnum ciues ascribimur; nisi quia fons misericordiæ de Virgine emanat? *Oleum effusum*, ait Spiritussanctus, *nomen tuum*. Spiritussanctus hujus Scripturæ vnus & vnicus fabricator, non parvam suæ pinguedinis dulcedinem sub hoc capitulo dereliquit: sed vos nocturnis vigilijs ita defatigati estis, vt vix possitis somnum ab oculis amouere. Euigilate tamen paulisper, & somni torporem excutite. Aderit ille, de cujus natiuitate loquimur, vt illuminet oculos nostros, ne obdormiamus. Totus autem sententiæ sensus ex illius arca mutuabitur, cujus consilium quasi consilium Dei. Ille ipse est cujus religio & discretio, sapientia & eloquentia, vita & fama, Dominus scilicet Claræuallensis, per totam Latinitatem non immeritò percucurrit.* Sed ad propositum reuertamur. Benignus ille Spiritus, de cujus secretiori fonte Canticorum flumen emanat, in his tribus verbis, tria nobis requirenda reliquit; nomen videlicet sponsi; quare oleo cōparetur; & quomodo effūdatur: quia & nomen tacet, & de comparatione nil loquitur; nihil dicit de effusione. Primùm de nomine videamus. Multa, vt arbitror, vocabula sponsi per divinam Scripturam sparsa legūtur: sed in duo vobis vniversa complector. Nullum profectò reperies, quod non sonet aut Majestatis potentiam, aut gratiam pietatis. Puer Domini, de quo sæpius facio mentionem, ad regis cubiculum introductus; duo quasi sublimiora de ipsius ore divinitatis audiuit. *Potestas Dei est*, inquit, *& tibi Domine misericordia*. Sed & ipse Salvator Propheticæ veritati attestans, ait. *Vos me vocastis magister & Domine*. Dominus nomen est majestatis, pietatis magister. Si enim pium est præbere escam corpori, misericordius est escam animæ impertiri, quod est propriè magistrorum: qui mentes indisciplinatas sub disciplinæ rigore coërcent. Videamus, quod horum nominum effundatur: vtrum nomen potentiæ in nomen gratiæ, vel nomen pietatis in majestatis vocabulum. Absit, vt misericordia in potentia includatur; quia miserationes ejus super omnia opera ejus. Certum est ergo, quia potestas Dei in majorem hodie pietatem effusa est; cùm cæli distillauerunt à facie Dei, & de virginibus membris, antiquus dierū exoritur. Non est qui se abscondat à calore isto, quia largior olei effusio à capite descendit in barbam: quæ etiam extremam vestimenti fimbriam largiùs irrorauit. Tanta est abundantia miserantis, vt non solùm sub nomine effusionis, sed & exinanitionis censeatur. *Exinaniuit*, ait Apostolus, *semetipsum, formam serui* die hodierna accipiens; & cum tota multitudine miserationum suarum, de thalamo prosilijt virginali. Non enim habuit dulciorem modum ad redimendum nos, abyssus illa consiliorum Dei: quia quicquid in divinitatis thesauro pietatis inuentum est, totum in vtero virginis est aggestum. Non me capio præ lætitia, quòd illa majestas naturam suam, natūra meæ carnis & sanguinis supervelat: & me miserum in divitias gloriæ suæ, non ad horam, sed in sempiternum includit. Fit frater meus Dominus meus, & timorem Domini fratris vincit affectus. Domine Iesu, te libenter audio regnantem in cælis, libentiùs nascentem in terris, libentissimè crucē, clavos, & lanceam sustinentem. Hæc siquidem effusio rapit affectum meum, & istorum memoriâ concalescit cor meum, viventis & vividæ potionis asperitate purgatum. Vivens est iste sermo & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarum scrutator. Vnus illorum, qui Prophetalis chori aut magister, aut inter magistros est, sub senaria divinorum nominum partitione de hac effusione mirabiliter quidem, sed subtiliter Prophetauit. *Vocabitur*, inquit, *nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis*. Erat quidem admirabilis Dominus meus inter Angelicos ordines, audiens hymnum gloriæ suæ: admirabilis illi mirabili creaturæ, faciens mirabilia in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Ego autem in luto fæcis & miseriæ obvolutus, miser & miserabilis, omnem spem emergendi perdideram. Ille in gloria, ego in miseria; admirabilis ille, miserabilis ego. Sanctum & terribile nomen ejus, quod vix audeat illa dignior natura nominare. Nomen istud clausum & integrum, quomodo capere poteram, quem vix Angelicus oculus prospicere, nedum percipere potest? Sed vide effusionem. Ille qui erat admirabilis agminibus Angelorum, inclinat cælos, & fit consiliarius hominū. Majestativum nomen in pietativum effunditur, & qui mirabilis est in cælis, consulere venit in terris. Abscondit purpuram sub miseriæ vestimentis, & ad lutum in quo jacebam inclinatur, non mergitur: & si audeo dicere, infixus in limo profundi, operi manuum suarum porrigit dexteram: de profundis aquarum extrahit, extractum abluit, ablutum induit, indutum reportat, reportatum confirmat. Porrigit dexteram cùm nascitur, cùm loquitur extrahit, abluit cùm moritur, induit cùm resurgit, reportat cùm ascendit, confirmat cùm Spiritum sanctum emittit de cælis. Bonus quidem consiliarius, qui consiliū, quod voce dederit, etiam morte defendit. *Erat enim docens*, ait Evangelista, *sicut potestatem habens: non sicut Scribæ & Pharisæi eorum*. Deus & fortis nomina sunt potestatis: sed Deus effunditur in patrem futuri sæculi, fortis in principem pacis. Breviter curro, quia & fatigatis & scientibus legem loquor. Quid tibi mussitabūde Lucifer in tanta diffluxione? Clausum est tibi totū itinerarium Dei, & malignans oculus tuus hic nimiùm caligavit. Sed & Dominus meus admirabilis fuit in nativitate, consiliarius in prædicatione, Deus in miraculorum coruscatione, fortis in passione, pater futuri sæculi in resurrectione, princeps pacis in illa æterna beatitudine. Non terreamini novitate verborum; quia nihil novum introducitur. Sic & olim nomina commutata sunt & effusa, Abram in Abraham, Saray in Saram; etsi quas alias mutationes in illa veteri officina vos legisse recolitis. Sed & ab ipsis pene mundi principijs in arcano quodā Scripturarum loco, diuini nominis effusionem invenisse me recolo. Loquitur Deus ad Moysen de liberatione Israëlis, & post multam Dei & Moysi confabulationem, Propheta subtiliter inquirit nomen ejus, & Dominus dicit: *Ego sum qui sum: hoc nomen meum in æternum. Hæc dices filijs Israël: qui est misit me ad vos*. Perter-

Marginal notes:
*Cantic.* 1.
*Locus S. Bernardi adhuc viuentis.*
**In alijs codicibus additur*, Libēter enim illius sarcinas odoro.
*Psalm.* 61.
*Ioann.* 13.
*Quod nomen Dei effusum sit.*
*Philip.* 2.
*Effusio nominis Dei à Propheta prædicta, Isaia* 9.
*Marc.* 1.
*Genes.* 17.
*Hæc ferè omnia ex S. Bernardo sumpta sunt serm.* 15. *in Cantica.*
*Exod.* 3.

ritus Moyses inextricabilis authoritate vocabuli, ac si diceret hoc excedit intellectum meū, non possum capere nisi effundatur, audit à majestate. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Vides effusionem? Ecce Deus Angelorum vocat se Deum hominum. Curramus ergo fratres in odore vnguentorum istorum, curramus ad oleum de oliva speciosa in campis expressum, nulla infectum amurca, nulla infectum amaritudine. Oleum quod exhilarat faciē hominis, quod sanat vulnera, dolorem tollit, reddit suavitatem. Nonne Samaritanus noster, nobis à latrone pessimo vulneratis, attulit oleū & vinum, ad purgandum & mitigandum vulneris magnitudinem? Sed multum olei, parum vini. Multum misericordię, justitiæ parum. Sic quippe decebat miserantem, sic misero expediebat. *Non intres in judicium cum servo tuo,* ait justus, *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis viuens*: sed corona me in misericordia & miserationibus. Veniens quippe hodie quinque vasa attulit olei, non nisi duo vini. Spiritus enim sapientiæ, & intellectus, consilij, scientiæ, & pietatis, nonne dulcedinem sonat: misericordiam flagrat, eructat abundantiam suavitatis? Fortitudo & timor vinum sunt, sed hoc vino potatus est potens ille, cùm Christus in spiritu fortitudinis descendit ad inferos, non timidus, sed timendus. Videamus nunc quare oleo cōparetur. Oleū lucet, pascit & vngit. Vide quomodo pręclara luminaria lumē nobis nominis hujus super eloquētiæ candelabrū portaverunt: si non illuxerunt coruscationes Dei orbi terræ, si non in splendore fulguris hujus commota est & contremuit terra. *In nomine Iesu Christi surge & ambula,* ait claudo Princeps Apostolorum. Nonne quasi fulgur exiliuit ab ore Petri, cùm nominatum est nomen, quod os Domini nominauit? *Et statim consolidatæ sunt,* inquit, *bases ejus & plantæ.* Vocabulum Iesu, sicut Origenis lingua nobilior diffinivit, dulce & gloriosum omni adoratu cultúque dignissimum, quod non priùs ab hominibus debuit efferri in mundum, sed à quadam sublimiori excellentiorique natura. Omnes quippe Prophetæ nomen istud aut nescierunt, aut penitus tacuerunt. Et reservata est prærogativæ dignitas Archangelo Gabrieli, qui sancto ore sanctissimæ Virgini illud primum evoluit. Nonne Isaïas in excessu mentis raptus, verbis Archangelicis, eisdem pene syllabis consentit, vsque ad Sancti nominis novitatem? Pascit revera, nec est felicior pastio in loco pascuæ, vbi nos Dominus collocavit. Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Nomen Iesu mel in ore, in aure melos, in corde Iubilus. Omnis cibus qui non conditur hoc sale, infatuatus est. Scriptura, quæ non fuerit interlita oleo tantæ devotionis, aut insipida est, aut amara. Nescio quid dulcius immurmurat mihi filius Iesse, quàm Tullij dulcis eloquentia, aut blanda carmina Poëtarum, quàm Philosophorum aurea verba. Lex, Prophetæ, Evangeliū & Epistolæ, & omnis gloria sententiarum Domini mei, & servorū ejus, vario sermonum & sententiarum concētu, omnes illos ineloquentes reddunt & mutos. Lenit & vngit; quia nihil sic recreat in tribulatione. Denique & probare licet. *Inuoca me,* inquit, *in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me.* Hoc est nomen, hoc est oleum, hæc olei effusio. *Amen dico vobis, non deficiet hic lecythus olei, nec minuetur,* donec pluviam voluntariam, quæ segregata est hereditati ejus, diffusiùs instillet; donec faciat cælum novum, & terram novam; quia misericordia ejus ab æterno, & vsque in æternum, super timentes eum. Sed jam surgamus & præparemus nos ad solemnioris Missæ jubilationem; nec cordibus parcentes nec vocibus, ad honorem pueri, qui natus est nobis; qui est benedictus in sæcula.

*Exod. 3.* — *Deus vocat se Deum hominum.* — *Psalm. 142.* — *Christus attulit 5. vasa olei duo vini.* — *Actor. 3.* — *Iesus est nomen gloriosum.* — *Psalm. 49.* — *3. Reg. 17.*

SERMO *In Festo Beati Protomartyris Stephani.* De ejus dignitate.

ADHVC Filium Virginis habemus in manibus, & obsecutoria delinitione vagientis Dei honoramus infantiam. Ducit nos virgo ad veneranda cunabula; & speciosa præ filiabus hominum ad speciosum forma præ filijs hominum: benedicta inter mulieres, ad benedictum supra homines nos conducit. Submurmurat nobis in aurem, (ne fortè domus exasperans audiat, & quiescat,) revelata esse velamina Prophetarum; & completum consilium Dei. Videte miraculum matris Domini, quia creatura creat, & Creator creatur. Scintillat sidus, Magus adorat; exultat polus, tellus resultat: gloriantur Angeli, Pastores adgaudent; Virgo parit, nascitur Deus; & cælorum luminaria clariori lumine lumen exortum in tenebris prosequuntur. In istis versamur bonis; beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis. Scio, quia dulce nobis est, *In principio erat Verbum:* dulcius, *Verbum caro factum est*: dulcissimum, Verbum in cruce suspensum. A tanto puerperio quis insanus oculos vestros amovere, nedum auellere præsumat; nisi ipse jubeat, qui dicit, *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt?* Ecce dum osculatur nos osculo oris sui, dum tantis miraculis & stupidos nos facit & attentos, Stephanus plenus gratia & fortitudine, facit prodigia, & signa magna in populo. Nūquid æquum est derelinquere Regem, & ad militem oculos retorquere? Nequaquam, nisi præceperit Imperator. Surgit ipse Rex filius Regis, & lapidantium acies interrumpens, triūphatorio certamini non sine dolore cordis adsistit. Videt opprimi primum, & primicerium purpuratæ cohortis, & grandinaria lapidum densitate fontes sanguinis de corpore Protomartyris ebullire. Videt, quia vniversa debacchatio redundat in ipsum; & ipsi soli improperia exprobrantium cumulantur. Vbi pietas & misericordia tua, Domine, si non compateris patienti: vbi æquitas & justitia, si non judicas, & vindicas de populo lapidante? Curramus ad spectaculum; ad quod currit, qui exultat vt gigas ad currendam viam; & videamus quibus armis armatus vexillifer Martyrum in campum pugnaturus descendit. Et vt diligentiùs elucescat singularis Martyrij prima prærogativa, reuocemus ad memoriam Apostolicorum actuum descriptionem; in quibus historicis & figuralibus dictis conuersatio & passio belligeri militis continetur. *Stephanus,* inquiunt, *plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia, & signa magna in populo.* Non parvum latet hic mysterium: nec vilipendenda simplicioris scripturæ manifesta positio. Ad Virginem quippe loquens Angelus, verba de cœlestibus scrinijs

*Ioann. 1.* — *Cantic. 6.* — *Actor. 6.*

sumpta, nec alterius nisi ipsius Dei spiritu fabricata, noua salutatione perorat. Nulli dubium, quin omnium verborum excellant altitudinem, vt pote de melioribus disciplinis sancti Spiritus evoluta; quorum enuntiatione confœderandum erat illud vnicum sacramentum Verbi & hominis, divinitatis & carnis, *Aue*, inquit fortitudo Dei, *Maria gratia plena.* Quid autem de Stephano? *Stephanus plenus gratia & fortitudine.* Nonne Lucas eisdem pene litteris de vtrisque eloquitur? Sed licet longè excellentior in Virgine modus prædicetur; secundariò tamen laudatur in Martyre. Habet igitur gratiam Stephanus sublimiori genere quàm reliqua Martyrum multitudo: plenus gratia, refertus videlicet, & cumulatus: quod rarò in Scripturis Canonicis subtilis inquisitor inueniet. Iungitur gratiæ fortitudo, quia infuso spiritu libertatis, ignitus animus in vocem veritatis erumpit: nec patitur vllo pacto rigorem justitiæ vel submitti aliquando, vel dimitti. Sic loricatus gratia, & hasta sapienter infrendens, faciebat prodigia, & signa magna in populo. Ille potest signa & prodigia facere, in quo gratia & fortitudo sedem fortissimam statuerunt. Sic exit Stephanus ad homicidas, ad legis adulteros, ad crucifixores filij Dei Patris. Loquitur genti peccatrici in Ægypto; populo graui iniquitate in deserto: semini nequam in terra promissionis: filijs sceleratis in morte Salvatoris. *Dura cervice*, inquit, *& incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui S. restitistis*, &c. *Surrexerunt autem quidam de Synagoga*, Synagoga vtique Sathanæ: & vndique conglobantur, vel ad convincendũ, vel ad occidendũ. Faciunt impietatis parietem vnũ, squama squamæ cõjungitur: sibilant sibi serpentes adinvicem, & conveniunt in vnum adversus Dominum, & adversus servum ejus. Velit nolit, cedit impietas pietati, veritati error, stultitia sapientiæ, Spiritui sancto præsumptio & vanitas spiritus humani. *Non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur.* Non dixit, non volebant, quod rationabiliũ est, & perfectorũ: sed nõ poterãt, vbi male mẽtis facultas tollitur, non volũtas mutatur. *Redarguebantur*, ait, *ab eo cum omni fiducia.* Fiducialiter agit, nec nutat, nec mutatur imperterrita mens, quæ magis amat justitiam, quàm vitam; fidem, quàm sanguinem; mortem, quàm justitiæ taciturnitatem. Concurrentes rapiunt eum, adducunt in concilium, & gaudent eum infra sua retiacula conclusisse: sed frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Tunc vox liberior, & illorum cotibus sermo acuitur veritatis: totúmque Martyrem rapit sibi spiritus Dei, & ex ejus ore sonantiori organo modulatur. Apparet ei vna facies Scripturarum, & veteris instrumenti dispendia, in compendiosam redigit breuitatem. Replicat promissiones & beneficia Dei, murmurationes & maleficia populi, bona præstita, reddita mala, & ad extremum diuini sanguinis exprobrat effusionem. Vocat refractarios spiritus, dura cervice, incircumcisos corde & auribus; & sublimi voce homicidas & proditores appellat. Non veretur conventicula congregata de sanguinibus, & inter manus quærentium animam ejus deliberatiori justitia cacumen veritatis ascendit. Dissecantur cordibus, strident dentibus in eum; concipiunt dolorem, & prope est, vt pariant iniquitatem. Mirum, quòd non revocantur insueti nouitate miraculi: quòd luminosa protomartyris facies non refrænat insanos. *Videbant*, inquit, *faciem ejus, tamquam vultum Angeli stantis inter illos.* Quid est Iudæi? Lumine vultus Dei insignitur Levita, & vibrãti splendore Stephanus serenatur: reuerberantur oculi vestri, & tamen invidiæ magnitudo visionis majestatẽ obcludit? Respondeant diuinorũ voluminũ evolutores, vbi evolverint hominem in terris positum vultum Angelicum induisse: & cùm in vtrisque legibus, vel numquam vel rarò inuenerint, adstupeant gloriæ triumphantis. Sequitur. *Cum autem esset plenus Spiritu sancto: intendens in cœlum, vidit gloriam Dei*, &c. Mirum dictu, & totius supergressio creaturæ. Intendit in cœlum, videt jam non cœlum, sed cœlos apertos: videt gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Mouet me hæc intentio, quæ de cordis puritate refusa vim facit cœlis, & ad ipsius diuinitatis consistorium penetrat & attingit. Cœli aperiuntur, gloria Dei videtur, Iesus conspicitur stans non solùm à dextris Dei, sed & à dextris virtutis. Intentionem hanc fecerat abjectio mundi, contemptus sui, cordis munditia, dilectio Dei, proximi amor, veritatis defensio, desiderium Christi. Retorquenda essent hæc omnia ad communes flosculos moralitatis, nisi esset excellentia Martyris commendanda. Felices oculi, subtilis visus, visio gloriosa. Signanter recollige positionem verborum. Plenus est Spiritu, & sic intendit in cœlum: quia qui spiritu diuinitatis afflatur, conculcatis terrestribus, cælestibus inhiat & æternis. Post hæc aperiũtur cœli, nullàque præualet obfirmatio vel clausura, quam non transvolet aut irrumpat mens illi summæ menti affectanter inhærens. Aperiuntur ergo cœli, & puto, quòd omnes cœli: eorúmque apertionem sequitur visio gloriæ Dei: & videtur Dominus Iesus stans à dextris virtutis Dei, ne Patre minor esse putetur. Stat cum stante, cum bellante bellatur: quia lapidatur in lapidato. Non mediocris stupor inuoluit me, vtrum primitivus flos Martyrum corporeis, an incorporeis oculis ista perspexerit. Grande quidem miraculum, si mentali intuitu stellantibus se immersit arcanis: si oculi mundicordes tam solemnem inspexerint visionem. Quòd si corporalibus, certum est, hunc omne hominum genus disparilitate gloriæ præuolasse; & pennis fidei & virtutum incorporea corporeis, & si non comprehendisse, apprehendisse tamen. Nihil audeo temere diffinire, vel ex abrupto præcipitare sententiam; cùm finitiuam super hujusmodi regulam me non legerim inuenisse. Securiùs tamen sequor Apostolum, imò spiritum Dei in Apostolo: qui cum summa verborum libratione magis securè ambiguitati, quàm periculosè diffinitioni ista cõmittit. *Siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit.* Exclamant statim clamore horribili, continent aures suas, & eas obstruunt veritati: impetum faciunt vnanimiter in eum, facti amici in morte illius; & ejicientes eum extra ciuitatem, lapidabant. Ejicitur Martyr extra ciuitatem sanguinum, in qua priùs justitia habitauerat; nunc autem homicidæ, de qua dicit Sanctus. *Quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.* Hæc est ciuitas, quam die

[Margin notes: *Luc. 1.* — *Actor. 6.* — *Stephanus præ alijs plenus gratia.* — *Actor. 7.* — *Actor. 6.* — *Libertas Martyris in Iudæis arguendis.* — *Ibidem.* — *Non mouentur Iudæi claritate vultus S. Stephani invidia obcæcati.* — *Actor. 7.* — *An S. Stephan. oculis corporeis viderit Christum.* — *2. Cori. 12.* — *Psalm. 54.*]

ac nocte circumdat iniquitas, & labor in medio ejus & injustitia. Ciuitas castellum despectiuè vocata; quod contra Apostolos & Apostolorum Dominum, durissimis infidelitatis vectibus est munitum. Extra portam ciuitatis hujus passus est Dominus: extra eam lapidatur & servus, exiens ad eum extra castra, & portans similitudinem improperij ejus. Deponuntur vestimenta Martyris ad pedes persecutoris; qui attactu sacrarum vestium, & orationibus sancti fuerat conuertendus. *Et lapidabant*, ait, *Stephanum, inuocantem & dicentem. Domine Iesu accipe spiritum meum.* Currunt illi ad lapides, & iste ad preces. Lapides lapidem percutiunt; sed lapidem molliorem, de quo fluit oleum charitatis; & tinnitus redditur pietatis. *Domine Iesu*, inquit, *ne statuas illis hoc peccatum: quia nesciunt quid faciunt.* Rogat suscipi spiritum suum: spiritum vtique, & spiritum illum, quem signanter quasi quoddam tertium Apostolus in homine præcipit conservari. *Vt integer*, inquit, *spiritus, & anima, & corpus, in diem Domini sine querela servetur.* O quanta pietas, quantus affectus, & ardentissimæ charitatis integritas! Recte Martyrij florem iste sibi præuendicat; in quo similitudo Domini pendentis in cruce mirabilibus formulis est impressa. In ligno enim spinis, clauis, & lancea, affixus & crucifixus, dissimulat illum vnicum dolorem; & obliuiscitur mortis vicinæ, novum introducturus exemplum. Aperit latitudinem charitatis, & apertiori campo terminos traditæ legis amplificat. Iam non solùm amicus amicis, sed velint nolint, amicus pariter inimicis. *Pater*, inquit, *ignosce illis: quia nesciunt quid faciunt.* Non potuit esse inefficax oratio morientis vnde & inimicorum numerositas ad numerum transiuit amicorum. Vide, quàm recto cursu Stephanus, etsi non æquat, sequitur tamen Redemptorem. Volat saxorum imber, & fortissimis inuidorum manibus loca vulnerum duplicantur: sed patienter patitur coronatus noster, de corona nominis ad coronã regiminis transferendus. Nescit affectum carnis, & mortis horam ignorat. Et vide, quid deliberet faciendum. *Positis*, ait, *genibus clamauit voce magna dicens. Domine ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt.* Clamat voce magna, quia magna vtique charitate. Positis genibus, quia vera & humili simplicitate. Pro se orans stat, & erigitur: pro lapidantibus genua flectit, & humiliatur. Quis audiuit vmquam tale; & quis vidit huic simile? Plus dolet persequentium peccata, quàm sua vulnera: illorum iniquitatem, quàm suam mortem. *Et cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino.* Felix somnus cum requie, requies cum voluptate, voluptas cum satietate, satietas cum securitate, securitas cum æternitate. *Obdormiuit in Domino*, inquit, absortus in claritatis abyssum, & inter Dei sui brachia requiescens. Sedebat à dextris Dei Dominus Iesus: sed primo Martyri assurrexit, & detulit primo Martyri Martyrum caput. Recolitis, quid illa Ecclesiæ lingua, Augustinum loquor, de hoc Martyre senserit; quem post mortem septem mortuos asserit suscitasse. Eia vos qui Leuitali ordine præfulgetis, cantate ei canticum novum; & tantæ festiuitati festiuis vocibus inclamate. Fortassis aderit concinentibus, & suggeret de vobis Domino suo, Iudici vestro, ne statuas illis hoc peccatum, summæ Deus; qui es benedictus in sæcula.

*Extra portam Christ. & S. Stephanus passi sunt.* — *Actor. 7.* — *Ibidem.* — *1. Thessa. 5.* — *Stephanus charitatis Christi imitator.* — *Luc. 23.* — *Actor. 7.* — *Pro se orat stans, pro inimicis genuflexus.* — *Ibidem.* — *S. Stephanus 7. mortuos suscitauit post mortem.*



# MONITIO.

HABES, *benevole lector, illos vndeviginti Sermones Nicolai, quorum ipse meminit in epistola nuncupatoria. Horum multi inter quisquilias operum S. Bernardi, quia ejus non esse legitimi fœtus probabantur, erant sepositi. Vnus etiam inter opera ejusdem genuina locum sortitus fuerat in impressis, nescio, an etiam in quibusdam manuscriptis: is scilicet, qui in festo B. Mariæ Magdalenæ habitus est. Sequebantur alij quatuor, quos Author confusè indicat in prædicta epistola, seu præfatione sua: primus de verbis libri Sapientiæ,* Iustum deduxit Dominus per vias rectas, *Secundus de quinque lapidibus Dauid contra Goliam: tertius de carne, & cute, & ossibus animarum; quartus de triplici gloria in illud Apostoli,* Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Sed primus, tertius & quartus inter Sermones,* De Diversis, *S. Bernardi habentur, secundus etiam in prima classe Sermonum ejusdem S. Patris locatus est, & hactenus illius creditus: quos proinde ad alia festinantes hic omittimus: sicut & notas seu animadversiones morales in aliquot versiculos Psalmorum, quas Henrico Campaniæ Comiti etiam nuncupauit, tum in Epistola prædicta, tum in capite horum versiculorum, vbi hæc habet.* Quosdam tibi Psalmistæ versiculos, Comes dulcissime, prælibaui, de profunda abysso stillam modicam hauriens. *Officia verò de S. Cruce, de B. Virgine, & de S. Victore Confessore, multò libentiùs prætermittimus. Epistolas ejus, si viri docti & pij probauerint, postea daturi sumus.*



# EPISTOLAE ALIQVOT PRAELATORVM ET MONACHORVM CLARA-VALLENSIVM.

PRIMAM omnium exhibemus Epistolam insignem Beati Fastradi, ad quendam Abbatem. Hanc sequuntur, quæ Philippi de Eleemosyna nomen præferunt: quarum tamen prima est Henrici ex Monacho Claravallis Remorum Archiepiscopi: secunda est Monachi cujusdam Claravallis anonymi. Quia verò hæ Epistolæ à Philippo fuerunt dictatæ, ideo illi adscribuntur. Vnde in Fusniacensi codice titulus hujus secundæ hic est, pro quodam Monacho, cùm tamen in ea inducatur Anonymus ille loquens: quia scilicet illam ejus nomine scripsit Philip. Tertia est Abbatis Igniacensis. Quarta Henr. & Ottonis Cardinaliũ, & ejusdem Philippi: ab ipso vt apparet, scripta. Reliquas scripsit Author nomine suo. Hic autem primùm tempore schismatis Petri Leonis aduersus Innocentium secundum, in Tarentinum Episcopatum intrusus fuerat, sed postea depositus ac resipiscens Claravalle sub S. Bernardo vestem Religionis induit, à quo & postea ejusdem Cœnobij Prior constitutus est. Extat ejusdem Sancti Epistola ad Papam Eugenium pro eodem Philippo, qua rogat, vt ei liceat sacrorum Ordinum munera ob schisma præteritum olim ei prohibita, exercere. Postea electus est Abbas Cœnobij de Eleemosyna in Diœcesi Carnotensi, vnde & Philippus de Eleemosyna deinceps dictus est. Ejus epistolas eo ordine hic promam, quo in Claravallensi eas reperi: addam & quasdam ex Fusniacensi codice, & ex libro de Scriptoribus Ordinis R. Patris Domni Caroli de Visch Prioris Cœnobij de Dunis: in singulis enim horum trium exemplarium sunt aliqua, quæ non sunt in alijs, & singulis desunt aliqua. Rectè autem D. Sylnius Duacensis Doctor, & ipse D. de Visch, eos confutant, qui prædictas Epistolas Philippo Bonæ-spei Abbati adscribunt. Neque enim de Eleemosyna est cognomen Philippi: sed est nomen Cœnobij, cui præerat Author. Solent enim Abbates loco cognominis sui Monasterij nomen ponere, imò & Monachi id etiam nonnumquam faciunt, Abbates autem semper. At Cœnobium Bonæ-spei non reperietur dictum fuisse Eleemosyna. Et vt omne dubium tollatur, Author epistola quarta vocat se ministrum pauperum de Eleemosyna. Non est ergo hoc ejus cognomen, sed Cœnobij cui præerat, nomen. Item Epistola 11. Conuentum de Eleemosyna absoluit ab obedientia sibi debita: & præcedenti epistola idem Monasterium Theobaldo Blesensi Comiti ejusdem fundatori commendat. Epistola quoque 15. ait, se Abbatẽ Begarensem absoluisse ab officio suo: & Epist. 14. scribit Abbati de Landesio se visitasse Monasterium ipsum Landesiense, ipso tunc absente, & ibi reperisse quædam Ordini contraria, quæ præcipit corrigi, & quosdam Monachos ab officijs deponi. Epistola 20. rogat Comitẽ Palatinum pro Cœnobio Curia Dei: & epistola 5. Regem Angliæ pro reædificatione Monasteriorum de Forda & de Stanleia: quæ omnia sunt Monasterio de Eleemosyna subdita. Hæc autem non posse Abbati Bonæ-spei Ordinis Præmonstratensis conuenire, manifestum est. Non inficior tamen, aliquas epistolas Abbatis Bonæspei videri irrepsisse in alios codices, sed non in Claravallensem. Hujusmodi est illa quæ in codice Fusniacensi ponitur ordine septima, & quæ decima tertia Sed de his infrà dicetur. Inuenio autem hunc Philippum subscripsisse Landuni anno 1162. cuidam chartæ hujus nostri Bonifontani Cœnobij, qua R. D. Episcopus Laudunensis declarat donationes vicorum seu pagorum de Trabant & de Cuin nobis factas, & alia quædam: subscriptio autem est ista. Signum Philippi Abbatis de Eleemosyna. Sequuntur hujus epistolas epistola Henrici septimi Claravallis Abbatis, & postea Cardinalis Episcopi Albanensis, cujus librum De peregrinante Ciuitate Dei supra edidimus; & Petri octaui ejusdem Monasterij Abbatis: quæ inter Trasimundi Monachi epistolas habentur, quia ab ipso collecta & fortassis dictata sunt. Sequetur vna Alexandri ex Claravallensi Monacho Grandissilvæ, ac postea Cistercij Abbatis: sequentur & aliæ ipsius Thrasimundi & aliorum nomine: inter quas est vna pueri cujusdam in Claravalle Nouitij pia admodum, & ex sacris Scripturis ex parte concinnata. Addemus & illam, quam D. de Visch suprà laudatus in suum de Scriptoribus librum retulit, ex quo illã desumpsi. Illa autem est Petri de Roya viri docti Claravallis tunc Nouitij, quæ pietatem maximè spirat, (sicut & prima, vt nouissima primis respondeant) & sanctam Claravallensium vitam & conuersationẽ optimè depingit.

---

## EPISTOLA BEATI FASTRADI CLARÆ-VALLIS, pòst Cistercij Abbatis, Ad quemdam Abbatem.

*Fastredus indignus servus & Abbas Monachorũ Claravallensium N. Abbati salutem in Iesu Christo, & spiritum majoris Euangelicæ paupertatis.*

RELATV ejus, qui tam animæ vestræ compatitur, quàm vos corporis appetitibus, notum nobis est, quòd vos tam Regulæ vestræ, quàm exempli in Monachorum vestrorum oculis exhibendi, obliti, in hospitum domo mensam instruitis, desiderijs vestris indulgentes, hospitibus deficientibus: & in vestitu & lectis magis diuitem epulonem, quàm pauperem Lazarum imitamini: non recordantes pœnam, quam Deus hujus vitæ felicitatibus

minixis minatur. Profectò, fili & frater, parum refert hoc habitu vestiri, vt inferno quis demergatur: alio enim quocúmque liberior patet via, & latior, quà ambulare potes. Quandoquidem verò Deus ad hunc te vocauit: in hoc incumbe, ne meritum perdas: numquā enim intra Claustrum aut Monasterium decuit is habitus: quos que soles eo vestire, ea non sunt qualitate, quā nobis statuta nostra præscribnut. Cùm enim Monachi etymon sit solitudo & tristitia, quomodo solitario conuenire possunt vestimenta sumptuosa, & mundi pompam redolentia? Et quomodo tristi quadrant lætitiæ & exultationis vestigia? Sufficit, fili mi, Monacho, quod S. Apostolo Paulo supererat, scilicet comedere quod naturam & vitam sustentare poterat; & vestimentum, quod corpus tegeret. Qui enim plus petit, potiùs Pharisæus hypocrita nobis dicetur, qui vestitu honorem venatur: quàm paupertatis Euangelicæ discipulus & imitator. Non hæc vita est, quam me & te docuit pater & prædecessor noster Bernardus felicis recordationis: nec modus, quem nostri sacri Ordinis Abbates & Monachi sequuntur, qui nos pane ex auena confecto, & herbis sine oleo & abdomine coctis enutrierunt: & fabis pisisque, ipso etiam paschatis festo die: quæ austeritas, vel similis, in omnibus Ordinis domibus obseruatur: & tu quasi hujus Ordinis non fores, cibos tibi procuras delicatos & lautos, vt gulæ facias satis? Si Abbas, & tuorum regula & exemplū es: qui audes carnes lautas, pisces recentes diuersimodè paratos, & panem extra Monasteriū à mulieribus coctum comedere? Non sine pudore dico, quod tamen dicendum: quòd multi sunt in via Dei subditi suo Abbate, nauigantes nauclero, milites duce perfectiores: quodque tuo in Monasterio multi reperiantur, qui eo tempore, quo tu horas noctis cœnis opiparis & superfluis transigis, ipsi orationi vacant, & ad expiandas culpas, & earum remissionem, disciplinas sumunt. Quàm procul abes, pater & frater mi, à socij nostri perfectione, qui ipso Nouitiatus anno obijt, quemque abstinentiæ rigor ad finem vsque comitatus est! Magna enim nausea captus, & oui cocti desiderio affectus, indicare noluit, (ne voluntatis & appetitus negati merito excideret,) nisi vltimo vitæ puncto, dúmque jam animam ageret, Abbate priùs promittente, illum ad hoc desiderium explendum non adactum iri. Abbas ergo in Religione, homo ad ejus exemplum statute, vbi est tuum meritum tali Nouitio comparandum? Si Christus prædicaturus jejunat: si Elias, vt curru igneo leuaretur, jejunat: si Niniuitæ excidium suum jejunio redimunt: si Esther populum suū jejunio servat, & Assueri indignationem sedat: si S. Ioannes Baptista totam vitam jejunio transigit ad viam Euangelio sternendā: & si Sancti hac via incesserunt: quam tu tibi viam ad cælū sternis, tam diuersam viam ingrediens? Gulā primorum parentum nostrorum perijt innocentia: ebrius Noë pudenda detexit: & Loth incestum commisit: postquam comedit, surrexit populus, & adoraui vitulum: Amnon in conuiuio occisus est: ibique Holofernes se neglexit: comedens Balthasar mortis suæ prænuntiam vidit Scripturam. Et in conuiuio denique præternaturalis illius miraculi, quo majus inter natos mulierum non surrexit, caput ostentatū est. Quandoquidem ergo tot malè perierunt, quomodo bene tibi potest succedere? In tui excusationem adfers stomachi & capitis dolores: quodque communes cibi tibi officiunt. Tota erras via, si credas Monachum sæculariū medicinas sequi posse. Ad Monasterium enim venimus, vt corpori incommoditates, & non commoda & voluptates quæramus. Si S. Paulo fortitudinem addebat infirmitas: quare domo tantorum bonorum causam exturbare niteris? Crede mihi, pater mi, sæpius S. Bernardum pultes ex farina confectas addito oleo & melle, cum scrupulo edentem vidi, ad stomachum calefaciendum: dúmque eum de hac austeritate accusarem, mihi respondit. *Fili mi, si Monachi obligationem nosses, omnis buccella quam edis, lacrymis irriganda foret. In hoc enim Monasterium intrauimus, vt peccata nostra & populi deploremus: & panem, quem suis laboribus pararunt, comedentes, horum peccata comedimus, vt ea tamquam propria lugeamus.* Addebatque præterea. *Nec sufficit Monacho infirmitatem allegare: sancti enim Patres, majores nostri, valles humidas & decliues Monasterijs extruendis indagabant: vt sæpe infirmi Monachi, & mortem ante oculos habentes securi non viuerent.* Si ergo Sancti ægritudinis media inquirunt: quare tu illa indagas, vt lautè habearis? Et si ipsi medium hoc tantorum bonorum causâ nobis accersunt: qua dispensatione tu Monasterij bona infirmitatis excusatione in corporis tui commoditates insumis & prodigis? Major est, frater mi, animæ, quàm corporis tui infirmitas: si enim illa esset in Dei gratia, non tam debile esset corpus, nec adeò terrenis delicijs amicum. Emenda igitur & curiosos habitus, & exquisitas epulas deuita. Quamvis enim venam non explorē, noui quo remedio tibi medendum sit: sique hæc fraterna, & à socio profecta admonitio non suffecerit, necesse erit, vt tamquam Prælatus medicinam adhibeam.

*Austeritas victus Cisterciensium Patrum quanta.*

*Matt. 4. 3. Reg. 19. Ionæ 3. Esther 4. Marc. 1.*

*Doctrina notanda.*

*17. Verba S. Bernardi ad Fastradum.*

## *Epistola Philippi olim Claravallensis Prioris, postea Abbatis Cœnobij de Eleemosyna.*

Epistola 1. Quæ est Domini Henrici, ex Monacho Claravallensi Archiep. Remensis.

*Queritur de quodam Roberto de Aria in Ecclesiā Cameracensem intruso.*

Reuerendo in Christo Patri & Domino Alexandro Dei gratia summo Pontifici, Henricus Remorum dictus Archiepiscopus, salutem & obedientiæ sinceritatem. Apostolici gradus dignitas principalis, sicut præeminet vniuersis, sic debet omnibus paternæ sedulitatis benigna subsidia. Nouit ad liquidum sublimitatis vestræ sancta sinceritas, quòd non est laudabilis in Ecclesiastica dignitate progressus, cujus est violentia comes, ambitio pronuba, fraudulentia pædagogus, simonia præcessor. Forma noua, imò enormitate deformi, contra appellationem ad vos factam Robertus de Aria in Ecclesiam Cameracensem nouus possessor ingreditur. Designatus est Imperatoriæ demandationis apicibus, Comitis Flandriæ precibus, & minis impactus est, redempti fauoris adeptus est emendica suffragia: & per machinationis clandestinæ cuniculos cathedræ Pontificalis eminētiam, non à Domino vocatus tamquam Aaron,

sed fauore Principum, & temerariæ multitudinis arbitrio fastuosè & irreuerenter irrupit. Nouit celsitudinis vestræ sacer intuitus, quanta debeatur appellationibus reuerentia: quanta sit animaduersione digna præsumptio: quàm districta conueniat censura perfidiæ: quid intorqueant Canones euersori pacis, & schismatis professori. Alienum debet esse ab Ecclesiastica sinceritate, quod legum sanctio non admittit, quod Sanctorum Patrū decreta rejiciunt, quod Apostolicæ constitutionis regula prædamnauit. Nunc autem ad vos vniuersitatis oculus intenta sedulitate dirigitur: & expectat à sede justitiæ justum sine remoratione judicium: in quo nec inueniat malignitas impunita progressum, nec in despectus caueam retrudantur appellationum probata remedia. Vindicate communes injurias, & culparum qualitatibus par pœna respondeat, vt honor vester, conseruetur in integrum: & parvitatis nostræ contemptus non transeat in sequaces. Libello repudij sterilis & fœda rejicitur: in matrimonium non cedit, si violentia spadonis opprimit virginem. Exterminetur semen ab iniquo thoro, & radices altas non præbeant spuria vitulamina, sed Apostolicæ seueritatis sarculo rescindantur, vt meritò dicatur de vobis. Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui. *Marc. 7.*

Epistola 2. Quæ est Monachi Anonymi Claravallensis.

*In Fusniacensi codice, est hic titulus, pro Monacho quodam Claravallensi. Orat autem hic Anonymus Pontificem, vt sibi liceat vitam solitariam ducere.*

DOMINO ac Patri suo, & vniuersali Papæ Alexandro, Dei gratia summo Pontifici, Frater A. pauperum Christi minimus, terrenæ administrationis curam, cælesti feliciter inferre sacrario. Sic excelsa montium solaris illustrat immensitas, vt ab imis vallibus splendoris beneficium non subtrahat, aut calorem. A superioribus enim ad infima sic ministerij sui dispēsat obsequium, vt ordinabiliter seruiat vniuersis. Caput obtinet in humano corpore principatum: nec est in eo membrum aliquod tam vile vel modicum, cui non prouidentiam debeat, aut solamen. Sic Apostolicæ gloria dignitatis, quæ vniuersalis Ecclesię primatu sublimis est, & in Christi corpore sub Christo gradu præeminet singulari, majora debet agere, & sic tractare sublimia, vt se à minimis non recludat. Minimus ego in Catholicæ vnitatis compagine, licet abjectè, licet satis inutiliter complantatus, de recessu solitudinis, de profundo calamitatis, de ergastulo voluntarij carceris, ad solium pietatis, ad Apostolicæ gratiæ thronum, ex affectu cordis intimo fundo preces: & apud communem patrem misericordiæ fructum cum benedictionis gratia postulo, & mansuetudinis vestrę rorem cum stillicidijs benignitatis imploro. Monachus fui in Claravalle, sed desiderio vitæ secretioris illectus, vt liberiùs & expeditiùs vacarē Deo, solitariæ reclusionis elegi conflictum, cum humanæ salutis aduersario sub ope diuina congressum quæritans singularem. Hic cælesti protectus auxilio juxta pusillanimitatis meæ modulum viuo quietus, & de mensa Domini micas excipio defluentes, salutaris clementiæ secreta solatia, cælestis munificentiæ gustum de sacrario pietatis æternæ. Deuotione igitur qua possum, vestigijs vestræ majestatis affusus, in spiritu humilitatis & in animo contrito vestræ pietatis imploro dulcedinem, vt de celsitudinis throno seruum respiciatis indignum, & humilitatem meam suffragio foueatis optato. Absolutionis vestræ beneficium postulo, protectionis flagito gratiam, munus exigo libertatis: in qua propositum desiderij mei sub vestræ defensionis auxilio cum Dei gratia valeā consūmare.

*Pulchra & apta similitudo.*

Epistola 3. Ad H. Comitem Palatinum.

*Scripta est hac epistola nomine Abbatis Igniacēsis à Philippo nostro. Non enim fuit hic Philippus illius Cœnobij Abbas, licet litera P. Philippi nomen videatur indicare, sed erroneè. Ostenditur autem in ea, depositum quoddam Abbatis Resbacensis Igniacensi Cœnobio commissum, esse illi reddendum: aduersus quorumdam improbitatē.*

ILlustri Domino & amico H. Palatino Comiti Fr. P. Igniaci dictus Abbas, salutem & boni Principis opus, & obsequium. Boni principis est, honestis constitutionibus dare principiū: & ad convellendum, quæ bene posita sunt, non extendere principatum. Lex depositi quanta sit obseruatione digna, quàm reuerenter tenenda sit, nec licet, nec decet vestræ sublimitatis ignorare prudentiam. Non licet propter Regulam Iuris, non decet propter ignorantiam veritatis. Potestatis enim sublimitas, & justitiæ regulis astringitur, ne excedat: & sapientiæ debet custodiam, ne aberret. Prouideat ergo vestra discretio, ne parvitatē nostram mandatis oneret, quæ tenere non possumus, nec debem⁹ implere. Habuit depositum apud nos Domnus B. quondam Resbacensis Abbas, quod exigēti non reddere vestra nobis demandauit authoritas. Huic nos obedire mandato charitas prohibet, justitia non permittit, consuetudinis antiquæ justa constitutio detestatur. Quòd si inter Gentiles & ignaros fidei lex depositi reuerenter & inuiolabiliter obseruatur: quomodo poterit à legis diuinæ professoribus, & sacri Ordinis sectatoribus violari? Reddat igitur gladius Salomonis filium matri suæ: quem licet vendicare sibi constanter aliena poscat improbitas, vigilet potestatis discreta sinceritas, nec mandet fieri, quod facere, jus, ordo, veritas, justitia, contradicit. Nihil est bonæ spei reliquum, vbi hæc non fuerint fideliter obseruata. Princeps autem digna principe cogitabit: & cùm mandauerit honestis, honesta mandabit. Valete. Spiritum veritatis & pacis det vobis omnipotens Dominus.

Epistola 4. Ad vniuersos. Quæ est Henrici & Odonis Cardinaliū, & Philippi de Eleemosina. [Iste Henricus Cardinalis Monachus fuerat antea Claræuallis, de quo Ernaldus in vita S. Bernardi. Extat ad eum Epistola ejusdem S. Bernardi. Vide Manrique ad ann. 1150. cap. 4.]

*Docentur fideles, Electionem Alexandri III. legitimam esse, Victoris Antipapa illegitimā.*

ARchiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prælatis, & vniuersis Ecclesiæ filijs, Henricus & Odo Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Philippus minister pauperum de Eleemosyna, Seruare vnitatem spiritus in vin-

culo pacis. Apud sapientiæ filios nec onerosa veritas, nec odiosa debet esse justitia; quos erudit intellecta sinceritas, ne circumferantur in spiritu, qui operatur in filios diffidentiæ. Circumscribi se gaudet honestas infra terminos æquitatis, & iniquitati quantò quisque fit proximus, tanto fit ab honestate remotior. Scitis, fratres charissimi, scientibus enim legem loquimur, non est licitum transire terminos; terminos, quos posuerunt patres nostri: quos nec supra nec infra justitiam nouimus collocatos. Qui enim via regia graditur, nec ad sinistram, nec ad dexteram, debet declinare. Legis & Euangelij religiosa sanctione decernitur, iniquum esse, circumvenire in negotio fratrē suum: aduersus filium matris suæ ponere scandalum: loqui dolos apud proximum, inter fratres seminare discordias. Quantò iniquius, quantò scelestius est, vterum scindere, à quo sis genitus, diffundere viscera matris in terram, cubile patris ascendere, innocentiæ solium nocenter arripere, & pudoris æterni thalamum impudicis amplexibus incestare. Maledictus furor iste, quia pertinax: & ambitionis indignatio, quia praua. De facto Octauiani, imò de manifesta ejus intrusione, dirigitur nobis non fide plena relatio, vt lateat veritas. Est collectus ascensus in cocleam; sed prophetali sarculo fodiatis parietem, & ministra lucis fenestra coaptetur in latere: & radio veritatis intrante videbitis abominationes magnas, quas operantur seniores Israël, thurificantes ante idolum zeli, quod in domo Dei statutum est, ad prouocandam æmulationem, linientes parietem absque temperamento, & picturas in pariete figmento multiplici deformantes. Scribitur nobis factum fuisse Concilium, latam inter partes ex æquitate sententiam, partium vocationem præcessisse legitimam, perendinatam septē diebus inter partes cum multa diligentia veritatis indaginem, & in actione tota nihil canonici examinis, nihil legitimæ dispositionis in parte defuisse aliqua, allegatione multimoda legitis exaratum. Sincerior est fontis vnda quàm riui; & opinionū fluentis veritatis haustus purior est. Numquid potest subditus in præcessorem formare judicium; eum trahere in causam, qui causis omnibus finem debet inponere, decretalibus editis, cujus edicta colligant vniuersos, & cujus arbitrio rapitur vniuersalis Ecclesia, cum in arbitrij sui violentas rapere sanctiones? Magnus est Imperator, & magnifici minister imperij; primus in militia, in potestate præcipuus, nobilis aduocat⁹ Ecclesiæ, seruorum Christi defensor, Cleri protector electus, adjutor in oportunitatibus in tribulatione. Sed quòd Romanum debeat iudicare Pontificem, nec lege fori, nec lege poli legitur imperatum. Habet Imperator quod suum est, nihil illi de suo iure minuitur: videat ipse, sicut bonus filius, ne matris suæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ velit euacuare priuilegium, conculcare gloriam, destruere libertatem. Sciat se secundum esse, non primum; & Christi vicarium omnibus jure præferri, sicut habet Christus in omnib⁹ principatum. Quòd si iudicanda esset in aliquo Romana Ecclesia, in ea vtique vrbe iudicari deberet, quæ orbis est domina, quæ caput est fidei, & caput Imperij; quæ gentibus leges, regulas præscribit Ecclesijs: judicare deberent primò de ea comprouinciales Episcopi, & communis Ecclesiæ solemne Concilium; nouissimus Imperatoris & Regum & Principū susciperetur assensus: quos si priores ad Ecclesiastica judicia tractanda disponimus, ordine præpostero minantur à plaustro boues, & in caudæ ministerium capitis dignitas retorquetur. Posset Romæ faciliùs & liberiùs inquiri veritas & audiri: & quid qualiter ue fuerit actitatum, de electione Romani Pontificis commodiùs aptiusque cognosci. Quod vidit quisque & audiuit, & manus ejus tractauerunt, referre debet in testimonium, in justitia & sanctitate veritatis. Qui autem fauoribus ducitur, seducitur donis, timore distrahitur, si ad vocē testificationis erūpit; hunc signabit Deus, quia mendax est; & testimonium ejus nemo accipit; quia de terra loquitur, vicarius ejus, qui in veritate non stetit, sed mendax fuit ab initio, & pater mendacij. Archipresbyteris & clero Romano, scrinarijs & iudicibus in electione Romani Pontificis, secundùm quod vobis scribitur, assignatur authoritas, Decano Beati Petri & Capitulo potestas attribuitur. Fiunt secundùm illud primi nouissimi, & primatus nouissimis proteruè satis & pueriliter arrogatur. Sunt in Romana Ecclesia, quibus Pontificis incumbit electio, Episcopi, Cardinales, Diaconi; de quorum omnium vniuersa multitudine tres tātùm habet Octavianus in sua factione participes. A sæculo non est auditum; quod tanta tot electorum exclusa multitudine, tam paucis tanū cesserit tam audaci præsumptione negotiū. Non est singulariter tractandū, quod cōmuniter omniū dignoscitur esse: nec inter viros fideles debet pars ista, vel potest, dignior esse, vel sanior; nisi conniuentia communi communis tribus authoritas tribuatur: quod in facto Octauiani nec constat fuisse, nec scribitur. Si Decano & Capitulo Beati Petri locus in hac electione conceditur, Lateranensibus Canonicis, qui locus, sicut Apostolica sedes, inter omnia Ciuitatis Romanæ loca dignior est; Clericis S. Mariæ maioris, monachis S. Pauli, sanctique Laurentij, eorumq; Abbatibus, quæ omnes Patriarchales Ecclesiæ sunt, similis authoritas cur negatur? Hoc in veritate dicimus, quòd ex antiquæ priuilegio institutionis nullus in Ecclesia beati Petri Decanus est: sed in ea Episcopus Portuensis Archipresbyteri vices exequitur: vel vnus de eisdem Ecclesiæ Cardinalibus, cui à Domino Papa fuerit assignatum. Qui tamen ab eis Decanus asseritur, schismaticus est ab antiquo, & manus ejus cum Petro Leonis in illa seditione damnosa; vnde nec locum habet, nec vocē in Romana Ecclesia; sed pietatis intuitu ei beneficiū in Ecclesia beati Petri ad subsidia necessitatis indultū est. Videant ipsi quid dixerint; quid scripserint, diligenter advertant: nos consuetudinem talem non habemus; nec taliter eligi summum Pontificem, in scripturis veritatis expressum est. Præterea in eadem charta, quæ spiritu mendacij fabricata est, & quam dictauit iniquitas, capitulum vnum satis manifesta falsitate infectum, ad probandum filium maledicti aliquam habuisse electionem, plus mendaciter, quàm subtiliter est insertum. Aiunt enim Rolandi sigillo bullata transmissa in Concilio recitata. Mendacia manifestissima ac detestabilia deprenhendimus in hæc verba. Testamur Deum, quem nullum latet secretum, quoniam

*1. Thess. 4.*
*Psalm. 49. & 14.*
*Prouer. 6.*

*Pontifex Romanus jus omnibus dicit.*

*Reges Ecclesiastica iudicia exercere, est boues à plaustro trahi.*

*Mendaciū schismaticorum.*

*Rolandus est Alexander 3.*

mendacium fingimus; sed meram, sicut est, loquimur veritatem: quia duo vnum elegerunt, Victorē Ioannes de S. Martino, & Vuido Cremensis, Cardinales, cæteri verò omnes in personam nostram conuenerunt. Sed ex generalibus Literis, quas, sicut asserunt, Dominus Papa in orbem, & ad diuersas direxit Ecclesias, certissimè ostenditur, quòd mentita sit iniquitas sibi. Inuenitur etenim in eis, non sicut mētiuntur sibi, sed in veritate sic exaratum. *Omnes fratres, quotquot fuerunt, tribus tantum exceptis, Octauiano scilicet, Ioanne de S. Martino, Vuidone Cremensi, (Deo teste, quia mendacium non fingimus: sed meram, sicut est, loquimur veritatem,) concorditer & vnanimiter conuenerunt; & nos assentiente Clero & populo in Romanum Pontificem elegerunt. Duo verò, Ioannes scilicet & Vuido Cremensis, tertium, Octauianum scilicet, nominantes, ad ejus electionem pertinaciter intendebāt.*

*Alexandri Papa 3. verba.*

Ecce, quòd non eum electum scribit Dominus Papa, sicut inimici veritatis conantur astruere, sed nominatum. Nominatio verò, sicut vos meliùs nostis, neque secundùm Canones, neque secundùm consuetudinem Ecclesiarū facit electionem. Si electum dicunt Octauianum, si solemniter immantatū: dicant, à quibus, vel quomodo, nec limites veræ assertionis excedant. Nullus exprimitur, nullus ex nomine designatur, qui vocem in illam electionem emiserit, qui mantū collo ejus imposuerit: ipse suus elector, ipse suus immantator fuisse dignoscitur. Non ambientem quærit hæc cathedra, sed inuitum: non inuasorem, sed subditum: non quærentem suscipi, sed nolentem. Commendatur hujus electionis assensus in voce scrinarij in excelso loco: sed resonabat vox ista de loculo, & de gazophylacio Simonis, cancellos Petri novus Victor ingressus est. Prima ejus electio, sicut dicitur, facta fuit: sed non est prima, quia nulla; nec secunda dici debet, quam nulla præcessit. Qui enim vltro se ingerit repellendus est: nec qui se commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Nec qui honorem sibi assumit, honore dignus est: sed qui vocatur à Deo, sicut Aaron. Vocatum à Domino, & à nobis vnanimiter nominatum summum Pontificem, & Petri Vicarium, confitemur & credimus Alexandrum, virum approbatæ conuersationis, probabilis vitæ, laudabilis innocentiæ, mansuetudinis præcipuæ: quia quàm sit humilis & modestus, docet administrationis hujus recusata semper & euitata sublimitas. Huic obsequuntur Lateranensis Ecclesiæ collaterales Episcopi: huic * Cardinales assistunt; huic ministerium piæ deuotionis exhibent Diaconi Cardinales: huic, exceptis tribus, qui Octauiano fauēt, vniuersi Ecclesiæ Romanæ filij, ad quos electio & consecratio spectat Romani Pontificis, testimonium perhibent, quòd pater & Pastor Ecclesiæ est, quòd Christi Vicarius, & vniuersalis Pontifex, quòd successor Petri, quòd Catholicus, quòd Apostolicæ dignitatis assertor, Canonicā habens cathedram, propitiatorij cęlestis ingressum, & sanctæ consecrationis oleo delibutus per ministrorum manus, quos ad hoc officium deuota sublimauit antiquitas. Dicitur tamen, quòd initia sua cædibus dedicet, aut rapinis: quòd ad Ecclesiarum dissipationē ejus desudet intentio. Sed nullos adhuc, sicut Octauianus, incarcerauit Episcopos, nullos destruxit Episcopatus; nulli per eum cæcati Clerici, nullus * decoriatus innocens Monachus, nullus per eum sanguis effusus est, nullius per eum direpta patrimonia, & in tantæ necessitatis articulo secura est opulentia subditorum. Qui autem sub illo sunt, vbi potest, sentiunt manus ejus graues: vbi non potest, minas contumaces, & maleficijs suis multiplicibus execrationis suæ primordia consecrat, & fidelium sanguinem inexpleto sitit & affectat ardore. Si de Alexandro aliquid in angulo judicatum est, nōn est rationabile, nec sincerum: & de rubigine speculi redundat in imaginem: quia operis dignitatem deuenustat intentio. Si eum trinis edictis citatum peremptoriè asserunt, nec venisse: si nos euocatos legitimè dicunt declinasse judicium, & Concilij sui perhibent euitasse præsentiam: fuisse quidem nos non diffitemur absentes. Sed sicut eis potestas nulla cesserat euocandi, sic nos ad occurrendum vocationi nulla cogebat justitia, nulla constitutio perurgebat. Nobis tamen, qui ad exequenda negotia Domini Papæ ad partes illas destinati eramus, cùm hujus rei gratia ad Imperatorem vellemus accedere, nec via commoda, nec securus patebat accessus: vbique minæ, vbique imago mortis, & latentes insidiæ: vndique timor, & vndique gladij: quia timebat infidelitas deprehendi; & infidelitatis feruore timebat Octauianus de cucumerario suo tolli falsitatis vmbraculum. Parati enim fuimus, si daretur optata securitas, Imperatoris adire præsentiam, non tamen ex parte Ecclesiæ subire judicium: sed ad ordinem rei declarandū, ad ostendendam legitimæ totius seriem veritatis. Sed nouit Dominus, quia hujus rei licentiam impetrare nulla ratione potuimus: imò per literas & nuntios ea sæpe nobis prohibita sunt. Eapropter dilecti in Christo Patres & Fratres, accingimini virtute constantiæ, conculcare caput serpentis antiqui, & Guibertinæ maledictionis antiqua grauamina, quæ in Octauianum schismatica præsumptione repullularunt, falce justitiæ resecare. Consecrate manus vestras, & choros iniquæ multitudinis saltantes ante idolum vestra compescat authoritas in spiritu judicij & spiritu ardoris. Reuiuiscat in vobis antecessorum nostrorum laudabilis zelus, refloreat antiqua deuotio, fructificet in vsum matris suæ cum odore suauitatis jucundum fructuosæ pietatis obsequium: & ab ejus vnitate non discrepet, in quo dilexit semper, fouit, & tenuit vnitatem. Non vos moueant, aut seducant inanibus verbis plena decipulis schismatica scripta: in quibus tot sunt mēdacia, quot verba; si tamē verba dicenda sunt; quia bene non loquitur, qui verè non loquitur.

*Octauianus Antipapa.*

*2. Cor. 10. Hebr. 5.*

*Videtur addenda vox * Presbyteri.*

*alij codices habēt, * decoronatus.*

*Crudelitas Octauiani.*

*Imperator non est Iudex in causis Ecclesiæ.*

Epistola 5. Ad Regem Angliæ.

*Fordam & Stanleiam Ordinis Cœnobia in vnum confusa readificari optat & orat.*

ILlustri Domino, & in Christo plurimùm dilecto Henrico Dei gratia Anglorum Regi, frater Philippus de Eleemosyna, feliciter in pręsenti, & in æternum regnare feliciùs. Regia constitutio virtutis debet esse stabile firmamentum: quia nec sapientiæ potentia, nec leuitas congruit majestati. De vestræ pietatis & maternæ deuotionis affectu, geminum lumen in An-

glia cœperat emicare, & duobus Monasterijs statio congrua parabatur. Fraudis ærugo, & inuidiæ tinea demolitur, quod honestatis & justitiæ laudanda produxit intentio, & in ecclipsin luminosa propositio demigrauit. Vualda dissipata est, Stanleia non proficit, & ex duobus facta confusio pietatem violat, gratiam non meretur. Solemnis binarius in tenebrosam monadem commeauit: & vna ex duobus integris nata corruptio nomini vestro non militat, vtilitatibus non seruit, non proficit ad salutem. Combinatio non implet votum, promissum non soluit, non auget meritum, non assidet æquitati, dissipat vnitatem. Combinatio hęc dissensionis tenebras parit, disciplinam non redolet, dissentit ab ordine, propositi vestri jacturam promouet, beneuolentiæ germinat detrimentũ. Non hæc mixtura myrrhæ & aloës libris centum, sed cum vili passere vænit dipondio: & in exteriores tenebras abjici promeretur. Qui membra Christi colligit, & fidelibus ejus domicilia pręparat vnitatis, ejus militat sepulturæ: cujus in opere suo sortiri debet imaginem, perfectionẽ de numero colligat, de speciebus condimentum teneat & odorem. Fidele opus, quod meretur exemplum, quod præconio dignum, quod fructu vbere consummatur. Deuotè Christum sepelit, qui taliter circa ejus obsequia suam temperat actionem. Qui autem secus operatur, offendit. Æstimatio pretium rebus affigit, & suis quæque meritis vel accedentia placent, vel discedentia reprobantur. Naturalis autem appetitus semper ad vtiliora se subigit: & minùs appetitur, quod se minùs vsui repręsentat. Probet grauida sapientis intentio, quid sedeat feliciùs, vtiliúsue repondeat, offensam de combinatione sortiri, vel de primæ constitutionis origine seruata meritum reportare. Præter æquum & bonum contracta matrimonia dissoluuntur, contra leges publicas inita pactio non perdurat; tenorem non obtinet ordinis, quod extraordinariè dispensatur. Et in Ordine nostro sancitũ est, ne petita obtineat, qui à quolibet quidpiã contra ordinem postularit. Duobus niti vestigijs, duobus regi luminibus humana corpora, natura disponit. Si duo hæc confundantur in vnum, inutilitas & abusio regnum naturalis ordinis occupabunt. Si gemina cœli luminaria in insolitam conueniant vnionem, deformitatẽ suam totâ rerum machinâ deplorabunt, & dispositio temporum solita moderatione priuabitur. Duo cœperunt institui Monasteria, sed fœcunditatem geminis baratrum cupiditatis absorbuit. Quod cupiditas & circumuentio parturiuit, habebit cum gladio Salomonis exterminium. Et quæ mater ejus voluit esse, quem non genuit, discet à Rege, quem elegit Dominus, in messem aliam non mittere falcem suam. In gazophylacium pietatis, præsente Domino, multi multa jactauerunt: sed fidelis vidua plus omnibus misit, quæ duo minuta deposuit. Duo minuta sunt fides & humilitas: in quibus sanctificationem recipit, quidquid in Templi donarijs exhibetur. Duo minuta sunt vobis duo prædicta loca; quæ à vobis Domino fideliter & humiliter offerantur. Quod fundamento caret, non placet Domino, nec proficit offerenti. Majoris gloriæ, fructus vberioris, & vtilioris est operę, duo cum pace fundare Monasteria, quàm vnum sine ordine & pace compingerę. Dignius multò & commodiùs &, salubre quàm plurimùm, vt in duobus choris nomini diuino gratiarum actio resonet, & vox laudis, & pro statu vestro celebris intercessio persoluatur, quàm si muneris hujus in locum vnum contracta perfunctio, nec diuinæ laudis, nec supplicationis dignæ pro vobis offerat holocaustum. Non enim inter discordes habitat Spiritussanctus, nec probat in obsequio fraudulentos. Qui autem nos fraudauit, judicium suam portabit, quicumque est ille: qua fraude non minùs quàm paruitas nostra, læsa & delusa est matris vestræ pia sedulitas: quæ etsi rectè obtulit, non tamen rectè diuisit: quia & in damnũ charitatis bene diuisa conjunxit. Corrigat errorem vestra sedulitas, delictum matris aboleat, prouideat paci, dirigat ordini instituta. Regius honor habeat ex vnctione gratiam, in gladio disciplinam, in corona sapientiam: quæ perfectionis circulata fastigio, attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Bene valeat semper in Domino vestra sublimitas, quam sincero amplector affectu: nec minùs calet ignis occultus, quàm flamma publicis æstibus euaporans. Qui aliter dixerit, mendax est.

*Duo hæc Cœnobia filia sunt Eleemosynæ.*

*Mater Regis duo cœnobia in vnum conflarat.*

*1. Reg. 3.*

*Marc. 12.*

## Epistola 6. Ad R. Licestriæ Comitem.

*Virtutes hujus Comitis prædicat.*

ILlustri Domino & amico Carissimo R. Dei gratia Licestriæ Comiti, Frater Philippus de Eleemosyna, collocari in salute cum principibus populi Dei. Summo conuenit, æternóq; principio, qui cordis obtinet principatum: nec est homini quidquam gloriosius, quàm ad originis suæ respicere dignitatem, & sinceritatis ejus expressa similitudine consignari. Qui frænat iram, moderatur affectus, cupiditatibus imperat, temperat incentiua, vitijs principatur, ordinat cogitatus, sermones disponit in judicio, judicia format ad regulam, qui bona prouidet, non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus; hunc meritò cordis principem dixerim, huic insigniri jure principis officium debet ex nomine, hic ab ejus similitudine non recedens, qui constitutus est judex viuorũ & mortuorum, & Princeps Regum terræ. Rubiginosum speculum sinceram non reddit imaginem: de radicis amaritudine dulcedo fructuũ non procedit. Lineæ rectitudo non curuatur in angulũ. Speculum mentis, opus est radice malitiæ tenebrarum: cujus delibatio sancta erit in executione operis, si sancta fuerit massa in rectitudine intentionis; & in azymis sinceritatis, non in fermento malitiæ motus animi dedicatur. Præceptum enim Domini lucidum illuminans oculos, si mentis intrat habitaculum, tollit ignorantiæ tenebras: vt justitiæ Domini rectæ lætificantes corda currenti præparent rectitudinem semitarum: vt de vultu Domini judiciũ prodeat, & oculi ejus videant æquitatem. Qui enim de fermento vult immolare laudem, & ædificare Sion de sanguinibus, os in cælum ponens, linguam in terram declinans, curuaturam facere molitur in linea; & à planitie transit in angulum, vt ad sordes primæ originis reuoluatur, & capiatur cum Leuiathan hamo; & reus in fine districtione diuini examinis teneatur. Præfert quidem patientiæ blandimentum mi-

*Quis cordis princeps, ac proinde Deo similis.*

*Amos 4.*
*Micha. 1.*

sericors & miserator Dominus, vt ad pœnitentiam pertrahat delinquentes: & iram dissimulat in delictis, vt vasa iræ apta in interitum in vasa electionis conformet, & clementi sustinentia pœnitudinis remedia præparet sceleratis. Quæ si neglecta fuerit, thesaurizat iram transgressoribus in die iræ & reuelationis justi judicij Dei, cujus acumine perforatur impius & ligatur. Qui autē Princeps est, digna principe cogitabit: sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat; quod præparatur in conscientia pura & fide non ficta, his qui seruant testamentum Dei, & memores sunt mandatorū ipsius, ad faciendum ea. Testimonium hoc clarè tibi resonat, Serenissime Princeps, & laus tua hæc in Ecclesia Sanctorum, quàm tibi, licet inuita reddit inuidia, & laudationis manifestæ præconio celebrat, quem mordet occultè, quem persequitur odijs, & amaro subsanat affectu. Quid tam simile Deo, qui bonorum nostrorum non eget, quàm sine stipendio militare justitiæ? Commune tibi hoc, ô Princeps optime, cum principibus populi Dei, qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ, & Principi principum conjunctissimi sunt, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & te omnibus vtilem reddit. Ministerium probat pietas, exhibet affectio, testatur affectus, nec retributio quæritur, cum vniuersis obsequij gratia multiplex tribuatur. Nobiliter calcas auaritiam, dum excutis manus tuas ab omni munere: sed gloriam calcare nobilius, quæ procedit de radice superbiæ: & quos incesserit, facit ignobiles. Nihil est enim ignobilius quàm à Dei gratia separari, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humilitatis profectò tu custos & assecla certis probas indicijs, quòd non altum sapis, sed times, & humiliaris sub potenti manu Dei: cùm & cælestis gratia nō desit operibus, nec fauoris humani tibi gloria denegetur: quam sic operantis aspicit animus, vt sequenti non hæreat, & à conscientiæ testimonio non recedat; & cùm gloriatur, in Domino glorietur, & gloriam non quærat ab hominibus, qui gloriā sui Redemptoris expectat. Gloriare igitur Serenissime Princeps, in Deo forti in perpetuum, & in potentia virtutis ejus: apud quem est misericordia, & copiosa apud eū redemptio: vt redimat de interitu vitam tuam, & coronet te in misericordia & miserationibus: quia non redimit eos, qui in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur. De reliquo, carissime Domine, quod petistis annuimus: quia tam dilecto, & tam sincerè diligenti in sua petitione resistere non possumus: cui jure amicitiæ quod possumus, hoc debemus. Ore vestro & spiritu nostro dilectam nobis in Christo Dominam Comitissam plurimùm salutate in Domino. Bene valeat semper in Christo vestra dilectio.

*Quis Deo & Angelis similior.*

*Nihil ignobilius quàm à gratia separari*

## Epistola 7. Ad Lanselinum de Baugenciaco.

*Laudat amicitiam, commendatque ei nepotem suum.*

AMantissimo in Christo amico & Domino Lanselino de Baugenciaco, frater Philippus, quidquid optari felicius, quidquid dulcius potest obtineri. Nouit ille perspicax diuinæ majestatis intuitus, qui omnia nouit, antequā fiant, quàm dulciter in corde meo sedeat status vestri reuerentia: quàm florida sit apud me memoria nominis vestri: quàm frequens vestræ familiaritatis occursus: quàm solemnis obsequiorū multiplex exhibitio; quàm gratus amicitiæ sinus: quàm feruens & singularis affectio. Amoris magnitudinem sermonis exiguitas non metitur: & ardor animi non congruè pingitur atramento. Solus qui diligit, potest diligentis inuestigare secretum; & à similibus ad similia penetrare. Quid enim amanti similius, quàm alter amans? Et quid amore validius, qui duo corda glutinat & compingit in vnum: & habitare facit vnius moris in domo? Hic absentem corpore facit apud vos frequentiùs animo commorari, & fructus gratiæ degustare, quos amicitia parturit, alit memoria, benevolentia continet, reuerentia comitatur. Viuit & conuiuet mihi dilectionis integritas: & à corde meo vestra præsentia non recedet. Quòd si ad tempus pro rerum mutatione disjungimur, animorum nexus indissolubilis perseuerat. Non marcescit amicitiæ fructus, qui mutuæ sedulitatis fouetur irriguo: & alternis intercurrentibus obsequijs amicorum vicaria sibi repræsentatur affectio. Benevolam circa nos experimur diligentiam vestrā: & gratā suscipimus voluntariæ gratitudinis obsequelā. Fouetis amicos, inimicos repellitis; aduersantibus obstaculum, familiaribus præstatis auxiliū: & in omnibus voluntatis indiuiduæ, & sinceræ dilectionis exhibetis indicium. In omnibus agimus gratias benevolentiæ vestræ; & animum nostrum similitudinis hujus conformamus accessui, gratiam referentes pro gratia, & amicitię legibus obligati. Obsecro igitur benignitatem vestram, vt in nepote meo gratiæ vestræ nitor appareat; & ad honorem vestrum, eum militiæ cingulo promoueatis. Præterea famulum nostrum Burrellum, * attentiùs commendo benignitati vestræ: vt eū benigno foueatis consilio, & auxilio subleuetis; & de debito Euerardi, sicut ex parte nostra vobis dixerit, faciatis. Valete.

*Amor non pingitur atramento.*

*alij codices * Barrellū.*

## Epistola 8. Ad Philippū Abbatē Præmonstrati.

*Commendat ei latorem Epistolæ.*

AMantissimo in Christo Patri & Domino Ph. Dei gratia Præmonstratensis Ecclesię Abbati, frater Philippus salutem & dilectionē. Amicorum negotia nostra sunt, & eorum negotijs fidelem debemus affectum. Lator præsentiū carissimus nobis est: & laborem ejus nostrum reputamus. Rogamus itaque dilectionem vestram, de qua plurimùm confidimus, vt petitionem nostram pro amore Dei & nostro benignè exaudiatis. Superfluum videtur, venteri viscera commendare, & inculcare paternis affectibus filium diligentem. Habet ordo naturalis hoc proprium, vt suis quisque necessitatibus applicetur, & sibi iunctis refundat prouidæ sollicitudinis adjumentum. Tribularer, si nescirem misericordiæ pondus, & excellentiæ gratiam, quam pręstitit Deus habitatoribus pilæ hujus, qua granis præstat, vt proficiant; & paleas separat à frumento. Hoc donum possidet & possedit ab initio munere singulari, vt semper misericordiam superexaltet judicio; & gloriosiùs judicaret parcere, quàm punire: nisi vbi qualitas causæ districtæ tantū præbuit obsequelam. Præterea petimus, vt petitionem Archiepiscopi pro eo non auersetur vestra benignitas: & quę

petitionibis vestris vultis esse propitium, propitiationem alteri pro ejus reuerentia rependatis. Rogat vos idem communis frater noster Albertus, & plurimùm salutat.

*Albertus hic erat Religiosus Eleemosynæ, vt videtur ex epistola. 11.*

Epistola 9. Ad Abbatem Crispinensem.

*Commendat illi negotium, per latorem intimandum.*

DIlecto in Christo Patri, & amico venerabili, Crispinensi Abbati, frater Philippus de Eleemosyna modicum id quod est. Amicitię fructus vicissitudo signat obsequij, benigna sedulitas, conciliosus affectus. Sine præjacente merito recepimus hæc duplicia de manu vestra: & secretario cordis nostri insidet, quod nobis in nostris fecit vestra sinceritas. Condita sunt apud me, & signata in benevolentiæ thesauris: vt tempore oportuno juxta beneplacitum vestrum germinet operis gratiam bonæ voluntatis occursus, & impetrandi gratiā pariat experta benignitas. Preces iteratas vestræ porrigo charitati, vt negotiū pro quo petimus, sicut frater Gillebertus vobis intimauerit, benignè & efficaciter adjuvetis. Bene valete semper in Dño.

*Gillebertus hic Religiosus Eleemosyna. vt ex epist. 11. apparet.*

Epistola 10. Ad Theobaldū Blesensiū Comitē.

*Commendat ei Cœnobium de Eleemosyna, quod dimiserat.*

ILlustri Domino & amico Theobaldo, Blesensium Comiti, & Franciæ Senescalo, frater Philippus salutem in vero salutari. Laboris & curarum pondere multiplici fatigatus, refugiū desideratæ quietis elegi: vt qui mihi supersunt dies, multiplicentur in senecta vberi, & in pace nostra peregrinatio finiatur. Pastoralis officij solicitudinem coactus suscepi, voluntarius desero: ditior in paupertatis amplexu, quàm in ampla possessione, & negotiorum occupatione, quibus in solicitudine regiminis opprimebar. Diuinæ igitur pietati & excellentiæ vestræ fratres nostros, & totius Monasterij jura commēdo; benevolentiam vestræ liberalitatis obtestans, vt protectionem eis & auxilium clementiùs impendatis: quia tota virtus eorum emarcuit, nisi benignitatis vestræ foveantur irriguo. Præterea latorem pręsentium, qui strenuè mihi, fideliterque seruiuit, benignitati vestræ commendo, vt gratiam apud vos inueniat, & in tempore necessitatis auxilium, nec patiamini eum de debitis, quæ habet, in Monasterio contra justitiam fatigari. Bene valete.

Epistola 11. Ad Conventum Cœnobij de Eleemosyna.

*Absoluit Conventum illum ab obedientia sibi promissa, abdicans Pastorale onus.*

DIlectis in Christo fratribus, Stephano Suppriori, & toti Conventui de Eleemosyna, Frater Philippus, in pacis & gaudij plenitudine prosperari. Nemo potest alieni cordis arcana perstringere: nec quis hominis sensum, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Quàm multipliciter angariatus sit spiritus meus in administratione domus hujus, in amaritudine solicitudinis & laborum, in debitorum pondere, necessarijs varijsque discursibus: in eorum motu cōtrario, qui promouere prospera debuissent, qui odium retulerunt pro dilectione mea, & pro deuota sedulitate pressuram; nouit ille creator spiritus, qui fecit flatum omnem, & omnē spiritum sua circuit & penetrat potestate. Sed hæc prima abjerūnt, & à cordis mei conspectibus omnis euanuit injuria: nec in ejus amaritudine moratur oculus meus: sed quod vobis in visceribus Iesu Christi * pro parte alacritatis insūpsi. Dulcis homini requies post laborem, post inediam jucunda refectio: post seruitutis ergastulum pretiosa est & speciosa libertas. Liber igitur à curæ Pastoralis officio, quam inuitus accepi, & sustinui laborans, & voluntarius desero, vos à vinculo vestræ professionis absolvo: bona imprecans, salutaria desiderans, prospera cupiens, & vniuersitati vestræ pacis & gaudij manipulos affectu piæ charitatis exoptans. Si quid inter vos, vel à vobis passus sum, diuinæ ascribo justitiæ, & peccatis meis imputo: à quibus passus sum, refero cum indulgentia gratiam, & munus orationis exhibeo. Vnum peto à charitate vestra, vt domui vestræ fideliter & strenuè prouideatis: ne talis ingrediatur, qui pondus potiùs afferat, quàm leuamen, & pro gratiæ fructu semina jaciat odiorum: & fiant nouissima Monasterij hujus pejora prioribus. Valete, indulgete, si quid aduersùm vos minùs prudenter excessi, & orantem pro vobis vestris orationibus adjuvate. Hoc ipsum orat frater Albertus, & plurimùm salutat. Spiritus consilij & pacis sit cum omnibus vobis. Amen. Fratrem Gislebertum socium nostrum, & vnanimem, & sincerè dilectum in Christo, charitati vestræ commendo plurimùm: & ipsum rogo seruare vobiscum vnitatem spiritus in vinculo pacis.

*alij codices * cupio, studio promptæ alacritatis insumpsi.*

Epistola 12. Ad Abbatem de Pontilenio.

*Appellat Archiepiscopum Senonensem pro decimis injustè suo Cœnobio ablatis.*

IOANNI Abbati de Pontilenio Philippus de Eleemosyna. Circumvenire fratrem, vel in negotio supergredi, contra Euāgelicas sanctiones est. *1. Thess. 4.* Contramandāui vobis diē causæ nostræ, juxta vrgentē necessitatē: vos accessistis ad diem; si legitimè, Deus nouit: & sicut voluistis, non vt debuistis, credimus, processistis in causā. Dabit nobis Dominus in beneplacito suo locū expostulandi. Nos autem de circumventione ista, & injusto processu, postulamus ad audientiam Domini Senonensis Archepiscopi, & Apostolicæ Sedis Legati in Inuentione S. Stephani, sub cujus protectione decimas nostras, & ipsum terraticum ponimus. A quorum vsurpatione vos ejusdem authoritate omnimodis prohibemus. Habemus enim priuilegia Romanorum Pontificum de decimus nostris, quæ violari nolumus.

Epistola 13. Ad Decanum Carnotensem, & Abbatem de Valeia.

*Queritur decimas ab ipso injustè exigi, stante appellatione.*

GErardo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Decano, & Fr. Abbati de Valeia, & Gualtero Dunensium Archidiacono, frater Philippus de Eleemosyna, de circumstantia veritatis formare judicium. Dicit vir Deo plenus. *Causam, quam nesciebam, diligenter inuestigaui.* *Iob 29.*

Et de vultu Dei debet iudicium prodire; quod formare debet veritas, non extorquere acceptio personarum. Si pauperes sumus & absconditi, si grex pusillus in domo Domini: non tamen dignum est, nos authoritate Pontilenensium conculcari: vel pro verbis eorũ, quæ veritatis fundamento carent, priuationis ferre sententiam. Decisum dicitis & judicatum, quod per appellationem ad Metropolim nostram perductum est, vbi lis contestata judicis manet examen. Pro hac eadem causa Pontilenienses Monachos, qui falsa vos relatione pulsarunt, & seruientes nostros quærebant occultis subreptionibus imbãniri, ad eandem sedem iteratò appellauimus. Vos iterũ mandato vestro nos vrgetis, & reddi jubetis Pontilenienſib⁹, quod nec de ratione putamus descendere, nec justitiæ conuenire. De terratico nondum decisum est, de laborum nostrorum decimis relaxatio nobis data, & Sedis Apostolicæ priuilegijs confirmata. Ius nostrum alteri dare, beneficia infringere, nec possumus, nec debemus. Excedit, quicumque illi reuerentiam non impendit. Nos in protectione illius res nostras, locum nostrum, seruientes nostros, & omnia nostra deponimus: & ad ipsam appellamus, in Annuntiatione B. Mariæ respõdere parati, si quis agere contra nos voluerit, vel agere instanti, siquis nos deinceps pro hac causa molestare voluerit. Quid dehinc acturi sitis, nescio. Vnum scio, plus suo tempore seruiuit & profuit Carnotensi Ecclesiæ frater Philippus, quàm Pontilenienſis Abbas & Monachi sui: pro quorum nos delationibus taliter fatigatis. Mittite iam gladium in vaginam, si placet, & agite comiter: nos ad tribunal Apostolicum stam⁹, & justitiæ stabimus, & ibi nos oportet judicari: nisi patrem & aduocatum nobis adduxerit omnipotens Deus, quem reuerti velociter & cum salute, & prosperè conseruari, votis omnibus exoptamus. Valete.

*Eleemosyna in diœcesi Carnotensi sita.*

Epistola 14. Ad H. Abbatem de Landesio.

*Iubet corrigi quædam in Landesiensi Cœnobio, quod visitarat, ipso absente.*

Dilecto dilectori suo fratri H. & Coabbati de Landesio, fr. Philippus de Eleemosyna, salutem & dilectionem in Domino. Vtinam inuenissemus vos domi tempore visitationis. Inuenimus ibi quædam Ordini contraria, quæ consilio vestro correcta facilè quieuissent. Nũc autem loco absens corpore, tamen præsens spiritu, vobis in Ordinis virtute denuntio, vt ea, sicut in Capitulo disposui, corrigatis. Priorem ab exteriorum cura & à frequenti equitatione, vel Prioratus ordine, remouete. Claustri custos & Ordinis non debet exterioribus insudare. Subcellerarius vester inutilis Monasterio, fratribus onerosus, & mente superbus est: nimis frequenter equitat, & extra claustrum est, & extra officij sui metas curiosè nimis & inutiliter euagatur. Monemus, consulimus, & mandamus, vt eum remoueatis ab obedientia illa, & altiori studio curam illius habeatis. Sunt alia, quæ præsenti sermone magis quàm scripto vobis explananda sunt. Vigilate in omnibus, & agite cautè, ne sub manu vestra virtus Ordinis euanescat. Amor & virtus Ordinis hęc loquuntur: nihil amaritudo suggerit, aut simultas: sed si nos & Ordinẽ diligitis, expedit, vt quod piè denuntiamus, efficaciter impleatis. Fratres nostros charitati vestræ plurimùm cõmendamus. Fratres vestros ore vestro & spiritu nostro plurimùm salutamus, nostros nominatim. Vale.

*Landesium est filia Eleemosinæ.*

Epistola 15. Ad V. Trecorensium Episcopum.

*Commendat ei Begarensem Abbatiam, cujus Abbatem vt inutilem deposuerat.*

Reverendo in Christo Patri & Domino V. Dei gratia Trecorensium Episcopo, frater Philippus de Eleemosyna, seruare vnitatẽ spiritus in vinculo pacis. Quod à cura & administratione Begarensis Monasterij frater Chimerus se suspendit, dignum esse, iustumque censemus: & vtinam numquam ad illud regimen ascendisset, per quem facta sunt domus illius nouissima peiora prioribus. Nos autem secundùm quod mandastis, ad consolationem & cõsilium domus accingimur: & prædictũ fratrem corde bono & animo volenti ab administratione Monasterij clementer absoluimus, sicut personæ & loco credimus conuenire. Nõn enim conuenienter ægrotus medetur ægrotis: non imbecillem congruè sustentat inualidus: nec commodè lapsus erigit corruentem. Vos igitur sicut virum Ordinis decet, sicut amico conuenit, sicut oportet seruum Christi, sicut altaris ministro dignum est, omni tempore date operã, vt ædificentur muri domus Domini, & virtus Ordinis reparetur in sanctitate & justitia coram Deo: quia detrimenta poterunt facilè resarciri, si reformari contigerit religionis honestatisque jacturam. In operibus siquidem nostris, si primùm quæritur regnum Dei, juxta ipsius sponsionem, boni temporalis adiectio non negatur. Deo igitur permittente ad vos descendemus in breui, domui miseræ consilium & auxiliũ, prout meliùs & aptiùs poterimus, impensuri. Adsit labori nostro vestra sedulitas, & amica prouidẽtia: nec enim effectu bono carere credim⁹, vbi vnanimiter duorum pia vota occurrunt. Vale.

*Begarensis Abbatia filia est Eleemosinæ.*

*Matth. 6.*

Epistola 16. Ad Archiepiscopũ Senonensem.

*Rogat, vt restituatur cuidam amico suo, quod Archidiacono Aurelianensi cõmodauerat.*

Amantissimo in Christo Patri & Dño Vuillelmo, Venerabili, Dei gratia, Senonensi Archiepiscopo, & Sedis Apostolicæ Legato, fr. Philippus de Eleemosyna, plurimam in omniũ Salvatore salutem. Fidelis vester, & noster familiaris, Beneuentus de Veteri-vico, nostro interuentu Hugoni Aurelianensi Archidiacono de rebus suis gratuitò sine vsuris & augmento commodauit. Non debet ei respondere in dãnum, quod benignè seminauit in gratiam. Rogamus dilectam nobis in Christo paternitatem vestram, vt fideli vestro prouideatis, ne alienis fraudibus inuoluatur, & supplicium reportet ex beneficio. Mandate igitur Decanis vestris, in quorum manibus cura ejus est, vt veritate diligentiùs inquisita tutum parent exitum pro beneficio laboranti. Feliciter enim graditur causa, quam sincerè perspicit æquitas. Detrimentum autẽ ejus non sine nostra proueniet injuria, cùm ad hoc faciẽdũ nostris precib⁹ cuictus accesserit. Bene valeat semper in Dño vestra sublimitas.

## Epistola 17. Ad Ostiensem Episcopum.

*Commendat ei nobilem Anglum, vt pater ejus sepultura Ecclesiastica non priuetur.*

DIlecto in Christo Patri & Domino Henrico Ostiensi Episcopo, F. Philipp⁹ de Eleemosyna, salutem & obsequium. Vir quidam nobilis de Anglia, & amicus Ordinis nostri, aduersus Trecensem Episcopum & ejus Ecclesiam deliquit, & excommunicatus est. Post aliquantum temporis consideratione habita, & damnorum satisfactione promissa satisfecit, & absolutus est. Ante plenam verò ablatorum restitutionem ab inimicis interceptus & interfectus est, & prohibitus à sepultura, pro ijs quæ nondum plenè reddiderat. Heres ejus ætate junior nec sciuit satisfacere pro patre, nec potuit. Nunc ad intelligibiles ãnos prouectus, ad omnem satisfactionem paratus est. Rogo igitur dilectam nobis in Christo paternitatem vestram, vt sepulturæ beneficium precibus vestris obtineatis ei à Domino Papa. Injustum videtur, vt volente filio satisfacere pro patre, pater ab Ecclesiastico consortio districtiùs arceatur. Semper enim misericordia debet superexaltari judicio. Hoc testatur Dominus Vintoniensis, & tũc Legatus, & ipse Episcopus Trecensis, qui modo est. Bene valete semper in Domino, pater carissime.

*Negata sepultura, satisfactione nõ exhibita*

## Epistola 18. Ad Alexandrum 3. Romanum Pontificem.

*Orat vt bona Archidiaconi Aurelianensis Religionem ingressi dentur creditoribus, vt ipse disposuerat.*

AMantissimo in Christo Patri & Domino Alexandro, Dei gratia summo Pontifici, F. Philippus de Eleemosyna, salutem & obedientiæ sinceritatem. Opus fidele, cujus ordo naturalis assertor est, & dignitatem prærogat cœlestis authoritatis: relatiuæ charitatis affectũ patris in filium, & filij in parentem, & natura docet, & lex spiritualis indicit. Si caput Ecclesię & fidelium patrem, imò quia fidelium patrem & Ecclesiæ caput vos pietas diuina constituit: omnium grauamina filiorum misericorditer intueri, vel vbi potest, efficaciter releuare, paternitatem vestram docet ille, à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Filius vester Hugo, quondam Aurelianensis Archidiaconus, vt annos suos in amaritudine animæ suę recogitet, elongauit fugiens, & mansit in solitudine sub claustralis exercitio disciplinæ. Pro soluendis debitis suis hereditatis suæ redditus quos tenebat, quasi ex testamento solemniter assignauit, vt haberet votiuæ securitatis egressum. Dispositio tam sincera ab ejus consanguineis impeditur: & violenter ab eorum manibus eripitur, quibus fuerat delegatũ. Pręcipiat ergo vestræ sublimitatis authoritas, vt integra & inconuulsa maneat filij vestri dispositio tã fidelis: vel in manus Prioris de Charitate ad soluenda debita transeat hereditas: quibus solutis, sicut justum est, redeat ad heredes. Quòd si mandato Sedis Apostolicæ prędicti peruasores rebelles extiterint, sentiãt Moysi manus graues: & seueritas puniat, quos pietas nõ emollit. Immite nãq; videtur & durũ, vt Deo militare disponens, necessariò iterũ causis ſęcularibus implicetur. Apostolatũ vestrũ conseruet õnipotẽs Dñs, Amẽ.

*Soluere debita oportet ingredientẽ monasteriũ.*

## Epistola 19. Ad Ludouicum Regem Galliæ

*Implorat ejus protectionem aduersus importunitatem creditorum cujusdam Clerici.*

PIjssimo Regi Francorum Ludouico, F. Philippus de Eleemosyna, regnare feliciter, & feliciùs mori. Corona Regis est misericordia: & sicut nubes pluviæ in tempore siccitatis, sic opus ejus, cùm tempore prouenit oportuno. Opus habet misericordia, & consideratione regij moderaminis, quondã Clericus vester, nunc noua in Christo creatura quidquid est, totus vester in Domino, Hugo de Rua-noua ad vmbrã Dominicæ protectionis fugiens æstum grauem patitur à cognatis, & hæreditatis paternæ priuatur beneficio, qui solam diligit cælestem, votis tenet, & opere amplexatur. Solutus à vinculis mundi, adhuc parte aliqua detinetur, & reuocatur à debitis, quæ justè quidem, sed acriter exiguntur. Assignauerat hereditatem suam conuenienter, vt credidit, vt omnia soluerentur: sed nepos suus H. interturbat omnia, & solutionem impedit debitorum. Benignissimã igitur Regiæ majestatis clementiã, prece qua possumus, humiliter imploramus: vt fideli vestro benignè & efficaciter assistatis: vt pauperem ab angore suo misericorditer liberetis. Injustum namque videtur & improbum, vt quod vitam debuit fulcire temporalem, pauperi vestro detrimentum vitæ pariat spiritualis. Opus regiũ sicut misericordia coronat, sic justitiæ cultus pingit, ornat, & erigit. Personam vestram, & datum vobis à Deo heredem, & regni vestri statũ, conseruet & muniat omnipotens Dominus. Liberate pauperẽ vestrũ, & sarsinã quam dedistis, vestra reddat & conseruet authoritas vsque ad aduentum nostrum.

*Noua creatura est recens factus monachus.*

## Epistola 20. Ad H. Palatinum Comitem.

*Petit Eleemosynam Abbati Curia Dei Cœnobium construenti.*

ILlustri Domino H. Palatino Comiti F. Philippus de Eleemosyna, salutem, & boni Principis opus, ac præmium. Liberalis animus vniuersitatis est jucunda possessio: & fructus hujus odora suauitas, etiam quos non reficit, afficit, & ad sui participium prouocat inexpertos. Hęc insignis pietas omnibus se æstimat natam, parturit omnibus, in omnibus se diuidit, & suauis beneuolentiæ diffundit vbique commercium. Non quærentibus occurrit, pulsantibus aperit, reprimit impudentes, verecundos hilarat, munerat obsequentes. Sic tibi viuitur, Princeps egregie, & in talibus vita spiritus tui, nec descẽdit à gradibus istis insignis animi generosa benignitas. Quàm gloriosior est illa dispersio, quã non reuelat caro & sanguis, sed pater noster qui est in cælis: qui temporale beneficiũ stipendijs munerat sempiternis, sicut de viro justo dicitur. *Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in seculum seculi.* Qui sic dispergit, congregat in æternum, & gratiam sibi conciliat in die iræ & reuelationis justi judicij Dei: cùm surrexerit Dominus percutere terram virga oris sui: & in gladio ejus deuorabitur omnis caro. Scimus quidem, & compertum habemus, quia plerumque ad justitiam seminat tua dapsilis manus & magnifica, & myrrham primam distillant digiti

*Liberalitatem Henrici laudat.*

*Psalm. 111.*

tui; cùm in vsum pauperum Christi dona tua laudabili subuentione dispensas. Paras tibi lumen in die nubis & caliginis: operimentum in die tempestatis & turbinis, salutare confugium in die tubæ & clangoris: in quo tibi gaudiũ felicitatis optamus, & refrigerium precamur æternum. Abbas de Curia Dei habet opus præ manibus, Princeps egregie, quod facultatis & operæ ipsius superat facultatem. Præsumptionis argui deberet ejus inceptio, nisi in cœlestis misericordiæ thesauro spes ejus quiesceret: cùm sit ei breuis substantia, & incepti qualitas expensas exigat ampliores. Fundamenta Monasterij sui noua jecit, angustiam loci, vetustatis incuriam, ruinarum minas, corruptionis molestiam non ferens: cùm prioribus fundamentis superædificatio non posset aptari: & augmentum familiæ Dei non satis commodè caperent angusta tuguria. Et quia omnium indigentium commune refugium est liberalitatis tuæ sinus egregius, rogamus per Christum, vt ad eum, vnde tam cõmunis benefica stilla descendit, tuæ pietatis feratur irriguũ. Vale.

*Curia Dei est Ordinis Cisterciensis Diæc. Aurelianensis.*

Epistola 21. Ad S. Thomam Cantuariensem.

*Commendat illi communem amicum.*

Reverendo in Christo Patri & Dño Thomę Dei gratia venerabili Cantuariensium Archiepiscopo, Fr. Philippus de Eleemosyna, & F. L. de Curia Dei, salutem, & sinceræ dilectionis affectum. A nostris vtilitatibus non recedit, quod vtiliter accrescit vsibus amicorum. Hoc enim habet amicitia proprium, vt sit ei suauis & jucunda possessio, quidquid à suis professoribus possidetur. In sinum gratiæ vestræ dilatato corde & affectu prompto magistrum G. benigniùs collegistis. Vicissitudinẽ quam potuit, retulit, amicus fidelis inuentus est. Factus est strenuus propugnator justitiæ vestræ, allegator insignis, assertor prouidus causæ vestræ, & operum vestrorum præconator eximius. Nec sibi pepercit, nec suis, vt vobis proficeret: & totum se sic vestris impendit vsibus, & gratiam rependit pro gratia, vt nihil sibi lætũ proponeret, nisi quod honori vestro militaret & nomini. Si à fructu magno circa vos fidelem ejus operam torrẽs iniquitatis absorbuit, non est minori dignus amplexu, si quod voluit, implere non valuit: quia quantum potuit vtilis esse, non destitit. Nunc igitur si in conspectu principis illius magnorum suffragantibus meritis pacem potuit inuenire, esse non debet à cordis vestri conspectibus alienũ: sed vt credimus, in mente vestra debet florere congratia, si apud eum gratiã receperit, cũ quo familiariùs & fideliùs honoris & pacis vestræ possit inire cõmercium. Qui enim amicus est, omni tẽpore diligit: & amicitia certa nulla vi, nulla necessitate excluditur. Rogamus ergo dilectam nobis in Christo charitatẽ vestrã, & benevola persuasione cõsulimus, vt fideli vestro nullius conditionis apponatur dura necessitas: quia sicut ait Ouidius, *Lenis alit flāmas, grādior aura necat*: & æterna sapientia, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, suauiter disponit omnia, & cum magna reuerentia disponit nos. Bene valeat semper in Domino vestra sinceritas.

Epistola 22. Ad consanguineũ suũ Dionysium.

*Hortatur illum ad sectandas virtutes consanguineorum.*

Dilecto consanguineo suo F. Philip. de Eleemosyna, salutẽ in eo qui salus est. Qui majorum miratur virtutem & gloriam, non inutiliter gloriatur, si mores & vitam studeat imitari. Supervacuè quidẽ de suorũ sibi splendore blãditur, qui defectus sui tenebras oculis ingerit aliorũ. Paterna nãque gloria nos reddit inglorios, cùm ab ejus vestigijs dissimilitudine resilimus. Habes domestica pietatis & virtutis exẽpla, quæ tibi peperit ordinis & sanguinis venusta complexio, quæ itineranti lumen, operanti formam, negotianti poterunt afferre solatium. Negotium dico, non quod perambulat in tenebris: sed quo bona quæritur margarita distractæ possessionis emenda cõmercio. Elnonensis Monasterij pater, frater matris tuæ, sanctus ille Absalon fuit, qui te à lacte matris avulsum primis extulit elementis, & regularis disciplinæ præparauit obsequijs. Hic tibi quotidianus institutor occurrat, actus ordinet, componat affectus, sermones condiat, opera moderetur, & omne quod agis, comes & monitor indiuisus assistat. Non errabis, si conuersationis eius formam & operum studeas fidelis Peripateticus imitari. Si aliter incedis, excedis: & tanto patri, generi nostro, & indoli tuæ, facis injuriam. Salutat te dilectus filius noster F. Albertus consanguineus tuus.

*Imitatio bonorum.*

Episto. 23. Ad Stephanũ Meldensem Episcopũ.

*Petit beneficium Ecclesiasticum fratri cujusdam Monachi Claravallensis.*

Dilecto in Christo Patri & Dño Stephano Meldensi Episcopo, F. Phil. de Eleemosyna, salutẽ & sinceræ dilectionis affectum. Quod stabilẽ possidet animus noster de vestra benignitate fiduciã, non est jactatio meriti, sed vestræ dignationis occursus. Familiaritas prompta, jucũda serenitas, alloquiũ dulce, liberalitatis officiosæ comis oblatio, parabilis gratiæ signũ pręstat, & confidentiæ nutrimentũ: sic animus noster ad æstimationis suæ lineam deuotionis suæ format affectus, & amoris figurat imaginem: vt qualẽ judicat amicũ, tali se illi vinculo gaudeat alligari. De vestra igitur sinceritate præsumens, supplicatione qua possum, preces vestræ porrigo sanctitati, vt cujusdam fratris nostri fratrem carnalem bonæ indolis adolescentem beneficio subleuetis Ecclesiastico, & studium ejus vberi misericordia subleuetis. Si scire vultis, quis ille est, religiosi viri & honesti fratris, Monachi Claræuallensis, frater est, Adam vocatur, in Episcopatu vestro natus & renatus, bonarũ artium & partium ciuis: dignus, vt credimus, qui piæ subuentionis gratia fulciatur. Ad manum est, quod sat est: Ecclesia Sanctæ Cilinæ, & Ecclesia de Aciaco in manu vestra sunt, absque pastore. Sufficeret vna pauperi vestro, si benevolentiæ vestræ pietas assentiret. Non illi metas ponimus per antè dictum, sed sicut benevolentiæ vestræ placuerit, petitioni nostræ pretium gratia præstetur effectus. Quidquid illi pro amore Dei & nostro feceritis, nobis factum reputabimus, excellentiæ vestræ gratiùs & arctiùs obligati. Vale.

*Fratrem suum vocat Monachũ Claravallis*

Epistola 24. Ad Abbatem Letiensem.

*Offert quadam opera S. Augustini describenda.*

CArissimo Domino & amico præcordiali, Dei gratia Letiensi Abbati, F. Philippus de Claravalle, noua in Christo creatura, in nouitate spiritus ambulare. Non paruum mihi gaudium præstat, quod audio & scio vos sacris literis assuetum, & sanctorum Patrum ingenia reuoluere, quos in authoritatis arce mater Ecclesia reposuit & euexit. Cùm autem in ipsis sit, vnde hauriamus, à quibus audiamus, in quibus legamus sententiarum censoriam grauitatem, vernantis eloquij iucundissimum nitorem, aureā morum venustatem: superexcellit pater Augustinus, sapientia singularis, sublimis ingenio, verbis affluens, opere circumspectus. Ipse est enim cœlestis fistula, & Spiritussancti familiare organū: de cujus & in cujus pectore Deus majestatis intonuit ad confutandum Iudæos, ad refellendum Philosophos, ad Hæreticos conuincendos, in manu forti, & brachio extento. De operibus ejus quæ vos non habetis, inuenimus apud nos libros, videlicet Annotationes in Iob, contra Felicem Manichæum, contra Pelagium & Celestium, contra duas Epistolas Pelagij. Et quidem non fuit negligentia mea, sed commeantium raritas, quòd hęc citiùs dilectioni vestræ significare non potui. Sed & hæc volumina, de quibus scribo, magnorum voluminum corporibus inserta sunt, ita vt disjungi nō possint, nec vobis mitti. Consiliū autem nostrum est, vt si eos alicubi recuperare non potestis, & omnino vultis habere, nobis scriptorem & membranas transmittatis, vt fiat voluntas vestra. Ego autem & vester sum, & vester ero, quamdiu fuero, in visceribus Christi Iesu. Valete, & orate pro me. Habemus & De catechizandis rudibus librum.

*Authoritas Patrum.*

*S. Augustinus alios Patres præcellit.*

Epistola 25. Ad Henricum Remensē Archiepiscopum.

*Gratias ei refert pro benevolentia & beneficijs ab eo acceptis.*

AMantissimo in Christo Patri & Domino, Henrico Dei gratia venerabili Remorum Archiepiscopo, F. Philippus, suus, quod suus. Non capit animus, cogitatio non metitur, explicare lingua non sufficit, quo congratulationis, gratiarū, & laudis occursu, dignationis vestræ liberale prosequar ornamentum, quo dignanter à vobis nostra muneratur indignitas. Supra opinionem meritumque se subrigit munificus vestræ benignitatis accessus, tantò me deuotiùs obligans, & astringens arctiùs gratioso vestræ serenitatis respectui, quantò parvitati meæ sinceriorem clementiæ vestræ repræsentat imaginem. Quis enim ego, aut quæ domus patris mei; vt de reliquijs generis nostri cōstituat in loco primitiarum vestra gratiosa dignatio, vt sedeat cum principibus, & solium glorię teneat? Minor sum cunctis miserationibus vestris: sed inter omnia celebris excellentiæ vestræ beneficia venustiùs hoc sinceriùsque processit, quo nihil tale præmeditantem animum liberalitatis accēsæ radio tetigistis. Humanæ siquidē mentis affectum nulla sic excitat gratia, nulla sic alligat, aut ardentiùs afficit, sicut illa, quæ inopinatè clementer offertur, dignanter occurrit, non quæsita liberaliter assignatur. Non est, quod retribuam Domino meo, pro omnibus quæ retribuit mihi: quia sicut vestra sublimitas seruitutis nostræ perfunctione non indiget, nec subsidijs infirmioribus augmētatur: sic amoris mei fidelis oblatio nullos in se recessus inuenit, nullos omnino sinus, nulla reclinatoria, in quæ possit circa personam vestram suæ charitatis dilatare progressum: quia vasi pleno quidquid infuderis effunditur; & perfectionis non habuit gratiam, cui potuit accedere, quod minùs habuerit. Meus autem amor sic ab initio circa excellentiam vestram totus incanduit, vt apud se non inueniat exhedram, qua possit integritatis suæ plenitudinem dilatare. Cùm ergo sit diues animus, mendica facultas, & magnificentia vestra vilibus non adjuvetur impendijs: cùm non sit ad manum, quod sat est in retributionis obsequio, cœlestis misericordiæ thesauris inferam vestræ visitationis tam benevolum gratumque beneficium, vt pro me vobis retribuat Domin⁹, Dominus misericordia mea in sæculum, & opus manuum vestrarum benignè respiciat. Ego autem amabo semper & obsequar, & quamdiu spiritus hos reget artus, à magnificentiæ vestræ pedibus non auellar. Rogo igitur excellentiam vestram, vt recurrente indiculo me certificare dignemini, vbi, & quando, vestræ possit assignari præsentiæ, quem designastis ex nomine. Sinceritatem vestram conseruet semper, & augeat diuina clementia.

Epistola 26. Ad eundem.

*Gratias item agit, quod sibi ægrotanti epistolam & ministrum mittere dignatus sit.*

AMantissimo in Christo Patri & Domino, Henrico venerabili Remorum Archiepiscopo, F. Phil. de Eleem. suus quod suus. Dilatus est, vt credimus, quod sine cordis angore non dicitur, remediabilis ille & desiderabilis transitus, ærumnarum finis, delinquentiæ meta, pacis ingressus. Paulatim consurgit & reficitur puer vester, ordine successiuo corpori vires rediuiua sanitas administrat, edendi reparatur appetitus, & inter edendum natiuus ciborum sapor agnoscitur. Sed non minimū saluti nostrę fomitē parit de visitationibus vestris concepta lætitia, quæ & prosperitatis amica est, & egregios semper comitatur accessus. Quid enim pietatis, quid gratiæ, quid dulcedinis non attulit mihi scriptionis vestræ fœcunda dignatio? Radiabat in pagina benignæ mentis augusta sinceritas, & velut emicante speculo vim amoris, sinceram referebat imaginem. Verus amor est, qui suas angustiari facit angustias. Nemo enim digniùs exequitur diligentis affectum, quàm qui non sine pietatis obsequio, & inter amici cōmoda serenus est, & in oppositis obscuratur. Sic de conscientia mea vestrum excellentē metior animum, gloriorque singulariter, & quamdiu vixero, gloriabor, quòd in hoc vobis gratię gradu tanto tantillus apparui. Præterea cum multiplici gratiarum actione sublimitati vestræ, quo ad possum, deuotus occurro, quòd filium nostrum Ausculphum nobis transmiserit vestræ benignitatis pia compassio: qui argumentosè deseruit, officiosè ministrat, benevolè suffragatur, & in nostram se componit per omnia sospitatem. Sic excellentiæ vestræ proculdubio placere

cere non ambigit: & dignus est, qui præsidentis totum se conformat imperijs. Rogamus, humilitate qua possumus, vt apud clementiam vestram continuetur ei gratia, & inueniat pro bono ministerio gradum bonum. Bene valeat semper in Domino Sanctitas vestra, benignissime Pater & Domine.

### Epistola 27. Ad H. Præmonstrati Abbatem.

*Rogat, vt nepti sua condonetur, quòd Ordini Præmonstrat. se dederit non seruata forma.*

Dilecto dilectori suo H. Præmostratæ Abbati, F. Philippus salutẽ in eo qui salus est. Athletæ virtus proditur in cõgressu, miles probatur in acie, lucet in periculis nautæ solertia, necessitatis articulus parit amicitiæ notionẽ, & probatã fidẽ tẽp⁹ obductionis excludit. In cœlo testis meus & cõscius in excelsis, quòd dilectione sincera personã vestrã & Ordinẽ vestrũ fuerim fideliter amplexatus. Responsum flagito charitatis, & vicariã quæro gratiam, cum beneuolẽtiæ fructu. Filia fratris mei ad Montẽ-cultum orationis causa nuper ascenderat: ibi in spiritu mentis suę repentiuo mutata processu, vestẽ sibi Religionis induit, & attonsis crinibus primitias capitis ad altare cum voto virginitatis Sponso virginũ dedicauit. Exhibuit in hoc facto, quod amor Dei, quòd ardor ætatis, quod muliebris leuitas potuit, quod immaturitas consilij peperit in animo puellari. Fatemur, & verũ est, quia præter institutiones Ordinis vestri, præter majorũ regulas, præter authenticas sanctiones cõmissa est hæc noua transgressio. Fecit quidẽ illa quod debuit, sed non vt debuit, sortita est viriuæ mutationis ingressum. Iustũ erat, vt per manum Abbatis & conniuentiã fratrũ susciperetur ordinabiliter oblatio ejus. Anticipauit ordinẽ præcipitatio voluntatis: sed opus tam piũ, tamque deuotę propositionis incessus, juxta vouẽtis sententiam rata manent in conspectu veritatis æternæ. Quis sine offensa euellere poterit tam sanctæ desponsationis amplexũ? Quis in corde suo proponet extinguere spiritũ, quem in animo virginali suscitauit amor mũditiæ, & diuini muneris formauit instinctus? Supplico igitur charitati vestræ, & quanta possum intentione mansuetudinẽ vestræ benignitatis imploro, vt quod hic erratum est, temperet piæ dispensationis occursus, & simplicitatis delictum remissione cõgrua tegat misericordia sanctitatis. Experiamur in hoc opere quãti simus apud vos: & cùm seruaueritis animã quærentẽ Deum, & generis nostri confusionẽ sustuleritis, nos juxta consilium vestrũ & Abbatis sancti Martini, secundùm facultatẽ nostrã, libenter benefaciemus Ecclesiæ, in qua neptis nostra vitã suã Dño consecrauit.

Patet hunc Philippum non fuisse Ordinis Premonstr. Abbatem.

### Epist. 28. Ad Episcopum Attrebatensem.

*Orat, vt quemdam suscipiat in obsequium suum, si ei vtilis est.*

Atrebatensi Episcopo F. Philip. Potestas non solùm si imperet, verùm etiã si supplicet, cogit: sed amicitia sic precatur, vt æquanimiter nutũ favoris habeat & repulsam. Amicus enim animi custos dicitur, non incentor: pacis portitor, non rancoris: non gravaminis ministra, sed gratiæ. Dignationi vestræ preces porrexim⁹ pro R. marescallo. Si obsequiũ ejus vtile judicatis, & in beneplacito vestro sedet, eum in vestro satellitio detinere, gratias agimus pro benevolentia. Si aliter judicatis, nos contraria non rogamus, nec contrahere volumus vestræ voluntatis offensam, cui benevolentiam debemus & gratiam. Valete.

### Epistola 29. Ad F. Remensis Ecclesiæ Decanũ.

*Rogat vt latori conferatur beneficium scholare.*

Dilecto dilectori suo, magistro F. Remensis Ecclesiæ venerabili Decano, F. Phil. modicũ id quod est. Cedere nõ debet in vacuũ, vel inaniter fundi fidelis intercessio, quæ ab amico dirigitur ad amicum. Maximè autem sunt validæ preces, quas format pietas, ornat justitia, gratia comitatur. Pium est, pauperi subuenire: diligenti sapientiam justum est suffragari: qui quærit gratiam amico mediante, excludi nõ debet à gratia. Hæc tria in præsentium latore conueniunt. Exilem habet substantiam, profectum diligenti proposito constanter insequitur, bonorum gratiam reuerenter exquirit. Dilectã in Christo nobis mansuetudinem vestrã, quanta possumus precum instantia, suppliciter imploramus, vt amore Dei & nostri vestra benignitas eum à sinu misericordiæ non excludat, sed indulto sibi scholarium beneficio, studẽdi aptius & docendi alios tribuat facultatẽ. Adolescens est bonarum artium & partium ciuis: seruire & obsequi bonis studium gerens, & propensæ voluntatis affectum. Benignus animus bona quærenti debet cũ gratia subuenire: & amico pulsãti non debet claudere januã pietatis. Bene valete semper in Domino, carissime Domine.

### Epistola 30. Ad L. Sancti Gisleni Abbatem.

*Orat, vt in gratiam suscipiat Religiosum, qui ab eo exierat.*

Dilecto in Christo Patri L. Dei gratia S. Gisleni reuerendo Abbati F. Philip. modicũ id quod est. Sicut rebellibus & superbis jure debetur pœna: sic pacis aditus & viscera pietatis non sunt humilibus & pacem quærentibus obseranda. In spiritu humilitatis & animo contrito, sicut credimus, reuertitur ad vos F. Vualcherus lator præsentium cum nepote suo Ger. pacis & pacem quærens, omni tempore diuersus operam, sicut asserit, vt ad honorem Dei & Monasterij profectum, & personæ vestræ reuerentiam seruitium & honorem, tota vita ejus deinceps & conuersatio conuertatur. Nouit discretionis vestræ sacer intuitus, quòd non primordia de fine judicantur sed quod posterius est, dat sententiam de priori. Paulus malè incepit, consummatio fide & gloria coronatur. Iudæ laudantur initia, sed finis proditione damnatur. Ponamus errasse Galchemum, si satisfacere quærit humiliter, veniam promeretur. Verumtamẽ electum catholicè prædecessorem vestrum Leonem fidéliter secutus est, & vsque ad confirmationem vitæ stabili prosecutus instantia & diligenti opera famulatus. Suspecta vobis est forsitan hominis arguta solertia, vel machinationis cujuspiam contra vos maligna peruersitas, juxta verbum Sapientis, Omnis est ab amore tollenda suspicio, quia ab inquietudinis motu suspiciosus animus non quiescit: sicut in Iob

Posteriora spectanda, potius quàm priora.

*Iob 15.* legitur. *Sonitus terroris in auribus ejus.* Absit hoc ab anima sapientis, ab anima quærentis Deum, ab anima in domo Dei fideliter militantis. Rogamus igitur dilectam nobis in Christo sinceritatem vestram, vt humiliter reuertentibus misericordiæ porta pandatur: & quanti simus apud vos, declaret munus pacis, & impetrata clementia. Bene valete.

*Hactenus Epistolæ Philippi de Eleemosyna, secundum exemplar Claravallense. Quæ sequuntur ex Dunensi sumptæ sunt.*

Epist. 12. Philip. de Eleemosyna, in Dunensi exemplari. Ad Abbatem S. Michaëlis.

*Rogat, vt villicum in gratiam recipiat.*

DIlecto in Christo Patri, Amico, & Domino B. Dei gratia S. Michaëlis Abbati F. Phil. de Eleemosyna, salutem & sinceræ dilectionis obsequium. Ad suum referri debent vniuersi principium, & originis suæ similitudinem conuenienter in omnibus exhibere. Pater est misericordiarum, & totius consolationis Deus, qui nos ministerij sui facit esse participes, & miserationum suarum præbet imitabilem nobis, & vtilem prærogat abundantiã. Cui cùm sit proprium misereri semper & parcere, nos qui vicẽ ejus in terris obtinemus, misericordiam debemus superexaltare judicio, & gratiam in his qui voluntariè se & sua misericordiæ vestræ subjicere non sunt aduersati. Sicut enim contumacibus vltio jure est inferenda: sic est humilibus gratia conferenda. Non est sinu misericordiæ separandus, qui ad illum in spe remissionis pia humilitate confugit. Inde est, quod benevolentiæ vestræ supplicamus, vt pro amore Dei & nostro, fratrem Prioris Fusniacensis pia subuẽtione releuare dignemini: vt villicationis suæ statum, quem in manu misericordiæ vestræ dèposuit, assentiatis ei misericorditer reparare. Quem si apud vos rumor ex incertis collectus accusat, vel suspicio malitiæ comes inflammat, vel inuidiæ damnabilis zelus ardenter insimulat: debet tamen pietas excusare, & sapientia examinare consilia, & non citò ad falsa facili credulitate delabi. Porrò, cùm scriptũ sit, quia, *omnis controversiæ finis est sacramentum,* & ipse vobis illud offert ad innocentiæ signum, inter vestram & ipsius conscientiam debet assidere medius radius charitatis: qui inter Prælatum & subditum novum copulet gratiæ nodum, dum vos exonerat, & illum plenius obligat suscepta remissio. Cùm enim Dominus dicat, *Sit sermo vester, est, est, non, non: quod autem abundantius est, à malo est,* non jurantis, sed non credentis argui videtur intentio: cùm ille qui juramentũ parat, suam purgationem operetur, ille indignationem fouere, itæ satisfacere videatur. Honestius ergo est vicario Christi, & vtilius, misericorditer indulgere, quàm pertinaciter exigere sacramentum: quia de indulgentia merces acquiritur, & de exactione transgressio. Rogamus igitur & obsecramus, humilitate qua possumus, vt plenam ei indulgentiam faciatis, & de restitutione villicationis, & de indulgentia sacramenti. Parati erimus cum gratiarum actione rependere vicem, si tempus occurrerit, & vestra nobis dignatio injungere voluerit.

*Misereri nos decet ad imitationẽ Dei.*

*Hebr. 6.*

*Iac. 5.*

*Honestius est indulgere, quàm exigere juramentum.*

Epistola. 14. Ad Abbatem Elnonensem. In Dunensi exemplari.

*Paratum se dicit ejus voluntati obsequi, sed cùm hiemis asperitas abierit.*

DIlecto in Christo Patri I. Dei gratia venerando Elnonensis Monasterij Abbati, F. Philippus modicum id quod est. Non longè causa dissidet ab effectu, vbi & liberè voluntas imperat, & facultas obediẽter obsequitur, quod votum postulantis expectat. Ad obsequium vestrum me & familiaris excitat favor, quo personam vestram sincero complector affectu, & antiquæ dilectionis specialis gratia cohortatur; qua locum, cui Deo authore præsidetis, non quidem singulariter, sed præ cæteris diligo & veneror. Vnum inde est, quod charitati vestræ significo, quòd ad vestrum sum paratus arbitrium, si quod mandatis, facere disponitis; sed cùm perfectioni resistat brumalis asperitas, vtilius mihi videtur, & aptius, differre quod intẽditis, donec hiemalis rigor ascendente sole mitiùs intepescat, & dierum cursus productior sit, & commodior ad viandum. Ego autem iterum vbicumque expedire nouero, pro vobis ero solicitus. Si autem vobis aliter placet, recurrente nũtio, perdocete, quod facere me velitis: paratus sum enim sequi vestræ demandationis edictum.

Epist. 15. In Dunensi exemplari, Ad eundem.

*Offert obsequium suum eidem Abbati.*

*Hæc etiam in Fusniac. codice est duodecima.*

TOrpentes affectus proposita mouet occasio, & jacentes erigit in profectum. Profectus est amicitiæ, manens inter amicos nexus indiuiduus animorum, & ministra jucunditatis altrinsecus deuota memoria, deuotionis & obsequij vestri cura. Personam vestram vnit cordi meo jugis aspectus: & status vester semper contubernalis meus est, & incola pectoris mei. Occasione igitur sumpta per præsentiam latoris præsentium, scribere dignum duxi charitati vestræ, vt & continentia nostra vobis innotescerent; & siquid esset apud nos quod pro vobis nostra opera indigeret, transmissæ relationis pateret indicio. Nos enim corde bono & animo volenti, sicut decet & dignum est, ad obsequiũ vestrum parati sumus, & promptum voluntati vestræ spondemus officium. Dominum Priorẽ sanctumque conuentũ ore vestro & spiritu nostro salutamus.

*Sequuntur aliæ Epistolæ eidem Philip. Abbati de Eleemosyna in codice manuscripto Fusniacensi ascriptæ: quæ Claravallensi desunt, & Dunensi. Sed prima, quæ in illo Fusniac. codice est septima, & secunda, quæ in eodem codice est 13. non sunt fortassis nostri Philippi, vt jam suprà monui.*

Epistola 7. Phil. Abbatis de Eleemosyna, secũdùm prædictum exemplar Fusniacense.

Ad fratrem Antonium.

*Congratulatur cuidam Nouitio Cœnobij Bonæ-spei Ord. Præmonstratensis.*

BEnedicta gloria Domini de loco suo, quæ locũ tibi præparauit in Bona-spe; vt factus filius Bonæ-spei, de spe transferaris ad speciem; & aggregatus filijs regni, de claritate visitationis in agnitionis claritatem transformeris, tamquàm à Domini spiritu. Spiritus enim Domini, qui replet orbem terrarum, qui solus omnia cõ-

tinet, & scientiam habet vocis, aqua purificationis replet mentem tuam, pedes tuos cohibuit à vanitatis accessu, & cõtinet in amore justitiæ. De scientia vocis dedit confessionem seruo suo, vt excelsus in verbo gloriæ glorifices Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi in beneficio vocationis suæ, qui te vocauit in admirabile lumen suum; & de peccatorum tenebris in splendoris æterni gratiam reformauit. Magnificat super hoc anima mea Dominum; & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: quia amicus meus mortuus fuerat, & reuixit; perierat, & inuentus est. Nunc primùm fateor esse te meum germanum; quia amor Dei fecit te esse contemptorem mundialium nundinarum. Confortare igitur, & esto robustus: loquere, quod loqueris; operare, quod operaris; vt multipliceris in senecta & misericordia vberi; & misericordiam vberem tribuat tibi misericordiarum pater, & Deus totius consolationis: qui sperantes in se non despicit seruos suos, quos in præsenti sanctificat, & glorificat in futuro. De reliquo, de sacerdote super quo me rogasti, solicitus ero, cùm ad me venerit, & indicauerit, quis ille sit, qui taliter eum nititur fatigare.

Epistola 8. In prædicto exemplari Fusniacensi. Ad Priorem Cistercij.

*Videtur scripta nomine alicujus Conuentus, mittẽtis Monachũ in Liguriã, vt inde defuncti sui Abbatis corpus deferat in propriã domu.*

ALlegatione valida nititur, qui apud ministrum charitatis pietatis repræsentat obsequium. Fidelium corpora sunt instrumenta justitiæ, & honore prosequenda, non solùm dum vivunt; sed etiam cùm spiritu fuerint orbata vitali. Inde est, quòd Ioseph patrẽ suum ab Ægypto in terram Chanaan sepeliendum deportare curauit: & ad terram promissionis ossa Ioseph filij Israël detulerunt. Sanctorum vestigijs inhærentes, ducente nos spiritu pietatis, Patris nostri R. Abbatis glebam ad nos à Liguria deferre disponimus: vt in domo de qua bene meruit, jus sepulchri per Dei gratiam sortiatur. Deputatus est ad hoc communis filius Frater T. & ad vos hac consideratione dirigitur, vt paternæ benedictionis firmatus accessu, translationis hujus ministerium securiùs & attentiùs aggrediatur & impleat.

*Sanctorum corpora mortua honoranda.*
*Genes. 50.*
*Exod. 13.*

Epistola 10. In prædicto Fusniacensi codice. Ad Henricum Archiepiscopũ Remensẽ.

*Gratulatur, tantum Pontificem, qui & frater Regis erat, sui memorem esse, & Epistolis se ab illo honorari.*

DEuotionem germinat, & gratiæ subministrat fomitem, subditorũ parvitati dignitatis impensa dignatio. Sol firmamenti gratia, mundi lumen, vniuersitatis oculus, cacumina montium sic illustrat, vt splendore suo conuexa vallium non defraudet. Sicut ille admirabilis oriens ex alto, Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum, solus inter Angelicos ordines, & inter beatorum spirituum fideles excubias in omnipotentatu suo sic fulgore luminis gloriatur, vt humanæ sortis non detrectet angustias, vt consors factus & generis, & dignitatis suæ glòriam generi conferat & naturæ. Felix imitatio, quæ se tanto subjicit exemplari: quæ formosam concipit & parit imaginem de similitudine conditoris. Sic Dominus meus, verus Domini characteris imitator & custos, inter Ecclesiasticæ dispositionis arcana consilia, inter aulicos motus & subtilium condensa curiarum, inter familiaris prouidentię non vulgaria secreta, pauperis sui memoriam non abjicit: sed venerationis plenos & bajulos apices cum inquisitione sedula delegauit: qua parvitatis nostræ latebras visitaret. Visitatis animus paginali patescit alloquio; & mentis affectum muti apices pleniùs eloquuntur. Quòd autem præsentiam vestram nobis inuidet ad præsens negotiorum fœcunda progenies, quæ Regni pariter & vestris occupationibus indulgetur, commonemus animum, vota protrahimus, suspendimus desideria; nomen vestrum & memoriale vestrum in desiderio animæ sustinentes: cujus vultum tãquam vultum Angeli desiderantissimè videremus. De statu nostro pleniùs scripsissemus, nisi præsens adesset, à quo perscrutari & scire potestis certiùs vniuersa, filium vestrum An. loquor, quem vobis commendabilem faciat, & obsequij sic fidelis occursus, & nostræ parvitatis adnexa precatio.

*Sol summa & infima illustrat.*
*Deus homines vt Angelos honorat.*
*Dominum suum Archiepiscopũ intelligit.*

Epistola 11. In eodem exemplari. Ad quendam adolescentem.

*Hortatur illum exequi conceptũ Religiosæ vitæ amplectendæ propositum.*

BOnum est homini, cùm portauerit jugum ab adolescentia sua. Iugum enim Domini suaue est, & in odorem suauitatis germinare facit subjectibilem illi. Iugo Domini vita corrigitur, ornantur mores, opera diriguntur, propagatur sapientia, comparatur æternitatis accessus. Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ suæ faciat detrimentum? Detrimentum animæ est mundi amor, quẽ qui mente conceperit, & affectuosiùs voluerit inhærere, parit sibi diuinitatis offensam, & propositum sanctitatis excedit. *Qui enim vult esse amicus hujus mundi, inimicus Dei constituetur:* nec in eodem possunt domicilio cõmorari diuin⁹ amor & mundanus, nulloque sibi possunt glutino copulari. Clamat in Euangelio veritas. *Nemo potest duobus dominis seruire.* Non est conuentio luci ad tenebras, nec potest impietas justitiæ sociari. Seruire Deo regnare est, seruire mundo peccatum est. Elige tibi, quæ volueris. Dilectio Dei vita æterna est: dilectio mundi perpetuæ mortis ingressus. *Bonum est homini intrare ad vitam debilem vel claudum, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis.* Memento ergo verbi tui, quod non homini seruo Dei, sed Deo tuo promisisti, & dilectori tuo salutis tuæ spem gratissimam dedisti. Accede ergo carissime, & quod in manibus Domini promisisti, sic in corde tuo germinet, vt à corde Domini non recedat, sed fiat tibi fons gratiæ salientis in vitam æternam: & in die retributionis de fructu operum tuorum satietur & viuat anima tua.

*Thren. 3.*
*Iugum Religionis hic intelligitur.*
*Iac. 4.*
*Matt. 6.*
*Matth. 8.*

Epist. 13. In eodem exemplari. Ad Abbatem de Valle-Dei (Ord. Præmonstratensis.)

*Describit amorem amicitiæ, ac dirigit ad eum Supriorem suum.*

DE figmentis plerumque seria colliguntur, & in ænigmate loquitur fabula veritatem. Iuxta commentitios veterum ritus, sicut puer,

Amoris pictura.

sic amor imberbis pingitur & pennatus. Puer, quia senio non marcescit: imberbis, quia simulatione non tegitur: pennatus, quia pervolat in remotos. Sic amicitiæ sinceritatem non exterminat prolixitas temporum, nec lanugo falsitatis obnubit: & ad longè positos affectionis piæ penna transducit. Terrarum situs & maris interjectio corpora quidem separat, animos non bipertit: quia vnus semper ab initio spiritus in nobis fuit, & vna fides: & gratia de radice pullulans charitatis. Hanc nec locorum intercapedine, nec longo marium tractu, nec rerum mutatione vel operum mutauit obductio, turbauit offensa, minuit difficultas. Et quoniam debent amicorum omnia esse communia, quod nostrum est, in vinas vestræ charitatis infundo, Suppriorem nostrum loquor, cujus apud nos portio magna requiescit. Meretur ipse diligi: meretur & frater ejus, qui vobiscum est: & nos petimus, vt aliquid reuerentiæ & dilectionis accrescat, & amicitiæ nostræ respectu, & fraterni dilectione consortij. Non repentinum ejus ad vos aduentum vestra miretur sinceritas: quoniam diuturna importunitas, & obnixæ amicorum preces, non leuitatis excursus, ad vos quasi necessariò compulit transmittere.

Epist. 22. in eodem codice. Ad tres Abbates.

*Rogat tempore afflictionis suscipi ab illis aliquot ex suis Religiosis.*

TRibulatio & angustia inuenerunt nos, & multiplicata sunt mala in terra, & intrauerunt aquæ vsque ad animam. Graui vrgetur dolore, cujus disperguntur viscera super terram: cujus dulcedo transit in amaritudinem: cujus in desolationem consilia transferuntur. Lugubris est patris affectus, cùm separatur à filijs: nec supra dolorem istum dolor est alius, cùm aliena vrgente malitia rapitur à canibus alimonia filiorum: & eleemosynæ Christi pauperibus denegantur præ inopia. Oportet nos, quod sine dolore non dicimus, filios nostros ad fraterna transmittere subsidia, & in hoc tempore vestro beneficio sustentari. Rogamus igitur charitatē vestram in spiritu humilitatis & animo contrito, vt in hac tribulatione nostra pium nobis exhibeatis affectum; & paterno animo in visceribus charitatis filios nostros, imò & vestros, quātos vobis placuerit, cùm ad vos miserimus, benignè suscipere, velitis. Quodcumque placuerit vobis, nobis rescribite.

Epist. 26. in eodem exemplari. Ad Episcopum Cameracensem.

*Congratulatur ei de obtento Pontificatu.*

AVditui nostro dedit Deus gaudium & lætitiam de reditu vestro: dilatatum est cor meum, & lingua mea cum gratiarū actione vocem laudis cælesti dependit arbitro. Cùm enim sit amicitia singulare vinculum societatis humanæ, & nihil inter homines celebretur hujus muneris perfectione jucundius: non immeritò gratulor, si amicus meus super cedros Libani complantatus, inter seniorū cathedras obtinet principatum. Ante me factus est, qui post me non erat, & Pontificalis gratiæ sortitur initia, electionis canonicæ fauente concordia, Imperatoriæ majestatis assensu. Gratia multiplex gratiarum omnium largitori, qui prosperum fecit in benedictione dulcedinis iter vestrum: qui ad propria reduxit incolumem & amicorum desiderijs pietatis suæ remedia non negauit. Ipsi cū humili deuotione supplicamus, vt læta principia fine claudat optabili; & inter electos regni sui principes, electionis vestræ faciat finem consummari. Quod si aliquid in facultate nostra est, in quo dignationi vestræ possimus assistere, in arbitrio vestro est; edicere quid velitis: nostrum est pro viribus nostris implere vestræ jussionis edictum.

## *Epistola Domni Henrici Claravallensis quondam Abbatis, post Cardinalis Albanensis Episcopi.*

Epistola I. Ad Papam Alexandrum tertium.

*Missus ad prædicandum bellum sacrum, nuntiat Henricum Campaniæ Comitē crucem assumpsisse, commendatque Pontifici terram seu Principatum ipsius.*

VT in gaudio & exultatione metatis, quod pia solicitudine seminastis, ad notitiam vestram, Pater sancte, deferimus, quòd cura, quam nobis Apostolica delegauit authoritas, suaues in aliquibus & acceptabiles Deo fructus, fidei vestræ merito parturiuit, ita vt & nos delectet executio boni operis, & vos certè pœnitere non debeat vtilis & saluberrimæ jussionis. Illustris namque comes Henricus, noster specialissimus Princeps, & Dominus terræ peregrinationis nostræ, compunctus & inspiratus à Domino, vexilla salutis primus arripuit, & dignum Domino spontaneæ oblationis offerens sacrificium, ad æmulationem pij muneris ducē se cæteris præstitit pietatis. Iam in hortulo cordis ejus germina læta repullulant. Iam futuræ fertilitatis ipsius aprica viriditas hilarescit: ita vt sentientes in eo fragrantiam spei bonæ exultemus & lætemur in ipso, tamquam in odore agri pleni, cui benedixit Dominus. Nuper enim circa Dominici Natalis proxima sacramenta de manu Legati vestri viuificæ crucis signum pia deuotione suscipiens, publicę solemnitatis gaudium inopinatæ lætitiæ festiuitate præuenit: vt de ipso quoque meritò resonaret, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ecce igitur pro eo coram vobis affectuosissimæ deuotionis preces prona humilitate prosternimus: rogantes, vt terram suam, quam patrocinio vestro ex fiducia multa commisit, memineritis, provt decet, Apostolici præsidij tuitione vallandam: quatinus quisquis in eam aliquod fuerit in absentia principis machinatus incommodum, indignationem vestram se non dubitet incursurum. Nulli etenim justiùs diligentia sacri Apostolatus impenditur, quàm ei, qui tollens crucem suam, per tot maris terræq; discrimina crucis Dominum imitatur.

*Claravallis in Campaniæ Prouincia sita est.*

Epistola 2. Ad Abbatem Buscalonem.

*Optat Buscalonem venire Claramvallem, & rogat vt occurrat ei Altăcumbā, vbi Henricus Abbas fuerat.*

ECce ego ad ostium cordis vestri pertinax amator inuigilo, clamans literis, precibus

inquietans, vt animus ille vester vel importunitate victus assurgat, & pessulum nobis abditæ voluntatis aperiat. Credimus enim quòd illa prompta est ex virtute, licet retardetur ex obice: & gestit inuenire quà prodeat, si renitentis obstaculi durities non obsistat. Quid autem sibi velit, quòd sæpe scribens vobis, vestra nec semel rescripta promerui, non aduerto: nisi quod admodū vereor, ne vobis memoria nostri prorsus exciderit, dum affectui nostro quærenti quem diligit, dilecti saltem litera non recurrit. Ego autem impatiens moræ moras vestras silentiūq; dissimulo, blandiens vtique mihi; ne fortè qui hæc interim vota suspenditis, recompensationis optimæ compendia procuretis. Quidquid autem illud sit, quod me, dū vos retardatis, excruciat, noster interim nec dormitat animus, nec tepescit affectus, quærens quem diligit anima mea: vt tenens teneam nec dimittam illum, donec introducam vos in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Tunc videbit dilectus meus & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor illius: cùm egredietur ad eum in filijs suis gaudens & exiliens Claravallis, & obuiabit illi quasi mater honorificata. Tunc & mihi forsitan insultabit, vt dicat, *Iam non propter tuam loquelam credimus:* quia sicut audiuimus, ita & vidimus. Vidimus & cognouimus eam, de qua Patres nostri annuntiauerunt nobis. Resuscitate igitur nunc tandem gratiam quam habetis in vobis, ne sepeliatur in vno angulo montium, quod datum est vobis in acquisitione Gentium & multitudinis populorum. Veniet, qui talentorum suorum lucra requirat, exacturus nimirū exinde rationem, si sub defosso cespite Bulcoldonis otiosam repererit pretiosi muneris quantitatem. Si qua igitur in vobis viscera pietatis, si qua societas spiritus, si qua laus disciplinæ, occurrite mihi in Altacumba, cùm venero, vt vel ibi pandatur secretariū mentis, quæ tantæ obriguit lentitudine tarditatis.

*Domū intelligit Claravallensē.*

*Ioan. 4.*

Epistola 3. Ad Papam Alexandrum.

*Orat Papam ne Tolosanæ Ecclesiæ Pontifex constituatur.*

DOctoris Gentium probat authoritas, & nostra jugiter infirmitas experitur, quòd *nemo scit hominum, quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui in eo est.* Verùm & hic ipse ad sua ipsius intima dignoscenda caligat, nisi hic ab alio spiritu adjutus intelligat, illo vtique, de quo Apostolus ait. *Spiritus adjuuat infirmitatem nostram.* Ille namque solus cùm omnia scrutetur, etiam profunda Dei, ille inquā solus, occulta humani cordis intelligit, & vires ac potentias singulorum singulari & propria virtute discernit. Quod ideo dictum sit, amantissime Pater, vt nulli de me credatis, quod supra me esse, meus ipse mihi spiritus attestatur, domesticus vtique propriç insufficientiç perscrutator; & nec mearum virium nescius, nec debilis inbecillitatis ignarus. Scitote itaque Pater, & credite, quòd si quid in me gratiæ vel virtutis aut est aliquatenus, aut esse conjicitur, illorum penitus meritis est attributum, quibus in legę Domini conseruandis indigna me fateor pręlatione submissum. Eorum debetur commodis omne quod possum, eorum deputabitur vsibus quod accepi; quibus siquid exinde qualibet subreptione fraudauero, timeo, ne quod illis pro

*1. Cor. 2.*

*Rom. 8.*

*Claravallēses Monachos intelligit.*

parte surripitur, mihi dignius ex asse tollatur. Multò proinde melius mihi, multò securius, apud illos jugiter munia impositę seruitutis implere, quàm cum eo quod illorum est, de gente in gentem vaga mutatione transcurrere. Quādo verò idoneus fierem regere gentes indomitas, & diuinæ legis ignaras, qui nec illis etiam administrare sufficio, qui plus mihi ex disciplina conferunt, quàm à me recipiant per doctrinā? Et isti quidem per semitas justitiæ celeri currētes incessu, sponte ferūtur ad vias vitæ: illi verò pactum fecere cum morte, & manibus & verbis accersierunt illam. Verūtamen & propter illos mori, pro vestra mihi erit jussio ne promptissimum, parato pro viribus meis ad omne, quod contra hæreses illius regionis injungatur, dum modo ab ea mihi quam somniāt, Pontificis electione, parcatur. Rogo igitur, & per mansuetudinem nostri Redemptoris obtestor, vt quidquid vobis alij suggerant, qui consuetæ forsitan correptionis aculeos remouere longiùs à sua conuersatione festinant, ab his tamen quibus diuina videor ordinatione conjunctus, paternitas me vestra non separet, nec cogat me ampliùs ad sæculi hujus alta respicere, qui elegi ab olim in domo Domini humilibus consentire. Inueniam, quæso, misericordiam in oculis vestris, ne ab accessu Concilij hujus timoris occasione retarder, vt possim vobis tamquam vicario Christi Iesu & summo speculatori turris Dauid quædam singulariter comperta suggerere, quæ poterunt Deo propitio in vniuersitatis commodum redundare. Numquid tanti est, ad tribus solùmmodo Tolosanas & fæces Vuasconiæ cōuertendas intendere, vt negligantur alia multa, quæ potestis, si creditis, & debetis vsque ad extremum terræ, in salutem multarum Gentium prouidere? Ipsa quoque Tolosana Ecclesia, si non ei aliunde consulitur, graue interim dispēdium sustinebit, dum ego, si me cogitis, fugiam quoad potero, etsi non effugiā manus vestras.

*Heresis Albigensium.*

Epistola 4. Ad eundem Papam Alexandrum.

*Rogat Papam, vt latorem præsentis Epistolæ dignetur Hibernis Pontificem concedere.*

EST in Insula Hiberniæ vir vitæ venerabilis, fide Christianus & nomine, qui in populo illo barbaro & gente nouissima summo hactenus sacerdotio fungitur, & legationis insuper titulis insignitur. Nunc autem infirmitate confectus & senio quietis & vacationis vota concepit, fatiscentē nimirū causatus ætatem; quippe qui videt exitū vitæ sibi pro foribus imminentem. Maturus igitur miles, & post varios triūphos legitimæ concertationis emeritus, præteritæ operationis hebdomadam sabbato quærit requietionis concludere, & spiritualibus tandē otijs dedicare id quod est reliquum vitæ suæ. Facta igitur cessione Pontificij quod gerebat, ne gentem in qua hactenus laborauerat absque consolatione dimittat, virum venerabilem, scilicet latorem præsentium, ordinari sibi desiderat successorem, celebrata electione in ipsum à clero & populo & magnatibus terræ ejus. Vnde nos licet tales in obseruātijs Ordinis adjutores, nequaquam in Ecclesiasticis functionibus fieri cupiamus Antistites, adducimur tamen assensū nostrum pręsenti negotio non negare, timentes vtique illi barbaræ nationi, ne facilè in eis na-

*Hic agnosce plenitudinem potestatis Romani Pontificis.*

turalis feritas recrudescat, si in tepidioris segnitiem disciplinæ à spiritualium virorum feruore refrigeat. Quaproptèr si ita videtur & vobis, rogamus vt votis & desiderijs prædicti Pontificis tam in absolutione ejus, quàm in ordinatione istius efficaciter annuatis. Quidquid autē agendum fuerit, scitote, quòd ei & viarum prolixitas & breuitas expensarum moras inhibet longiores.

Epistola 5. Ad Regem Anglorum.

*Extollit Regē Angliæ tum ob alia, tum quòd plūbo statuerat Claravallis Ecclesiam operire, eamque ob causam mittit ei mensurā ejusdem Ecclesiæ.*

ADie qua vobis Deo inspirante complacuit, vt ad redemptionem familiaritatis nostræ sinus sese Regię dignationis expanderet, & apex tanti culminis inclinaret, jugis & ininterpolata memoria vestri sedem nostri pectoris occupauit, quæ nos non patitur vel in amore vestro tepescere, vel à gloriæ vestræ prædicatione cessare. Testis est terra Vasconiæ, & nobilis vrbs Tolosa, quam ex dispositione nuper vestræ magnanimitatis adiuimus, qualiter per os nostrum in omni oportunitate colloquij tam publici quàm privati, magnifica virtus vestræ majestatis insonuit, & inter oppansas quodammodo erroneæ turbæ caligines splendor vestræ tam fidei quàm pietatis effulsit. Deinde cùm jam redijssemus ad propria, ejusdem vestræ pietatis gratiam domesticis nostris relatu familiari deprompsimus: & Abbatibus è diuersis mundi partibus congregatis, cum solemni quadam & festiua lætitia regalis beneficentiæ nuntiauimus largitatem. Inter cætera sanè, quæ de amplificatione & custodia Ordinis seruastis hactenus, & seruatis, curæ vobis fuit, non solum exhibita, sed & promissa referre, vt gratiùs accepta recolerent, cùm potiora in reliquum ex gratuita pollicitatione sperarent. Specialiter illud amplissimum donum præconio excellentiore protulimus, quod Claræyalli nostræ in nostris manibus promisistis, vt videlicet plumbi lamina in operimentū oratorij nostri vestro munere contributa, deuotio quæ vobis in pectore flagrat, nobis super tecta resplendeat. Hęc igitur acceptantibus vniuersis & dignas Deo gratias persoluentibus, habita deliberatione decreuimus oratorij nostri mensurā sine orationum mensura transmittere: orantes impensiùs & clamantes ad Dominum, vt pro decore domus suæ quam amplificatis in terris, restituat ipse vobis domum non manufactam æternam in cœlis.

*Fides & pietas Regis laudata.*

Epistola 6. Ad eundem Regem.

*Ait in prima festiuitate S. Bernardi illius factam memoriam, & exoptatam fuisse præsentiam: mittitque ei digitum S. Bernardi.*

CElebratus est apud nos dies honorabilis & solemnis, noua festiuitate jucundus, & ampla jucunditate festivus, vtpote quem nobis releuatio sacratissimi corporis beati Bernardi celeberrimum reddidit, & lumine clariore perfudit. O quàm voluimus gaudijs illis plus vtique cælestibus quàm terrenis, vestræ majestatis interesse præsentiam: quatenus & nobis de gloria principali decor tantę festiuitatis excresceret, & vobis de meritis illustrissimi Confessoris miro quodam irriguo vberioris benedictionis largitas emanaret. Verùm, quia id nobis ampla distantia remotissimæ regionis inuidit, ad spirituale remedium vota transtulimus, fecimusque Deo propitio, quòd vestra ibi etsi præsentia defuit, memoria non vacauit. Solemniter etenim nomen vestrum cum suæ pietatis insignibus, vestrorum, vt oportuit, & affectionibus fratrum, & cordibus impressimus filiorum: qui ampla illud deuotione susceptum, aspectui quodāmodo sancti Patris offerrent, & cælestis aulæ secretario præsentarent. Præterea ne absentiæ corporalis occasio regias apothecas inuenti muneris participatione fraudaret, mittimus vobis de thesauro reliquiarum ejus honorabilem portionem: indignum penitus reputantes, si pietas tanti principis tantæ sanctitatis participio fraudaretur. Suscipite igitur digitum sacræ illius manus: quam pro eo quod vir justus ab omni munere terreni quæstus excussit, Deus eam, vt dignum fuit, affluentissima copia cælestis benedictionis impleuit. Illius inquam manus, cujus tactus sanabat ægros, roborabat inualidos, firmabat homines, dæmones effugabat. Illius manus, quæ Claræuallі nostræ, cui vos dare tecta disponitis, primum injecit lapidem fundamentis. Fuit autem studij nostri diligenter in vasculo consignare quod mittitur, ne vel thesaurus ibi reconditus per frequentes apertiones injuriæ pateat, vel deuotæ surreptionis instinctu dolus aliquis piæ fraudis irrepat.

*Sub Henrico Abbate S. Bernardus in Sanctorum numerum relatus est.*

*Reliquiæ Sanctorum.*

Epistola 7. Quæ est Dn̄i Cisterciensis ad eundē Henricū & Morimundi Abbatem.

*Henricus & Abbas Morimundi deputantur à D. Cisterciensi ad visitandum Cœnobiū de Colūba.*

COntentiones & rixæ, quas in Monasterio de Columba furor mali desiderij suscitauit, ad nostram nostrorumque peruenere notitiam, diro nos admodū vulnere percellentes; tam prò dispensatione domus ipsius, cui graue subinde periculum imminet, quàm violata nostri Ordinis honestate, quæ in omnibus professoribus suis pestem familiaris dissidij & domesticæ simultatis abhorret. Volentes igitur huic tanto malo competens accelerari remedium: solicitudini vestræ injungimus & mandamus, quatenus ambo pariter accedatis ad locū, & vices nostras in visitatione exactissima diligentia suppleatis, ita quidem, vt in præsentia I. Abbatis super rebelles & inobedientes domus ipsius suam cujusque primitus malitiam visitetis, dignam pro modo culpæ exercentes in singulos vltionem, qua & vos ipsos zelus Ordinis commendabiles faciat, & temeraria peruersitas superborū cōtra Ordinis stimulum inutiliter calcitrare dedíscat. Specialiter autem in Priorem domus ipsius, qui contra Patris imperium retinere non est veritus prioratum, depositionis sententia principaliter exeratur: quia non est dignus præesse cæteris, qui se contumaciter arbitrio subtraxit Abbatis. Quia verò etiam Abbatem ipsum considerata hominis qualitate debere judicamus absolui, volumus vt eum ambo pariter seorsum quidem & solicitè moneatis, vt in capitulo suo corā vobis humiliter petat ab officio quod bajulat missionem: & quasi sua vos importunitate deuincat, quo violentia quadam remedium absolutionis obtineat.

Epistola 8. Ad Conventum Saviniacensem.

*Hortatur Sauiniacenses ad frugalitatem, ob præsentem, vt apparet, domus eorum inopiā.*

BEnedictus Deus & pater luminum, à quo bona cuncta proueniunt, qui patri vestro Domno Abbati W. plenam contulit & in obtemperando fidem; & in operando virtutem: ita vt paterno studio solicitus sit pro vobis, satagens omnimodis & laborans, qualiter domus vestra consueto ampliùs incommodo non laboret. Induit eum Dominus virtute exalto, & roborauit fortitudine manum ejus, ita vt dum præterita cum præsentibus æstimamus, apertè nobis detur intelligi, humanæ pusillanimitatis fuisse, quòd timuit: sed superni esse muneris; quòd in opere conualescit. Rogamus proinde vos, & tamquam filios carissimos admonemus, quatenus manum ejus orationis & obedientiæ subsidio fulciatis; currentes & ipsi post eum in odore virtutis suæ, & vestigia ejus gressu pacifico prosequentes. Facite, vt complaceat sibi in vobis anima ejus, & delectetur in vestris actibus cor illius: quia tunc facilè dilucescit nebulositas teporis, si aspiret in nobis serenitas charitatis. Porrò si opus fuerit, vt aliquid vobis in quotidianis etiam stipendijs restringatur, nolite protinus exacerbare spiritum viri Dei, pro diminutæ stipis impendio murmurantes, sed ipsi eum potiùs importuna oblatione frugalitatis monasticæ præuenite: quæ numquam satis ad professionis suæ culmen attollitur, nisi cùm vniuersis superfluitatibus amputatis, intra necessitatis extremæ limites coërcetur. Illa verò fraternitas profectibus spiritualibus militat, quæ cōmodi communis intuitu in ijs etiam quæ necessaria videbantur, noxios appetitus propriæ voluntatis abjurat. Quod nunc maximè vobis æmulandum est & agendum: quando nihil aliud hac discretione quæritur, nisi vt domus vestra vobis posthac in vsus vberes amplietur.

*Frugalitas Monastica quanta esse debeat.*

Epistola 9. Ad Alexandrum Papam.

*Expostulat de Dolensibus Monachis, qui armata manu decimas extorserant à Monachis Domus Dei Ord. Cisterc. & quosdam etiā vulnerauerāt.*

IN immensum extollitur impunita temeritas, & licentia quæ juris ratione non cogitur, justis semper rationibus obluctatur. Probat hoc Dolensium Monachorū granditer efferata præsumptio, qui in agrum fratrum de Domo-Dei præteritis messionibus irruentes, rapinam frugibus, injuriam fratribus intulerūt, nulla prorsus admonitione præmissa, vt siquid eis decimationis jure competeret, pacificè ad ipsos aut judiciali ordine peruenisset. Hi verò armis potiùs confisi quàm legibus, ad illos laboriosos fratres, qui sub pondere diei & æstus lætabātur coram Domino, sicut qui in messe, in armorum strepitu violenter intrauerunt, potiti nimirum periculosa lætitia, qua exultant raptores capta præda quando diuidunt spolia. Quidam namq; eorum violentas manus in Conuersos & Monachos injecerunt, & illas sacras dextras, quas decimarum sacrilegio venerant prophanare, fuso pauperum sanguine polluerunt. Et vos quid ad hæc, beatissime pater, quid ad hæc? Poteritne præsidentibus vobis manere incorrectū in Monachis, quod sacri canones acerrimè puniunt in tyrannis? Poteritne & illis in exigendis his decimis justitia vlla competere, qui justitiam & judicium cruento præjudicio non sunt veriti pręuenire? Verùm & antea super his nullam habebant omnino justitiam, quippe qui olim pro eis idonea commutatione recepta diuturnum haberent pro hac decimatione concābium literis traditum, & fundatoris domus subscriptione signatum. Rogamus igitur clementiæ vestræ celeberrimam pietatem, quatenus eam super hoc promat in maleficos vltionem, quòd fratres nostros nulla vlteri⁹ decimæ hujus exactione lacessant, & contra inermes animas arma denuo sumere non præsumant.

*Cœnobium Domus Dei Ordinis Cisterci.*

Epistola 10. Ad eundem Alexandrum Papam.

*Queritur, decreta ejus pro quadam domo Ordinis sperni à Diuionensi Abbate, & rogat, vt aggrauet manum suam in contumacem.*

AMbiguitatis & diffidentiæ materia panditur, si Ecclesia quæ mater est fidei, in suis institutionibus contemnatur. Desinat Roma vel promulgare quod statuit, si decretis ipsius impune contraire licuerit. Meminimus autem pijssime pater, & cum gratiarum actione recolimus, quòd negotium domus parvulæ de Morans tam diligenter & efficaciter promouistis: quòd ad suum jam causa exitum deuenisset, si Diuionensis Abbatis nota proteruitas vestræ jussionis limites non exiret. Sed ecce inuentus est, qui perire magis eligat, quàm parcere, volens potiùs à functionibus separari diuinis, quā in suis factionibus superari. Confidimus tamen in Domino, & in cōstantia virtutis vestræ, quòd mentietur tandem iniquitas sibi; & cui aufert execrabilis cupidō consilium, jugis vexatio cōferet intellectum. Is autem jam tertiò vestræ recepit literas jussionis, in quibus ei omnis appellatio tollitur, vt pauperculæ illi domui juris sui prosecutio non tollatur. Iam per Lingonensem Episcopum sub interdicti sententia de justitia vestra tenetur, dum non vult dimittere, quod per injustitiam suam tenere conuincitur. Sed quid facimus? Non credit verbo signi prioris, nisi adhuc in manu valida grauioris plagæ verbere feriatur. Date igitur pie pater, voci vestræ vocem virtutis, & facite adhuc nobiscum signū in bonum, vt erubescant rebelles, & increduli confundantur; & sciant pariter & intelligant, quàm periculosè & ad insipientiam sibi decretis Apostolicis reluctentur. Si qui autem ex eis cōspectui vestro se irreuerenter ingesserint, meminerітis excommunicationis sententię cui succumbunt; vt non aliter, quàm vos deceat, vel admittantur à vobis vel dimittantur.

*Abbas S. Benigni Diuionensis.*

*Interdictū Ecclesiasticum.*

Epistola 11. Ad eundem Papam Alexandrum.

*Vitia quædam Galliæ deplorat, quæ extirpare adorsus sit Cardinalis S. Chrysogoni, ob id tempus reuertendi ei prorogari precatur.*

INter cætera mala, quibus in partibus Gallicanis antiquus Ecclesiæ decor obsorduit, pudicitiæ lapsum, & fidei deploramus excidium: videntes, quòd diebus his malis & casta simplicitas piæ credulitatis excluditur, & candida simplicium castitas influentibus vndique flagitijs inquinatur. Vnum verò superest contra prodigia funesta remediū, vt rigor Apostolicæ disci-

plinæ non torpeat, & abundante malitia cęterorum Romanæ sedis charitas non frigescat. Hanc enim si spiritus ab austro veniens placidi feruoris æstu refoueat, totum corpus Ecclesiæ cœlesti protinus recalescet incendio, & noxij torporis excussa segnitie in sui vigoris gloriam membra languida conualescent. Attendat ergo interim de sublimi qua pręminet specula, sanctitatis vestræ contemplationis obtutus, & tunicā veri Ioseph sedula cogitatione perspiciat, videatque, vtrum-ne illa sit, quam ei pater fecerat, tam inexpertam maculæ, quàm totius conscissionis immunem. Maculatur hæc in partibus nostris & scinditur, eo quod duplici subjecta ludibrio, & nævo turpitudinis & ruga dehonestatur erroris. Bicipiti quodam fluvio & hæreses in eam & flagitia confluxerunt, ita vt cùm sordeat in plurimis per immunditiam vitæ, scindatur in alijs laceratione perfidiæ. Surrexit enim de cineribus Sodomorum antiquę libidinis vermis, qui post ignis pluvias imbrésque sulphureos de lacu damnationis emergens, fœtoris sui flatibus occiduas inficit regiones. Reuixit & Arrius in partibus occidentis, qui ab orientali judicio in propria persona damnatus, nunc in successoribus suis fines vltimos occupauit. Foris occidit gladius, & domi mors similis est. Nam & hæretici in publico disputant contra fidem: & quod multi in occulto faciunt, & scribentis verecundiam, & legentis læderet honestatem. Sed quid dicimus in occulto? Peccatum suum sicut Sodoma prædicant, & velut in suburbanis Gomorræ conuiuas libidinū prouocant ad peccandum. Numquid super his non indignabitur zelus vester: aut impune peccabunt, & vos tacebitis? Tempus est, vt amicus sponsi sponsæ vlciscatur injurias: & gladius Phinees sacerdotis in incæstum Israëlitæ & Madianitidis exeratur. Ecce in diebus vestris auctore Domino sedata sunt schismata: euge Pastor bone facite, vt & hæreses sopiantur. Habetis enim in partibus Gallicanis virum, sicut experti sumus, justitiæ & veritatis amicum, Dominum P. Tituli Sancti Chrysogoni Cardinalem, qui in vna sola electione, me teste, quingentas marcas argēti strenuè refutauit: ne sub obtentu muneris à tramite diuerteret veritatis. In eo igitur plurimæ consolationis hausto remedio Deum glorificamus & Patrem: in eo magnificamus & vos, videntes quòd illustrium dignitatum gratia, quæ de vestræ plenitudinis fonte procedit, in tales confluit ex Apostolica discretione personas, quæ per vitæ meritum fastigia illustrate comprobātur honorum. Hinc vobis materia gaudij, hinc Ecclesiæ Dei solatij fomes exoritur: quòd tales assumitis in partem solicitudinis, qui honorent in vobis plenitudinem potestatis. Probat iste quod diximus, vestrum in se non errasse judiciū; dum eò se aptum exhibet ad pondus oneris, quò minùs deprehenditur ambitiosus honoris. Is est quem sublimat humilitas, frugalitas locupletat, qui cùm sit nemini grauis, carus & vtilis factus est vniuersis. Pugnat constāter ad bestias Ephesi, Simonem Petrum contra Simones magos induens, & leprosis Syriæ novum exhibens Elisæum, euellit & destruit, ædificat & plantat: ita de vinea Domini Sabaoth vulpeculas demolientes exterminat, vt de ipso quoque vestiario Salomonis tineas corrodentes excludat. Benedictus Deus, cui talem Ecclesia sua filium vobis obstreticantibus parturiuit, qui & Patris honori cōsonet, & à matris non degeneret honestate. Hunc itaque vobis contra prędictas pestes prolixiori temporum spatio petimus indulgeri, cōsentientibus plerisque de majoribus nostris in idipsum, vt citra exhibitam prædictorum vulnerum curam, non sit iste vir nostris regionibus subtrahendus, qui ob hoc maximè fuerat in partes etiam remotissimas destinandus: præsertim cùm tetigerit Dominus hoc tempore corda Regum, qui pacis inter se fœdere confirmato, in nullo meliùs sanctiusque conueniunt, quàm vt induti lorica fidei hæreticam multitudinem persequantur. Verùm, quia necesse est, vt juxta Euangelij verbum sint gladij duo hic, dignum credimus & honorificum vobis, vt zelum sęcularium principum vestra quoque æmulatio comitetur: ne pia eorum intentio sumat ex occasione defectum, si oportunum non acceperit ex vestra cooperatione subsidium. Expedit igitur vt prædicto Cardinali congruas prorogantes inducias, detis ei specialiter in mandatis, vt cōtra hostes charitatis & fidei magnanimiter accingatur: maximè quia in pluribus regionibus vsque adeò jam exundauit iniquitas, quòd factus est sicut populus sic sacerdos; vel potiùs pestilentia gregum ex ipsa serpit contagione pastorum. Moras proinde hominis Dei, & indicti sibi reditus tarditatem consideratio tantæ necessitatis excuset: quia licet præsentia ejus vobis esset non immeritò grata: talis tamen absentia cunctis Deum timentibus efficitur gratiosa. Redibit ad vos, Deo propitio, temporis oportunitate suscepta, & spirituales afferet ex agro hujus mundi mandragoras, quæ jam & in portis nostris odorem spargunt, & vobis suauitatem plurimam in ipsius Rachelis inuidiam redolebunt. Persequatur interim, vt optimè cœpit, peccatores Amalech, & de ciuitate Domini veteres exterminet Iebusæos: vt cùm venerit ad vos, & pulsauerit, confestim aperiant ei, & intret in gaudium Domini sui magni.

*Albigensiū heresis notatur ex parte.*

*Cardinalis à muneribus abhorrens.*

*Duo gladij Evangelij qui sint.*

Epistola 12. Ad nigros Abbates Flandriæ.

*Animos eorum commotos ob secessum Abbatis de Ham in aliquod Cœnobium Ordinis Cisterc. placare conatur.*

AD me ipsum anima mea turbata est, insiti mœroris amaritudine contabescens, quòd vestros, vt dicitur, animos turbo aduersus nos grauis commotionis exagitat, & in profundo piorū cordium grandis infremuit spiritus procellarum. In primis igitur orandus est auster, vt veniat, qui indignationis ollam flante aquilone succensam mitioris auræ temperamento refrigeret, atque in thalamo Salomonis media cubiculi charitate consternens, in quietis tranquillæ planitiem sanctarum mentium redigat tempestatem. Ego autem, si quid modo est vel opere vel sermone commissum, in quo vestra sit vel exasperata benignitas, vel vtilitas diminuta, nulla tuebor impudenti excusatione reatum, qui vestrum subeo spontanea satisfactione judicium. Maximè quia cùm apud misericordes Iudices causa decernitur, non tam periculosum est soluere pœnæ debitum, quàm nequiter inficiari delictum. Proinde ad vos pertinet, vt æqua discretionis lance pondus libretis examinis, per quod & confitenti sit venia, & inno-

*Henrici submissio.*

centi non imputetur offensa. Verum est illud, nec omnino diffiteor, quòd in vestris me olim partibus commorante, vbi, quod cum gratiarũ actione recenseo, impensiùs sese mihi copia vestræ charitatis exposuit, contigit vt præsentiam nostram vir venerabilis G. Abbas de Ham gratia contrahendę mecum familiaritatis inuiseret, méque sibi, quod libenter annui, mutuæ dilectionis connexione vinciret. Cumque circa spirituales profectus medius inter vtrumque sermo discurreret, sui propositi reserauit arcanum, dicens se animo concepisse, vt in Ordinis nostri coloniam & ipse transiret, & alios, qui eum sequerentur, adduceret. Dehinc domum quoque obtulit quam regebat; ratus videlicet, non pleno sibi prospexisse consilio, nisi domum eatenus gubernatam in eminentiam Ordinis ad quam ipse migraret, pari religiositate sustolleret. Hæsi fateor, & præ consideratione difficultatis obstupui. Deinde cunctis obstaculis mente decursis curam prosequendi operis dissuasi. Ad vltimum verò instantia mollitus Abbatis rem totã dubia dilatione suspendi. Præterea Flandrensis Comitis quem Abbas pro negotio tam acitando quam non acticando vocauerat, & declinaui conspectum, & euitaui colloquium: ne suo hortatus accessu præproperum aliquid & in posterum corrigendum, vel committerem improuisus. In omnibus his quid ego peccauerim, ipsi decernite: nisi fortè, quòd non statim ad vestra perculi primordia causæ notitiam, vt cum vestro fuisset consilio per me ipsum prouidè consumandum, quod postmodum per Abbatem G. piè noscitur temeritate præsumptum. Verùm & in hoc mihi testis est Deus, neque per me factum esse, neque pro me, quòd ipse domum illam temerarius occupauit, quam mox exoccupauit extinctus; ita vt si habeamus in eum, quod mouere possit ad iram, non desit tamen, quod inflectat ad veniam. Maximè, quia leniter punienda est culpa, quæ de zelo religionis opus potuit suadere discriminis. Ei ergo parcendum est & à vobis, quia vt spiritualibus loquor, quod fratribus illis prodesse voluit, vobis obesse non credidit. Nunc igitur Patres optimi, & dilectissimi fratres, remouete obsecro, à cordibus vestris iram, à nostro tristitiam: ne qua inter nos radix amaritudinis sursum germinãs nuper initę charitatis jura corrumpat, vel fructus vberes gratiæ vtrimq; adolescentis impediat. Ego enim vester sum in visceribus Dñi Iesu Christi, nullã vobis daturus offensam, præsto semper & paratus ad gratiam.

## Epistola 13. Ad Cabilonensem Episcopum.

*Congratulatur ei recens in Pontificatũ Cabilonensem assumpto: & Cœnobij Longi-vadi negotium quoddam commendat.*

SErmo bonus egressus à Domino non indignè quidem de vestra nos electione lętificat, quos in vestra pariter dilectione sublimat. Gaudemus siquidem ad altiora conscendere quos amamus: & eos præsertim de quorum datur cõuersatione præsumere, quòd eis in signum gratiæ, operationemque virtutis, sublimis adveniant culmina dignitatis. Specialiter autem ex vobis specialem sumimus in hac promotione lætitiam: vbi ea materia exultationis offertur, per quam in arctioris amicitiæ statum præcedentis gratiæ merita fœderentur. Illa enim Ecclesia vos suscipit in pastorem, per quam vos mater Ordinis est habitura Pontificem: ita vt spiritualis gratiæ parentela in subditam lineam descendente, habituri simus à modò viscera pij Patris, in quo habebamus hactenus simplicis beneuolentiam dilectoris. Cæterùm & prædictæ matri nostræ, sicut bene confidimus, eò ampliùs assistetis, & sua in omnibus jura seruabitis, quò piæ religionis æmulari propositum ab ipsa infantia ætatis vestræ didicistis. Deuotis ergo precibus cœlestis est vobis exoranda potentia, vt operis hujus initia stabili salubritate promoueat: & vbi multiplicauit pondus oneris, amplificet & dilatet incrementa virtutis. Vt autem hæc ipsa incrementi vestri primordia lætis vndique fulciantur auspicijs, rogamus prudentiam vestram, quatenus in negotio Longi-vadi & nostræ necessitudinis, & vestræ memineritis honestatis: prouidentes intercedentibus nobis, quòd idem negotium ad domus illius pacem & commodum dirigatur. Si quas ergo vel nostras vel aliorum literas habuistis, quæ prædictæ domui exceptionem soluti contractus opponant, eas nobis loco magni muneris redhibete: facturi rem gratam & acceptabilem cordi nostro, si domum Longi-vadi ab hujus litigij discrimine liberetis.

> *Cistercium Claravallis mater Diœcesis est Cabilonensis.*

## Epist. 14. Ad Dominum Hyacinthũ Cardinalé.

*Excusat se, quòd nondum ei honorem (per epistolã vt opinor,) exhibuerit.*

QVærendæ familiaritatis & gratiæ vestræ gráditer hactenus negligentes vestro nos omnimodis humiliamus honori, vt debeat venia prærogari neglectui. Procul autem suspicio vniuersa contreptus: quia etsi tales sumus, quòd interdum præ occupationibus multis nonnulla negligimus: hanc tamen tantãque à nobis Deus auertat amentiam, vt aliquem de his qui nobis prelati sunt contemnamus. Inter cęteros autem vos tanto humiliori reuerentia veneramur, quantò excellentiam vestram prępollere quàm plurimis nullo vmquam scrupulo dubiæ dissimulationis ambiguimus. Ad pedes igitur glorię vestræ preteritæ negligentiæ veniam postulantes, aperiri nobis tandem vestræ familiaritatis aditum deprecamur, quæ in hoc si placet, primitias nobis suæ dignationis indulgeat, vt grauamen & tædium ejus quæ de vobis facta est electionis auertat. Profectò enim ex integro me vobis constituetis obnoxium, si ab hoc periculo reddideritis expeditũ. Valeat sublimitas vestra.

*Sequuntur alia Epistolæ quorumdam Prælatorum & Monachorum Claravallensium.*

## Epistola 1. Quæ est Alexandri Cistercij Abbatis ad Conventum Cisterciensem.

*Cedens Abbatiali dignitate Cisterciensem Conventum ab obedientia sibi promissa absoluit.*

MEritum longanimitatis & patiẽtiæ vestrę, quæ de maxima tolerantia nostræ imbecillitatis enituit, nostra prout potest, & lingua loquitur, & conscientia veneratur: id me nimirum summoperę procurante, vt hujus tã magni boni vestri si esse nequiuero assertor idoneus, inueniar saltem coram Domino non ingratus. A quo vtique factum est, vt vnde vobis per im-

sufficientiam nulla ex me dabatur forma profectuum, inde per patientiam vestram clarior enitesceret gloria meritorum. Inde est, quòd in hoc tam mihi necessario quàm vobis granditer fructuoso nostræ separationis euentu diuinam clementiam supplex precator exoro, vt ille vobis vicissitudinem bonam sustinentiæ vestræ retribuat: pro quo ei per quem contigisse monstratur; vt onus quod de infirmitate nostra portastis, de vestra vos virtute redderet, & in hominum existimatione conspicuos, & oculis supernæ majestatis acceptos. Det ergo vobis inter alias benedictiones secundùm cor suum hominem reperire dignissimum: qui præteritæ sterilitatis damna sequentis vbertatis multiplicatione resarciat, & agrum Dominicum senescentis arboris vetustate, pallentem nouellæ plantationis floribus fructibusque distinguat. Ego enim valefaciens vobis, & in Domino Deo nostro singulis benedicens, omnes vos à vinculo vestræ professionis absoluo: petens & ipse in conscienciis vestris à noxa & debito temerarij reatus absolui, siquem aliquando vel exasperaui sermonibus, vel operibus molestaui. Rogo insuper & admoneo, vt pro eligendo vobis pastore studiũ sedulæ orationis inuigilet, quæ & finem nostrũ, tamquam vnius ex vobis, Deo viuo & vero, cùm venerit hora, commendet.

*Senex Alexãder cessit.*

Epistola 2. incerti Authoris, Ad Conuentũ Fusniacensem tempore tribulationis.

*Offert illis subsidium temporale & spirituale, monetque ne deficiant.*

VOcem turbationis audiuimus; vocem doloris, & turbinis vehementis. Turbante siquidem Domino profundum maris intumuerunt super vos vehementissimi fluctus ejus: ita vt ex procella quæ pectoribus magis quàm littoribus vestris illiditur, spuma quædam formidinis & mœroris in vestris mentibus resolvatur. Quid enim si remoti sumus ab inuicem positione locorum, qui distantia non separamur affectuum? Fiat necesse est in cujuslibet euentus inæqualitate commune, quod vobis fecerit vel aduersitas vel prosperitas singulare: quia quos vna in Domino charitas ligat, eos ab inuicẽ nec læta, nec lugubris fortuna dissociat. Scitote igitur, dilectissimi fratres, quòd aduersa quæ patimini compassione debita sustinemus; & ad cõsolationis vestræ remedium, quidquid vel spiritualiter, vel temporaliter possumus, totius libertatis affectibus exhibemus. Verumtamen ne aut vos, quod absit, plus justo reputemus in hujusmodi euentibus timidos, vel nos ipsos vltra quàm deceat ostendamus in talibus imperitos: monem⁹ vos & exhortamur in Domino, quatenus memores eorum, quos rapinam suorũ cum gaudio tolerasse cõmendat Apostolus, vos quoque in tribulationibus istis deficere non velitis: scientes, quòd si patienter aduersitas mundana suscipitur, plenius proculdubio cœlestis vobis cõsolatio cumulatur. Procul igitur à vobis pusillanimitas arceatur: maximè cùm in medio vestrũ stet Dñs Iesus Christus, qui faciet cũ tentatione prouentũ. Nam & æstũ turbinis istius in aurã vertet, & ad suæ virtutis imperiũ sedabitur postmodũ spirit⁹ procellarũ. Nos verò nõ cessamus orantes pro vobis, parati ad omnia, quæ ex paupertate consilij vel subsidij nostri vobis putaueritis oportuna.

*Hebr. 10.*

*Christus stat in medio afflictorum.*

Epistola 3. Incerti Authoris, Ad magistrum Balduinum.

*Arguit hunc Balduinum non implesse votũ ingrediendi Religionẽ, tempusque executioni præfixum jam præteryisse.*

SI quid de humano retines intellectu, & non omne penitus beneficium rationis abjuras; credo, quòd in te ipsum proprio judicio quæ sum dicturus anteuenis, teque positum coram te de tribunali mentis tuæ debita seueritate percellis. Sed timeo, ne fortè non sit solium filiæ Chaldæorum, nec habeat anima tua, vnde vel seipsam libera increpatione diuidicet, qui tenebris obuolutam malitiæ ignominiam, propriæ deformitatis abhorret. Erubescis etenim, nisi fallor, redarguente te conscientia, quasi transgressorem, qui fidem tuam irritam feceris, & pacti Dei tui minimè recorderis. Venit dies, imò jam abijt, & præfixus voto terminus expirauit. Tu verò non in die, sed in tenebris adhuc spiras, & iram tibi in die iræ sine vllo termino thesaurizas. Sperabam ego, & bono animo credulus expectabam, vt sicut jurauerás Domino, votumque voueras Deo Iacob, apud nos in azymis sinceritatis & veritatis pascha Domini cum discipulis Domini manducares. Sed tu veteris malitiæ fermento corruptus, adhuc immolas de fermentato laudem: & super Ægyptias ollas incumbens, Paschalis agni delicias non requiris. Infelix homo, quando liberaberis de periculo mortis hujus? Quando de seruitute peccati in libertatem justitiæ transmigrabis? Satis erat ad periculum dico tuum, ad tuum inquam periculum satis erat, quòd alijs eras laqueis præuaricationis implicitus, etiamsi non fuisses Domino Deo viuo & vero de hujus voti transgressione mentitus. Quis credet tibi ampliùs, etiam vera dicenti, qui nec ipsi potuisti verax esse veritati? At illa non fallitur, quia Deus non irridetur. Vide potiùs infelicissime, ne fallaris: dum de hujus vitæ altitudine qua inaniter intumescis, baratro teipsum perpetuæ damnationis immergis. Surge igitur obsecro, & te tibi primò, deinde nobis, imò omnium conditori restitue: antequam te profundum absorbeat, vel vrgeat super te puteus os suum. In inferno enim quis cõfitebitur Domino? Hic hic miserabilis Balduine, hic facultas est conuertendi, confitendi locus, remediũ pœnitendi. Hic nobis Apostolica tuba tempus acceptabile diemq; salutis enuntiat, quo abdicatio nouæ offensionis indicitur, & veteris piaculi malignitas expiatur. Surge ergo anima, ne moreris, excutere de puluere filia Sion, solue vincla colli tui captiua filia Ierusalem: surge, fuge, ne steteris. Quid enim adhuc expectas? Satis in hoc sæculo famæ, satis scientiæ studuisti: miserere tibi nunc tandem, vt vel in fine memineris conscientiæ consulendum, maximè cùm etiam hic te maneat occasio certa periculi, si non omne scientiæ lucrum ad conscientiæ referas incrementum. Scientem namque Domini voluntatem, sed minimè facientem & neglectus cognitæ veritatis accusat, & justitia non ignorata condemnat. Aperto proinde pectore jacula hæc diligentis iræ, vel irascentis potiùs dilectionis excipito: atque in expansa retia Saluatoris saltem nostris te vel vulneratus incurre: vt quos contristasti dilatione voti, subita lætifices acceleratione remedij. Adhuc enim tibi inter inuitatos ad nuptias locus certè non infi-

*Mendax est Deo, qui votum non soluit.*

*2. Cor. 6.*

mus in Clarevallensi cœnaculo reseruatur. Tu tantùm vide, ne haberi velis segniter excusatus, qui de salute tua totiens inueniris admonitus.

Epistola 4. Rogeri Prioris ad Abbatem Columbensem.

*Congratulatur huic recens electo, & vt se debeat gerere admonet.*

INgens mihi nata est in vestra promotione jucunditas: quæ nisi reciperet à contrarijs accidentibus metum, perpetuum mihi dederat de exaltatione tripudium. Cæterùm inter tam varios mores, & animos diuersorum, quorum seruituti addicitur qui præfertur: inter tot fluctus turbinésque causarum, quibus mens pluribus occupata colliditur, non potest qui diligit, ex amici casibus non gustare formidinem, quantamcumque hauserit ex profectibus voluptatẽ. Placet, fateor, prouentus honoris, si obnoxia non esset altitudo periculis: & jucundum foret supra vndarum vertices aduentui Redemptoris occurrere, si veniens à latere ventus validus nõ terreret. Verumtamen, quia prope est Dominus inuocantibus nomen ejus, fit ad eum jugiter clamor mentis, & non absorbebit nos pelagus tempestatis: quandoquidem non est facile vt in profundo mergatur, qui quantumlibet fluidos calles ad imperium Saluatoris ingreditur. Hac ergo fiducia timore sopito de salo formidinis bonæ spei littoribus applicamus: maximè, quia non timemus à pede superbiæ lapsum, vbi posuerunt humilitatis fundamenta principium. Scriptum est enim. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur.* Gratias igitur agamus ei, qui in loco nouissimo recumbentem pio considerauit intuitu, & ad remunerandum humilitatis meritũ, habere vos voluit in sublimibus principatum. Vos autem velut de læua proficiscentes in dexteram, præeuntem gratiam irreuocabili virtute sequimini: vt sicut honorum gradibus in sublime contenditis, ita etiam ascensionibus in corde dispositis ad meritorum culmina virtutum profectibus euoletis. Ego verò, vt admonitiones meas compendio finiam, illud semper vos meminisse velim, quod periculosè prorsus & ad insipientiam sibi abundat quispiam, affluitque diuitijs, qui non præcauet in futurum, ne perennis vinciatur funibus paupertatis. Estote proinde in diuitijs vestris pauperum Christi non immemor: ad quos cùm ab olim affectum beneuoli susceperitis, nunc tandem opportunitatem benefici suscepistis.

*Altitudo periculis est obnoxia.*

*Iob 22.*

*Diues in futurum præcauere debet.*

Epist. 5. Guillelmi filij ad Guillelmum Patrem.

*Hic Nouitius Claravallis inuitat Patrem suum ad eandem vitam Religiosam.*

EPulari & gaudere te conuenit, pater, quia filius tuus mortuus fuerat, & reuixit: perierat & inuentus est. Vtinam & in te reuiuiscat spiritus tuus, & dicas cum Patriarcha Iacob. Sufficit mihi, si filius meus viuit: vadam, & videbo eum antequam moriar. Ita pater, vtinam hoc sit placitum coram te. Verumtamen si exire disponis, vt quæras: noli in vicos & plateas, quasi me ibi inter cæcos & debiles quæsiturus, qui jam in summi patrisfamilias conuiuio constitutus gusto & video, quoniam suauis est Dominus, & inebrior ab vbertate domus ejus. Ipse enim regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. Noli inquam quærere inter cognatos & notos, adhuc me in comitatu reputans sæcularium puerorum: ne fortè illius tibi pueri voce respondeam, qui quærentibus se respondit. *Quid est, quòd me quærebatis? Nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Si ergo quæritis, quærite, & venite, & inuenietis me sedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem, si quem diligit anima mea viderunt, si norunt, vbi pascat, vbi cubet in meridie. Relictis namque sodalium gregibus, qui per deuia mundi hujus inepta curiositate vagantur, post illum currere in vnguẽtorum suorum odore disposui, qui exultauit vt gigas ad currendam viam, vt post se currentes facile reducat in patriam. In ejus igitur habitaculo me reperies, in abscondito tabernaculi sui, in domo videlicet Clarevallis, quæ est domus Dei & porta cœli, locus ante sæcula præordinatus à Deo, & cœlum cupientibus præparatus. Hic est, vt noua veteribus conferamus, locus Sichem & conuallis illustris, vbi fidelis Abrahã in typum militiæ spiritualis tabernaculum fixit, futuros Christi milites præfigurans: qui ab interpretatione nominis peregrini, & humeros suos operibus obedientiæ subdant, & titulo humilitatis illustres ad celsitudinem veri gaudij de valle plorationis ascendant. Hic mihi paradisi flores odorem suauitatis perpetuæ spirant. Hic sanctorum opera, velut arua virentia varijs colorata virtutibus vernant. Hic mihi canticũ nuptiale, hic cœlestes resonant cantiones. O quàm bonum, quàm jucundum, habitare cum talibus, militare cum talibus, cum talibus triũphare. Veni ergo pater, veni Domine, ne tardaueris, ne vel tu, quod absit, tanti boni participio careas, vel me præ desiderio vultus tui, aspicere aliquando retro compellas. Iam enim fultus floribus, & stipatus malis, cum odore tibi suauissimæ fertilitatis occurram, vt cum cœperis nouitatis hujus sentire fragrantiam, ipse tibi applaudas & dicas. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Quid moraris? Quid te adhuc mortalis vitæ cura circumligat? Præcessit te filius, quem sequaris. Numquid ad regnum sequi non debes, quem nisi in exilium sequereris, prærogatiua te genitoris exueres? Transit mundus & concupiscentia ejus, & velis nolis, dimittes senex inuitus, quod in corrigendo vias meas voluntarius adolescẽtulus jam dimisi. Quantumlibet autem juniorẽ te sequi vel pigeat fortè, vel pudeat: illud certè, si pater es, filio inuidere non poteris, vt genuisse te in Christo Iesu per Euangeliũ videar, quem tu pie pater, huic sæculo genuisti.

*Genes. 45.*

*Luc. 2.*

*Claræ vallis enconium.*

*Genes. 12.*

*Genes. 27.*

Epistola 6. Fratris Trasimundi ad Abbatem Carevallensem.

*Coactum se ad scribendum accedere dicit, quòd Monachi sit flere, non scribere; & Carevalle se libenter exijsse dicit. Caue legas hic Claramvallem pro Caravalle.*

PRessus ab olim assiduitate silentij, & intrà plectibilis conscientiæ penetralia delitescẽs, cessandum mihi censueram perseueranter à paginis, & literarum studia in negotia trajicere lacrymarum. Quid enim Monacho reuera cum calamis? Cui magis imminet potum miscere cũ

fletibus, & cinerem pro panibus manducare? Non est mentis lugubris tenera polire dictamina, & rudis infamiæ nuditatem lepidæ dictionis operimento vestire. Vix erumpit animus amarus in dulcia: & dolorum profunditate demersus ad læta colloquia non assurgit. Nemo quærat ab amaricato quod sapiat, nemo ab exasperato quod mulceat: quia exterminantur in verbis mella dulcedinis, vbi totum pectus occupat vis doloris. Silentibus claudenda est lugentium mœstitudo conclauibus: quia non est tristium jucunda narratio: & si exploratissimæ creditur veritati, non sunt mœroris eloquia serena, sed gaudij. Ego tamen tuis litteris excitatus euigilo, & reuocans in gratiam calamos abdicatos, tibi si possum & inter lamenta rescribo: maximè, quia judicio tuo non est censendus temerarius, qui fouendæ amicitiæ more gesserit narraturus. In primis autem illud necesse est humili superbia propulsari, quod superba de me humilitate dixisti. Quis enim sum ego, aut quæ est facundia mea in sermonibus eruditis; vt hujus te majestate deterritum scribendi timidum fatereris? Habet & humilitas terminos suos: quos si lubricante vestigio fluida superstitione transgreditur, virtutis prærogatiua nudatur. Cadens cadit, nisi veritate fulciatur humilitas: & fumo vanitatis euaporat in vitium, si de fucata quærat abjectione figmentum. Deinde quid mihi, & titulo Caræuallis? Probrosum est & proximum contumeliæ illius campi planitiem desertoris explicare conspectui, de quo trepidanter actus in fugam, nullam se meminit retulisse victoriam. Injuriosè certaminis locus ante oculos effugati proponitur; ab eo præsertim, qui in ejusdem amoris stadio inuicta fortitudine præliatur. Ille ille monstretur titulis, qui meruit honorare triumphis: & eum respiciat gloria dignitatis, cui justior venit honor à meritis. Veruntamen, si creditis, diligo domum illam, non quia ego ibi fui, quod vtinam non fuissem: sed quia ibi estis, quod vtinam diu sitis.

*Humilitas terminos habet.*

*Videtur author degisse antea in Caravalle.*

### Epistola 7. Ad Petrum de Cartelaca.

*Hujus Epistolæ author initam à se cùm eo ad quem scribit amicitiam cõmendat, & statum suum illi exponit.*

SVscepi literas tuas velut ab absente directas: & ecce cùm legerentur, tuam mihi præsentiam redolebant. Verum est enim, quod earum continentia prætendebat, non præjudicari quâlibet interjectione telluris, cælestis gratiæ glutino fœderatis: maximè quos & spiritualis annexionis insolubilis ligatura constringit, & cõsanguineæ charitatis pia necessitudo non deserit. Iam verò vt funiculus triplex haud facilè dirumpatur, amicitiæ nostræ fœdus tertia catena complectitur, dum nos ejusdem Religionis sacra professio, sicut facit in proposito pares, sic esse non patitur in affectuũ participatione dissimiles. Et ô germana dilectio, & diligenda germanitas, quæ non de carne propagata, vel sanguine, spiritus amore conglutinat, quos personarum discreta proprietas conditione originariæ natiuitatis alternat. Gratias proinde tibi magnas, Deo maximas, qui hoc voluit inter nos fieri, quod tu dignatus es in illis literis memorari. Status autem noster, de quo benignitas te reddit interna solicitum, per Dei gratiam tranquillus est, & jucundus, ita vt necessarijs meis præmisso salutationis honore, si liceat mihi aliquid dicere cum Ioseph, gloriam meam nuntiare possis: qui etsi non habeam super Ægyptũ dominij plenitudinem, nullam tamen bajulo sub Ægyptijs seruitutem.

### Epistola 8. Ad Guillelmum Burgensem Clericũ.

*Voto Religionis obstrictum, sed moras nectentem, inuitat ad celerem executionem.*

MAteriam mihi præsentis epistolæ duplex causa parturijt, qua gemellaparæ charitatis enixa fœcunditas in actu prodit, quod in affectu concepit; dum ex vtero piæ mentis & amoris soboles editur & sermonis. Ex desiderio enim salutis tuæ & meæ pariter consolationis accessu, scripturæ hujus manauit occasio: quæ cùm tuis potissimùm profectibus militet, mihi quoque velim communionem gaudij de mutua visione reportet. Tu verò dum ad iter, quod ambianter expecto, nostræ visitationis accingeris, conuertere paulisper in requiem cordis tui, & diuinæ longanimitatis contemplare diuitias, ne qui tamdiu patienter expectat, tua indignatus morositate pertranseat, & frustra tandẽ per vicos & plateas incipias quærere velle, quem diligis, si mox ei non aperis, dum pulsaris. Perfusus etenim rore caput, & guttis noctium cincinnos aspersus, facile se, cum pueris suis in cubile recipiet: & qui properantis occursurus erat amplexui, subitò dum moraris, clauso ostio pessulum objiciet tardanti. Enimverò quid expectas? Nonne breues anni transeunt, & semitam ambulas, per quam non reuertaris? Ecce claritas hujus mundi tenebrosum vergit ad exitum, & quidquid in hoc sæculo deceptæ animæ triplici ambitu lenocinante blanditur, dum exerit ortũ, rapitur ad occasum. De mane vsque ad vesperã gaudia cernimus vtriq; finiri mortalium: vt scias, sub quanto mortis discrimine viuitur; vbi humanæ felicitatis tunc etiam succiditur, cùm orditur. Longè meliùs in ea vita, quam Christi pauperes profitentur, vbi meridianus fulgor consurgit illis ad vesperam: & cùm se consumptos putauerint, oriuntur vt lucifer. Quapropter obsecro per misericordiam Dei nostri, exime te his casibus, & animam tuam libera: vt detur mihi pro te salua dilectionis perseuerantia non timere, quem datum est hactenus timore perseuerante diligere. Quocumq; autem tua declinet intentio, expeto ego sedulus, & expecto, vt iter ad me veniendi, nihil ampliùs moratus, arripias: quatenus mihi, etsi differtur tuæ conuersionis votum, acceleretur saltem de mutua visione remedium.

*Periculosũ est non aperire Christo pulsanti.*

### Epistola 9. Ad Dominum nostrum Episcopum Lingonensem.

*Precatur Antistitem, vt Canonici, qui Claræuallẽ conuersionis gratia adierat, fratrem prabenda ejus donet, atque ita patrem vtriusq; impatienter ferentem vnius conuersionem, alterius promotio consoletur.*

DAta sunt nobis lamenta de gaudijs: sed gaudia potiùs de lamentis exuberant, dum exhibemus provt res exigit, tam diuinæ ordinationi tripudium, quàm angustiæ proximi compassionis affectum. Nam cùm accidisset nuper, vt

vt E. Canonicus vester vna cum Decano Barrensi in manibus nostris Domino authore se redderet, atque apud nos sub diuini sponsione seruitij remaneret: concurrit etiam mox vndiq; inopinatis rumoribus accersita cognatio, vt domum Dei, quam ea die Spiritussanctus talium conuersione refecerat, mœstis & clamosis vlulatibus repleuerint. Inter cæteros verò, imò præ cæteris, pater prædicti Canonici, paterno discruciabatur affectu, intantum, vt plerique de nostris dum lacrymas ejus frænare contenderet, ipsi multomagis in lacrymas laxarentur. Cumque instaremus & nos, vt post exundantes fletus consilium vel à nobis recipiendæ consolationis admitteret; vix obtinuimus, vt temperaret à gemitu, vos specialiter illi futuræ consolationis obsidem proponentes. Habet enim & alterum filium Ecclesiasticis functionibus mancipandũ: cui si de indulgentia vestra fraterni stipendij canon obtigerit, aderit patri qualecumque remedium, in quo se tandem, dum sibi in Ecclesia vestra alius quodammodo filius nascitur, exacerbati genitoris animus consoletur. Quapropter liberalitatis vestræ gloriam profusis cum eo lacrymis supplicamus, quatenus ad consolationem patris & exhortationẽ filij gratia vestræ pietatis intendat, & munus quod postulatur indulgeat: vt cùm ei à nobis promissa solueritis, nos magis vobis impensâ tãti muneris obligetis.

Epist. 10. Ad H. Burgensem de S. Audomaro.

*Hunc Burgensem hortatur ad promptam voti Religionis executionem.*

SI tua solicitus pericula cogitares, & esse te intelligeres moriturum, celeriùs, vt arbitror, mortalia tibi gaudia morientis vitæ præcideres, & terribilem venturi Iudicis vltionem conuersionis tuæ festinantia preuenires. Tu verò & votorum tuorum immemor, & circumstantium periculorum negligens æstimator, tempus protrahis, & moras annectis, tuique patientiam Conditoris, quantum in te est, impia tarditate deludis. Verùm quis indicauit tibi, quid dies crastina pariat; & vbi tibi labentis vitæ terminos superni consilij meta præfigat? Vide, vide carissime, ne dum siccatis lacrymis deuotionis illius, quæ te sanctorum manibus assignauit, iterum tibi fallacis letitiæ delicias paras, tristes amaritudines inopinatę mortis incurras. Quidquid autem tu facias, quantumcumque salutem tuam negligas & contemnas, ego clamo, ego moneo, ego post te fraternæ diligentiæ voces mitto, vt jam vltra posthac vota tua reddere ne moreris: ne fortè, quod absit, in hac mora contingat, vt velut indeuotus & refuga moriaris. Renuntia ergo mihi tuam in proximo voluntatem; vt ei vel concurram hilaritate, si prompta; vel occurram oratione, si segnior. Non solùm autem, sed tuam insuper commonebis vxorem, vt periculi sui & ipsa meminerit, nec expectet vt amplexus mutuos interjectio mortis abrumpat; si tibi, si sibi, si copulæ maritali tristioris diuortij exitum reformidat.

*Mortis memoria efficax.*

Epist. 11. Rogeri Prioris ad Abbatẽ Albę-petræ.

*Admonet hunc Abbatem, ne asperitate insusitata suos Monachos grauet.*

DIgnum prorsus est, & paternis traditionibus approbatum, vt cunctam regularis ordinis disciplinam discretionis moderetur æqualitas: ne vel nimia remissio nutritiua sit criminũ, vel impia districtio parricida virtutũ. Inter hæc autem nihil est, quod potiùs moribus debeatur humanis, quàm vt hominum rector humanitate sit præditus, qui congruam seruans vtrobique temperiem, & lasciuis mentibus frænos imponat, & ritu frugalitatis abstemijs verba piæ consolationis indulgeat. Scimus autem, quòd familia creditæ vobis domus tantam pertulit decessoris vestri tempore disciplinam, vt si quid velitis districtionis adjicere, non cultura sit Ordinis, sed excidium charitatis. Iam enim sicut audimus, nonnulli eorum de asperitatis nouitate submurmurant, dum eis hoc ipsum nimio rigore præciditur, quod sub anteacto magisterio tenuitate parcissima præstabatur. Quapropter dilectionem vestram præsentibus decreuimus admonere literulis, quatenus vos cõsuetudini loci & fraternis moribus in Dño coaptetis, vt ità vos sibi sentiant in hac nouitate morigerari, quòd rigoris acredine nõ lassescãt, si processu temporis plusculo patiantur austerũ.

*Nimia remissio vel districtio æquè fugienda.*

Epist. 12. Fratris Trasimũdi ad Fratrem Gumb.

*Laudat feruorem hujus Gumberti adhuc juuenis, & ad perseuerantiam adhortatur.*

QVod tuæ conuersionis primordia felicib⁹ promouentur, Deo authore teque cooperatore, successibus, Angelis ad gaudium, tibi ad meritum, mihi prouenit ad exemplum. Æmulor enim æmulatione quod agis, & in ętate tam tenera, tamque rebus asperis insueta, fidei fortioris admiror insignia. Apertum autem tibi cęlitus æternæ beatitudinis ostium lætus agnosco; gratias agens illi, qui aperit & nemo claudit; claudit, & nemo aperit. Ille virilibus animis annos induit pueriles, ille manum teneram roborauit ad fortia: ille lubricos adolescentiæ tuæ pedes supra petram constituit, apprehensaque manu dextera tua in sua te voluntate deduxit. Age ergo festina, sequere eum quocumque ierit, gaudens lętúsque in voce Psalmi decantans, *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Esto, dura sint vniuersa quæ pateris; sed mollescet hæc protinus oleo exultationis perfusa durities, eruntque praua in directa, & aspera in vias planas. Planæ, pulchræ, & pacificæ viæ ejus, nec nisi flagitiosis malignisque difficiles. Hæc sunt itinera sapientiæ, quæ nec in maliuolam intrat animam, nec habitat in corpore subdito peccatis. Tu verò illa omnia aut non attigisti penitus, aut penitus dimisisti, illius fidem, obedientiam, justitiamque secutus, de quo scriptum legis. *Credidit Abraham, & reputatum est ei ad justitiam.* Tu siquidem ad exemplar illius terram admonitus relinquere Chaldæorũ, carnem prudenter & patriam duplici transfugio dimisisti: & in Israelitarum coloniam felix aduena trãsmigrasti. Iam verò non es hospes seu aduena, sed ciuis sanctorum & domesticus seruorum Dei, cum quibus idem stadium prompta alacritate percurris, vt idem cum eis brauium consequaris. Currunt & alij, sed quasi in incertum: & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, tu autem incorruptam. Risus illorũ dolore miscebitur: tristitia tua in gaudium conuertetur. Hujus autem gaudij jam prælibas non pro minima portione delicias: quippe cui

*Psal. 16.*

*Itinera sapientiæ.*

*Genes. 15.*

contingit assidere frequenter pedibus Saluatoris; & delectari in verbis gratiæ, quæ fluunt ex ore ejus. Prope est, vt inuideam tam felici, ea duntaxat inuidia, quæ æmulantis animum non torrido liuore discrutiat, sed ad virtutis ardorẽ face dilectionis inflammat. Attende igitur, vt cui nunc est inuidere profectibus, non contingat defectibus condolere: quod vtique mihi profectò contingeret, si perflans vel ad modicum spiritus aquilonis flores vernantis gratiæ, qui in terra tua tam subitò paruerunt, frigoris sui rigore necaret. Auster potiùs innocetur, vt veniat, & tenera virtutum fouendo plantaria maturam vbertatem grauidæ messis adducat. O quàm exultans in ea messione lætaberis, quãdo de hoc modico semine lacrymarum onustis humeris vlnisque refertis, infinitos lætitiæ mamanipulos reportabis. Tunc de tristitia tua duplici & labore in quietem refrigeriumque transibis, & in terra Domini duplicia possidebis. Memento tamen mei, cùm tibi bene fuerit; & ne repellas, obsecro, post tergum tuum vel sequiter anhelantem, qui te nimio zelo tui ad currendum hortatur, licet feliciter pręcurrentẽ.

*De modica messe lacrymarũ manipuli lætitiæ infiniti.*

## Epist. 13. Ioannis Prioris ad Danielem Clericũ.

*Optat Danieli robur animi aduersus prospera atque aduersa.*

GRauis nobis est in amicis nostris fortuna quæ premit: sed & illa nihilominus suspecta, quæ erigit. Ab illa timemus, ne laqueo doloris à vita pręfocet: ab ista ne in mortem lętitia seducente præcipitet. Quid ergo, inquies, optabitis necessarijs vestris? Illud planè, per quod omnis fortuna, si fuerit serena, despicitur; si nubila, non timetur. Hæc est autem constantis animi robur Christi fide ac dilectione vallatum; cui vtique pro minimo est, quidquid hic mundus vel aduersa molitus insæuiat, vel prospera mentitus illudat. Quis enim ei nocebit, qui pius Christi æmulator extiterit? Vel quid ei de omni terrena vanitate libebit, cui mundus crucifixus est, & ipse mundo: cui viuere Christus est, & mori lucrum: & qui non habet hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirit? At contrà de paruulis inter gaudia mœroresque sæculi fluctuantibus scriptum est. *Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos.* O prosperitas omni aduersitate crudelior! cujus finis interitus, cujus exitus perditionis ingressus. Verè stultorum prosperitas hæc, qui putantes se esse sapientes, stulti facti sunt, dicentes Deo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarũ nolumus.* Et quid facient miseri, quando simul insipiens & stultus peribunt? Insipiens autem est, qui cælestia & diuina non sapit: stultus, qui terrena & transitoria inaniter concupiscit. Tu verò vir desiderabilis, hæc deuita; in illud potiùs te gaudium libera mentis agilitate sustollens, quod nec fortuitis casibus à possessore tollitur, nec ipsius mortis præoccupatione finitur. *Iustus enim si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Hæc memorare, in his esto, vt prospera mundi hujus, quæ tibi, sicut audiuimus, continuis successibus blandæ prosperitatis arrident, non te faciant votorum tuorum immemorem, non te tui ipsius constituant negligentem. Recordare, quæsumus, quòd in manibus nostris pij voti sacra confeceris: quæ libro, sicut credimus, æternæ commemorationis ascripta nomen assiduè tuum cœlestis patris obtutibus repræsentant. Cui si aliquando dixeris, *Memento verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti:* dicet & ipse tibi. *Memor esto voti tui, in quo mihi fidem dedisti.*

*Robur animi contra aduersa & prospera optandum.*

*Prouer. 1.*

*Iob. 22.*

*Quis insipiens & stultus.*

*Sapien. 4.*

*Psal. 118.*

## Epistola 14. Ad Dauid Clericum.

*Inuitatur hic Clericus ad contemptum diuitiarum, &c.*

EX affectu charitatis illius, quæ facit, vt in visceribus Iesu Christi te cupiam, meum ad te manat, per has literas præsentes, eloquium, vrgente hac eadem de qua locutus sum charitate: vt cura salutis tuæ, quæ igne quodam dilectionis internæ nostro viuit in pectore, te quoque ad vitam animet, & ad appetentiã supernæ felicitatis inflammet. Porrò illa vel numquam, vel inaniter concupiscitur, nisi hæc transitoria & terrena, qua frueris, magnanimiter contemnatur: quia nemo potest illius amplexibus exhibere se liberum, quem adhuc ista tenet concupiscentiæ suæ dominatione captiuum. Quapropter agendum tibi est, fili mi Dauid, vt ceruicem tuam de subjugo hujus miseræ seruitutis excutias; quæ si ei, quod absit, per moras longiores insederit, vinculis illa perpetuæ damnationis addicit. Delectant te forsitan, & haud dubium, quin delectent diuitiæ tuæ multæ: sed *dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Blanda tibi & dulcia proponuntur à sæculo; sed *mundus transit & concupiscentia ejus:* ita vt, si tu sapis & intelligis hæc, amaritudines tibi magis noueris proponendas, quia scriptum est. *Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, gaudijs ejus non miscebitur alienus.* Vt autem hæc tibi dulcedo amaricetur, & amaritudo dulcescat; in mentem tibi veniat, veniat inquam tibi in mentẽ, ô anima Christiana amaritudo amarissima Christi tui: qui vt æternã tibi propinaret de fonte vitæ dulcedinem, gustauit moriens amarissimam potionem. Vbi sunt ergo, qui ambulantes in inuio & non in via, per fallaces delicias & mortiferas voluptates ingressuros se arbitrantur in regnũ; ad quod nisi per dura & aspera, nec ipse ingressus est Rex cœlorum? Nemo se seducat. Non est discipulus super magistrũ, nec servus major Domino suo. Si lignum viride per dolorum imbres & tribulationum fluenta refloruit, lignũ certè aridum sine irrigatione quadam similis irrigui non florebit. Quod si flores non fecerit, nec fructus quidem. Quid ergo restat, nisi vt excidatur, & in ignem mittatur? Auertat hoc à te Deus omnipotens, fili mi Dauid, & det tibi honestari floribus, fructibus onustari: vt eò copiosiùs æterna lucreris, quò terrena faciliùs bonorum æmulator ejeceris.

*Non rectè gloria concupiscitur, nisi terrena contemnantur.*

*Psal. 75.*

*1. Ioan. 2.*

*Prov. 14.*

*Passio Christi cogitãda.*

## Epistola 15. Ad W. Canonicũ Laudunensem.

*Monetur salutis suæ hic Canonicus, qui vno non contentus beneficio secundum adeptus erat.*

DIu te, Carissime, præsentis fugitiua prosperitas mundo lenocinante seduxit, seductum illexit: timeo ne illectum addixerit seruituti. Quidquid autem illud sit, facilè te istinc eruendum puto, si mentem tuam Spiritus ille sanctus afflauerit, de quo legis. *Vbi spiritus*

2. Cor. 3. *Domini, ibi libertas.* Ille igitur nobis est exorandus vt veniat, suaque te protinus alacritate perfundat: quatenus jugum, quo premeris, ambitus sæcularis, olei cęlestis infusione putrescat; & totus tibi subitò pereuntis sęculi nitor obsordeat. Sed & tu carissime, partibus tuis adesto solicitus, ne mentis tuæ gloriam, & ingenuitatem spiritus desuper attributi, sub ancillæ carnis ponas imperio: quæ sic insolescere solet, cùm fuerit adepta dominium, vt & seipsam per intemperantiam perimat, & spiritum cui principatur extinguat. *Imperium carnis insolens.* Deinde verò quæ turpior seruitus, quæue deformior, quàm hominem diuinæ imaginis dignitate sublimem, vinculo concupiscentię carnalis innecti: & in ea potissimùm portione, quæ in nos de cœlis effluxit, terrenæ seruitutis compede captiuari? Præterit tandem figura hujus mundi, & vniuersa secum sua figmenta pertranseunt; vt doleant, licet serò, ejus infelicissimi dilectores, sola secum ad inferos ligna, fœnum, stipulam, deportantes. Ibi quidquid olim refrigerabat, incendit; quidquid blādiebatur, affligit: quidquid solebat delinire, compungit: fitque in illa multiplici tortura pœnarum, vt summum supersit de gaudij recordatione supplicium. Hæc si aliquando mentis tuæ penetralia subeunt, quid tibi post paululū morituro cum prębēdarum & redditųū multiplicatione superflua? Audio, quòd non primo cōtentus Ecclesiastico beneficio, potitus sis & secundo. Bene proinde, & non ad insipientiam tibi, si tamen ita sufficienter ministrabas in vno, vt dignus habereris & altero. Sed vide, quæso, ne quod magis vereor, cùm fueris villicationis tuæ ratiocinia postulatus, ne in vnius quidem administratione satis reperiaris innoxius, qui factus es obnoxius pro duobus. Crede mihi vera dicturo, numquam de talento sibi credito bene solicitus creditur: qui vnde cœlestia negotiari debuerat, inde terrena mercatur. Ecce vides, sed obsecro, ne inuideas, quòd avunculū tuum vsque ad senilis ætatis frigus ardor terrenæ cupiditatis excoxit; & nec vel nunc tandem de refrigerio conscientiæ cogitat, quem continu⁹ æstus continuò perituræ felicitatis exsiccat. *Senis cupiditas.* Iam illi exterioris hominis caput pruina gelidæ senectutis incanduit: vtinam & interioris verticis Deo numerata cæsaries æterno candore perpetuæ lucis albescat. Et ille quidem, vt corruptibilem coronam acciperet hujus, vitę stadium indefessa cupiditate cucurrit: sed carissime, tu in illo te constituas agone certaminis, vbi sumitur incorrupta. Qui si sapis, aut sapientis monitis acquiescis; expedit, vt dum vacat, tua nouissima memoreris: quatenus ex contemptu præsentiū aliquam tibi accersias fiduciam futurorum. Dabis autem veniā, quòd ego, qui non tam carnis cognatione quàm spiritus, tuæ salutis auiditate detineor, lōgioris te paginę prolixitate detinui.

Epist. 16. Ludouici Regis Francorum, ad Dominum Papam Alexandrum.

*Hortatur Pontificem ad resecanda sua authoritate vitia. Scripta est antè seu dictata à Trasimundo, vt & præcedentes, vt apparet.*

SI beneplacitum est Domino in populo suo, vt exaltet mansuetos in salutem, instare credimus tempus & horam, qua judicium sit mundi, & princeps mundi hujus ejiciatur foras. Expectauimus vt videremus diem istum; vidimus & gauisi sumus. Vtinam sicut aspirauit dies, ita & inclinentur vmbræ, fiatque de medio caligo criminum, & nebula peccatorū, quæ texit hactenus omnem terram. Videmus & gaudemus redditam vobis pacem, videamus & per vos redditos dies bonos, in quibus sibi justitia & pax mediante charitatis osculo copulentur. *Antipapa extincto Alexandro pax erat.* Dies ipsi vitæ vestræ felicibus limitantur egressibus, quibus nouo & amplectendo miraculo annosior indulta est prolixitas temporum, vt auctior vobis surgat tessera meritorum. Neque enim frustra credendum est, quòd ideo in vobis hoc donum Ecclesiæ suæ sanctæ Rex immortalis indulserit, vt antecessores vestros, quos vincitis diuturnitate rerum, vincatis in beatitudine sæculorum. Profectò namque supernus ille mortalitatis nostræ moderator & arbiter, ideo vos in diem hanc, sicut confidimus, reseruauit, vt accepto tempore justitias judicetis, & ponatis praua in directa, & aspera in vias planas: vt restituatis Ierusalem, sicut in diebus antiquis, ponentes deserta ejus, sicut hortum Domini; & solitudinem ejus quasi delicias. Luxit hactenus & elanguit terra, confusus erat Libanus & sordebat: sed infunditur ecce verna temperies, & de visceribus terræ bonæ spei germina reuiuiscunt. Concussa sunt namque corda mortalium, judiciorum vestrorum timore mollita, ita vt infœcundi hactenus pectoris gleba florente jam cespite, in frugem vitæ melioris erumpat. Ecce jam florent vineæ, jam flores fructus parturiūt; tantùm sit, qui capiat vulpes parvulas, & omne reptile venenatum in suæ malignitatis astutia comprehendat. Quod ne consueti turbinis impedire possit occasio, ecce hiems transijt, imber abijt & recessit, tempus putationis aduenit. Putetur ergo Domine, putetur, & fodiatur vinea Domini Sabaoth, vt sarculo fructificāte in vsus ampliores exuberet, dum sterilia sarmenta non sustinet. Pacatam vobis hanc vineam reddidit Dominus Deus vester. Vestri erit amodò operis & laboris, vt eam sibi mundam & fructiferam resignetis, stillent super eam montes dulcedinē & colles jucunditatem; & dantibus cœlis pluuiam, ipsa quoque proferat fructus suos. Date simul & vos voci vestræ vocem virtutis, vt audiant & intelligant vniuersi, quòd posuerit vos Dominus in lucem gentium, vt sitis salus ejus vsque ad fines terræ. Præsto est enim piæ intentioni vestræ operandi facultas, cui tanta conceditur sanctæ operationis auctoritas. Et vt paucis multa complectar, ad restaurandum Ecclesiæ statum posse adjacet vobis, velitis tantùm, & salua sunt omnia. *Indicat Rex se Papæ adfuturum, si velit Ecclesiæ statum restaurare.* Prope est, vt & ipsa clamet ad vos. Tantùm dic verbo, & sonabitur puer meus. *Matt. 8.* Quis enim non credit auditui vestro? Quis nō obedit verbo? Quis non obtemperat jussioni? Quod etsi reluctari quispiā pro sua malignitate præsumpserit, sonent exultationes Dei in faucibus vestris, & gladij ancipites in manibus assumantur, ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis. Ad alligandos Reges eorum in compedibus; & nobiles eorum in manicis ferreis. Fuerit hactenus impossibilitatis & malitiæ temporis, quidquid in Ecclesia Dei circa instituta Ecclesiastica pullulauit: superest amodo, vt vobis omnimodis imputetur, si ex vestro neglectu depereat, quod vtilitas vniuersitis expectat. Agite ergo, agite, vt Ecclesia sancta,

jam tandem in vnitate lucretur, quod amisit in schismate: & damna praecedentium temporum nostrarum resarciat integritas actionũ. Omnia omnibus hactenus licuerunt, satisque prodit dissolutio vitae, quantùm eneruata sit seueritas disciplinae. Pontifices etenim nostri praesunt vtique, sed pauci qui prosint: bene cum quibusdam agitur, si non obsint. Qui vtique in vsus vel abusiones mage superfluas equos multiplicant & quadrigas, vt locorum quocumque peruenerint, omnia sumptibus & superfluitate cõfundant. Non sunt hae quadrigae Aminadab, non est hic celestis exercitus equitatus. Viderint ipsi, ne illorum potiùs sit forma curruum, quos medijs fluctibus inuoluit omnipotens, quando equum & ascensorem dejecit in mare. Pupillo non judicant, causa viduae non intrat ad eos. Fitque apud nonnullos eorum, vt sola aestimatio muneris in statera praeponderet aequitatis. Cùm in villam vel monasterium quodlibet venturus nuntiatur Antistes, Regẽ puteris prodire, non Praesulem; tantus est equorum exercitus, tanta caterua comitum, tantus praecedentium populus garcionum. Deinde in lautas epulantium coenas tenuis Ecclesiae victus expirat, & alimonia pauperum migrat in delicias conuiuantium. O si esset, qui parietem foderet, vt radius lucis vibraretur introrsus, qui educeret ad judicium opera tenebrarum, & ad vindictã exigeret vmbrã mortis. Porrò ad haec omnia corrigenda ostium vobis est apertum in Domino, vt remoto vniuersae difficultatis objectu currat velociter Apostolicus sermo, quẽ audiat Sion, & laetetur; & filiae Iudae in judicijs ejus exultent. Sicut ergo magnificauit Dominus facere nobiscum, & cum alijs Catholicis Regibus & Principibus Orthodoxis, quibus optatum praestitit in vestra exaltatione triumphum: ita & ipse in vestris necesse est operibus honoretur; vt celebre sumamus de publici status emundatione tripudium. Sanè iste quem deplorauimus Ecclesię morbus, perpetuũ crescit & proficit in languorem, nisi in hoc Concilio receperit sanitatem.

*Prelatorũ superfluitates in equis, &c.*

*Exod. 15.*

*Ecclesiã morbus quis*

### Epistola 17. Domno Abbati G.

*Acceptâ ab illo catenulâ ferreâ mores exprimi temporis asserit.*

RÉcipere à te virorum optime, non catenulas ferreas, sed murenulas aureas, solebamus: quas olim ad ornandas animas delicatas super incude eloquij mystici malleo linguae tuae manus sapientiae fabricabat. Quapropter ferrum pertransijt animas nonnullorum, cùm cernerent inde venisse ferrum, vnde consueuerat à diebus antiquis crassioris metalli vena lucidior de fornace S. Spiritus emicare. Quid verò sibi vult ferrea catenula, quam misisti? Si vinctum me volebas; jam antè deuinxeras, non ferrea ligatura, sed aurea, quali in Apocalypsi vir quidam ad mãmillas accingitur: vel quali apud Salomonem filius intelligens amicitur. Si verò putaueras attrahendum: cur trahamur, qui voluntariè currimus? In odore vnguentorũ tuorum currimus, etiam cùm desunt vincula, imò si desint. Quomodo enim curreret compeditus? Sed puto, quòd opus & materia muneris destinati temporis hujus mysteria repraesentant, in quo post ornatus aureos & lapides pretiosos ferreis verè nexibus non est ornari, sed deprimi, & improbae seruitutis compede captiuari. Aurea namque saecula quae oculis nostris vidimus, in ferream obriguere duritiam: & qui in fabrica imaginis mysticae aureum verticem & argentea membra perspeximus, ferrugineis ecce pedibus assidemus. Verùm, quidquid sit, quod in catena vestra non catenatus sensus inspiciat: egò beneuolentiae vestrae gratias ago: quòd signum mihi euidentissimũ dedit, vt me vobis, etsi non aestimem de nouo iterum alligandum, meminerim jam semel antiquitus alligatum.

*Apocal. 1.*
*Prouer. 1.*

*Tempora S. Bernardi aurea.*

## EPISTOLAE BEATI PETRI octaui Claraevallis Abbatis.

### Epistola prima, Ad Alexandrum III. Papam.

*Queritur, à saecularibus vexari Ordinem Cisterc. litibus, direptione bonorũ, &c. & opem Pontificis aduersus haec mala implorat.*

CRescit diei malitia, & pericula temporis inualescunt; ita vt quos praedixit Apostolus dies sentiamus instare nouissimos, in quibus abundante iniquitate, multorum charitas refrigescat. Specialiter autem aduersus filios vestros Cisterc. Ordinem profitentes sęculi hujus mare vadit & tumescit, & objectu sese vestrae protectionis illidens, tota in nos tẽpestate consurgit. Rugit quodãmodo, & circa vectes & ostia quę posuistis immurmurat: indignans videlicet dictum sibi; *huc vsque venies, non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Ecce enim filij mundi hujus, quos prudentiores filijs lucis in generatione sua veritas ipsa pronuntiat, inuident nobis hoc ipsum quod viuimus; dum eorum peruersitas habere non patitur, quo viuamus. Videntes siquidem, quòd operibus manuum nostrarum Dominus benedixerit, in viaticum peregrinationis nostrae tota malignitate desaeuiunt, machinantes omnimodis, vt possint pauperum substantiolam vel per calumniã concutere, vel per rapinã. Instaurãt lites, exaggerãt quaestiones; & si aliter tollere nostra non praeualent, in illius fraudis commenta transiliunt, vt à nobis interdum suam suorumue pecuniam calumniosa penitus, & conficta mutui vel depositi actione reposcant. Deinde lite sub judice contestata, testimonium contra nos venale quidem, sed non veniale producitur, & eneruatur vndiq; sinceritas veritatis improborum testium labefactata perjurijs. Quod vtique si dissimulatis & sustinetis in posterum, non nobis Domine, non nobis, sed scurris & epulonibus laboramus: reliquumque est, vt ad vellicandas facultatulas nostras non in vacuũ currant, quicumque nomen Dei sui in vacuum accipere non formidant. Succurrite proinde, beatissime pater, & recenti adhuc morbo recens adhibete remedium, ne panes filiorum canes comedant, & stipendia pauperũ luxus sibi vendicet & ebriositas comessantium. Alioqui, vt quid mortificamur tota die? Vt quid fratres nostri in laboribus plurimis, in ardoribus abundantiùs, in frigore supra modum, anxiae vitae modicam stipẽ ex imis visceribus defossae telluris extorqueant? Precamur igitur, quatinus priscae consuetudinis tenor vestro nobis priuilegio restauretur: vt siquis videlicet ab aliquo Monasteriorum no-

*2. Timo. 3.*

*Iob 31.*
*Luc. 16.*

*Venale testimoniũ aduersus Cistercienses.*

strorum rem indebitam dubiamne popoſcerit, Abbas loci rei veritatem in propriæ conſcientię periculum requiſitus, & Monachus ſiue conuerſus ex obedientiæ virtute juſſus alleget; & ſic in verbo veritatis eorum ancipitis cauſæ deciſio perſeueret. Quod ſi feceritis, ſine aliorum injuria noſtra nobis jura ſeruatis. Si verò vobis via forſitan iſta minùs placet, inuenite aliud quantumque remedium, quod cùm remouerit à prauorum cupiditate perjurium, ceſſare à nobis faciat ſolutionis indebitæ detrimentum.

Epiſtola 2. Ad eundem.

*Gratias agit Pontifici pro collatis beneficijs, præſertim Cœnobio Balernenſi, (quod eſt de linea Claravallis,) cujus inchoatū judicium aduerſus iniquos celeriter terminari exoptat.*

QVID facimus, pie Pater, quòd ad referendas vobis gratias, quas profuſa in ordinē beneficentia exigit, nec vires nobis, nec merita ſuffragantur? Confirmata eſt in nobis magnificentia veſtra; confortata eſt ſuper nos & non poterimus ad eam, cùm tanta ſit affluentia benedictionis & muneris, vt inaniter ad recompenſationem ejus ſe erigat noſtræ inſufficientia paupertatis. Ad Deum igitur humilitate ſupplici recurrentes, petimus inceſſanter ab eo, vt ipſe vobis retribuat piæ actionis præmium, qui præſtitit pietatis affectum: & in hoc Eccleſię capite gratiæ cœleſtis vnguenta multiplicet, quæ vſq; ad fimbriam veſtimenti ejus jugi pro fluuio inexhauſtæ conſolationis emanet. Sanè in præſentiarum ad pedes veſtros pro Monaſterio Balernenſi has tantillas gratias exoluentes accumbimus: pro eo quòd ſibi juſtitiam ſuam ſub iniqua diripientium ſorte captiuam quaſi poſt liminio liberam reſignaſtis, & de ancipitis concertationis ſalo in portum quietis priſtinæ reduxiſtis. Porrò aduerſarius ejus defectu indictæ ſibi probationis exterritus, paginam reſcripti veſtri non reddidit, eo vtique tenore ſubnixam, vt ſi ille à quadragenariæ præſcriptionis aſſertione defecerit, penes Balernenſes fratres poſſeſſio reſtituta reſideat, & os calumniantis & æmuli perpetui ſilentij repagulis obmuteſcat. Non reddidit ergo, non reddidit, expectans vt dicitur, vitæ veſtræ finē, vt tunc emortuæ cauſæ ſuæ nouam denuo meditetur originē. Pie Ieſu, quanta eſt in timidis conſcientijs ſub tremula meditatione verſutia! Iuſtitiam ſibi emori ſuſpicatur, niſi juſtitiæ moriatur Antiſtes, & ſubobſcurum præſagiens de falſitatis obumbratione compendium, publici luminis præſtolatur occaſum. Vt ergo mentiatur iniquitas ſibi, petimus cum debitæ ſalutationis honore, vt niſi infra certum terminum jus allegauerit quod reclamat, promulgatæ taciturnitatis refrænetur objectu: quatenus dum obtentu juſtitiæ, quam funeris aucupatur euentibus, in tanti Patris fata ſuſpenditur, viuidæ mucrone ſententiæ ſua potiùs injuſtitia moriatur.

*Papa caput Eccleſiæ.*

*Mortem Papæ expectabat aduerſarius, vt litem inſtauraret.*

Epiſtola 3. Ad Cancellarium.

*Commendat ei Heduenſem Epiſcopum à ſuis ad Sedem Apoſtolicam appellatum.*

NON eſt timendus de importunitate contemptus, in quos porrigitur de pietate cōtuitus: quia numquam importunè charitas petitur, cui ſemper in promptu eſt abundantiùs concedere, quàm rogetur. Hęc eſt enim quæ in Apoſtolo & Apoſtolicis viris, quales vos eſſe nō improbè dixerim, non ſolùm impendit, ſed & ſuperimpenditur. Hæc eſt, quæ cum ſcandalizatis vritur, cum infirmantibus infirmatur. Hęc denique, quæ nobis apud vos ex præcedentium contemplatione ſanctorum ſpem bonam & in reliquum pollicetur. Ex ea igitur eſt, quòd prę ſidia veſtra pro noſtris non ſolùm neceſſitatibus, ſed & neceſſitudinibus requirentes, cauſam vobis noſtri Heduenſis Epiſc. cōmendamus, cui cùm ædificet & bonorum religio famam, & religionis bonitas conſcientiam, peperit ei virtus æmulos, cùm non daret malignitas inimicos. Quidam namque de domeſticis ſuis ad inſipientiam ſibi contra ſtimulum calcitrantes, nuper aduerſus eum erexere calcaneum, & celebris innocentiæ virum ad Sedem Apoſtolicam prouocarunt. Improbi namque homines, & jurgiorum ſcandalis aſſueti, neſciunt omittere, ne priſcæ conſuetudini pareant, quod poſt anteceſſorum inquietiones & lites, in hujus quoq; perturbationes inſurgant. Hujus itaque vobis & ſimplicitatem & juſtitiam cōmendantes rogamus, & petimus, vt ſtatus ejus, qui aduerſæ malignitatis flatibus quatitur, benignitatis veſtræ robore fulciatur.

*2. Cor. 11.*

Epiſt. 4. Ad Moguntinum Archiepiſcopum.

*Ejus virtutes extollit, deinde Cœnobium Eberbacenſe ejuſque Abbatem illi commendat.*

POſt acceptam de antiqua hoſtilitate victoriam, qua in manibus veſtris ſancta mater Eccleſia deuicto ſchiſmate triumphauit, poſt exploratæ fidei laborioſos agones, quibus per vos Imperij virtus, & gloria Imperatoriæ majeſtatis enituit, non defuit vobis Angelus Sathanę qui malitiæ ſuæ colaphis cæderet triumphanrē, ne vel magnitudo vos tantæ operationis extolleret, vel felicium proſperitas continuata ſucceſſuū patientiæ veſtræ meritū non monſtraret. Audiuit, & læta ta eſt Sion, ea quæ fidei veſtræ integritate feciſtis. Audiuimus, & compaſſi ſumus, ea quæ ex aliena perfidia toleraſtis, gratias agentes ei, qui vos pro augmento gloriæ veſtræ & incurſibus tentationis expoſuit, & tentari intolerabiliter non permiſit. Liberatum ergo vos de manibus impiorum, lętis quidem rumoribus auribus lętiſſimis audientes, non ceſſamus orare pro vobis, & gratias agere, vt Dominus Deus noſter æternā vobis gloriam pro publicæ pacis adminiſtratione retribuat, & ſudores patientiæ veſtræ manu placidæ cōſolationis abſtergat. Et quoniam expectationi filiorum noſtrorum de Eberbac gratia vos diuina reſtituit, eos & domū ipſam, quæ hactenus ſub vmbra nominis veſtri ſeruata eſt, & in omnibus proſperata, multò magis nunc veſtra, quæſumus, præſentia foueat, & lædi vel turbari in aliquo non permittat. Creſcat erga illam gratia, quam à vobis, cùm diſcederetis acceperat, cujus vtique ſtatus in hoc potiſſimùm veſtri reditus oportunitate dirigitur, ſi vetus miſericordia nouis miſerationibus cumuletur. Specialiter autem cariſſimum fratrem noſtrum, veſtrum verò deuotiſſimum filium, A. Abbatem ejuſdem loci, qui Domno G. exinde recedenti ſucceſſit, veſtræ beneuolentiæ commendamus, rogantes per manſuetudinem Ieſu

Christi, vt eum tamquam viscera nostra refoueatis in Domino, scientes proculdubio, quòd nobis & vniuerso Ordini exhibitum reputabitur, quidquid ei pacis atque solatij vestræ charitatis munere conferetur. Si quis autem in suggillationem ipsius aliquid vobis sinistri suggesserit, mentiatur potiùs iniquitas sibi, & os loquētis iniqua vestris redargutionibus obruatur.

## Epistola 5. Ad Abbatem Cisterciensem.

*Mortem Abbatis Trium-fontium à pessimo quodā interempti nuntiat.*

PErfusus amaritudine spiritus, & tactus dolore cordis intrinsecùs, quid dicam vobis, Pater, vel quid faciam, nescio, afflictione valida & miseria saturatus. Vos autem ex his quæ scribentur attendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus. Obductam namque præteriti vulneris cicatricem scidit nuper ictus acerbior: vt qui parricidalia dudum funera in Patris nece defleueram, eadem cogar & nunc in Clarǫvallis primogenito deplorare. Ad majorem verò mearum miseriarum cumulum vterq; quodāmodo inter manus meas extinctus est, vterque me prǫsente peremptus: vt gladius doloris hujus eò crudeliùs orbati senis animam pertransiret, quo me miserum feriret comminus, & pressiùs è vicino confoderet. Accidit enim ante paucos hos dies, vt in domo Triumfontium, quæ prima est in filiabus nostris, visitationis ageremus officium; & ecce Abbas ejusdem loci sacrarium Ecclesiæ, vbi altare B. Bernardi nuper erexerat, peculiarem orationē solitò celebraturus ingreditur, quatinus post hæc missarum solemnitatibus celebratis deuotior nobis & negotijs instātibus redderetur. Cumque ibi moram faceret, & cum Angelis Dei assisteret, coram Domino, affuit etiam inter eos Satan, permissus in eum extendere manum suam: vt ille innocentissimus pater ibi reciperet mortem, vbi vitæ requirebat authorem. Ingressus est namque post eum vir belial nomine Simon, qui clauso ostio vt occideret in abscondito, patrem suum prædictum Abbatem vibrata in caput ejus acie securis aggreditur; nec priùs à vultus & verticis concisione destitit, quàm ille non jam miser, sed adhuc miserabilis pater laureatus suo sanguine spiritū in ejus quem orabat manibus expiraret. Post hæc vna hora transacta abijt crudelissimus parricida, & missam celebrare non timuit; vt velamentum sceleris deuotione sibi ascisceret sacerdotij. Diu enim præ tumultu lugentiū & concurrentium Monachorum ignoratus parricida delituit: quamvis vox sanguinis sine intermissione fluentis virum sanguinū, quoties feretro cōminus accessisset, stillicidiali quodam testimonio demonstraret. Vnde postmodum pro his & alijs quibusdam conjecturalibus signis ad rationem positus, reum se patrati facinoris confitetur: dignus quidem qui nullam consequatur veniā, qui nullam in eo reperit mortis causam. Et ecce nunc, Pater optime, captus & catenatus tenetur in vinculis: pro quo vobis instantissimè supplicamus, vt præfixa die consilio, & habita deliberatione cum fratribus, talis in eū diffiniatur pœna, quòd similis præsumptionis debeat finiri materia.

*B. Gerardus Igniaci paulò antè occisus.*

*Fluit sanguis ex vulneribus ad præsentiam homicidæ.*

## Epistola 6. Ad Conventum Trium-fontium.

*Monet Conventum illum, vt diligenter seruent homicidam, nec fame enecent.*

QVIBVS est cor vnum, & anima vna in Domino, consequens est, cætera quoque fore communia, quæ sub certa lege incommutabilis æquitatis, vel gratuita benignitas sortis melioris indulserit, vel tristis illisio casus asperioris infligit. Probat hoc in dolore vulneris vestri Patrum Ordinis immoderata compassio, in quorū pectora mœroris participatione trāsfunditur, quidquid illud est, quo pro recentis enormitate facinoris vestra fraternitas contristatur. Sentiunt, sentiunt ad se pertinere pro virili portione, quod plangitis; quia quod vos vrit singularitate discriminis, in illis succendit affinitas charitatis. Suadent autem, & à vobis cupiunt, vt jam tandem doloris hujus consolatione suscepta actus vestros prouida circumspectione valletis, talesque vos exhibeatis in posterum, quòd infortunij præsentis acerbitas, non tam præteritorum pœna neglectuū, quàm subsequentiū æstimetur custodia meritorū. Porrò de illo miserabili parricida definito consilio statuerunt, vt quamuis non solùm præsentia, sed memoria quoque ejus horrorē pariter renouet & dolorem, eum tamen pro majori scandalo deuitando vsq; ad Capitulum sub districta faciatis custodia conseruari, pane tantummodo & aqua vitā miseri sustentantes, excepto quòd ei tribus diebus hebdomadæ pulmentū aliquod vestra poterit humanitas erogare. Cauendum est enim & nobis & vobis, vt cùm volumus, ne de vinculis nostris effugiat, hunc in manibus nostris famis violentia non extinguat. Videte ergo, ne contemnatis vnum ex his duobus: quia quod Ordinis decreuit authoritas, vestra debet omnino religiositas æmulari. Quod autem superagendum est negotijs vestris, ecce nos domi sumus, parati ad omne subsidium consolationis & pacis, quando consilij tempus venerit coram vobis.

*Parricida pane & aqua in carcere sustentandus.*

## Epistola 7. Ad Abbatem Cari-loci.

*Mercatori, qui se in negotiatione pecoris dicebat circumventum, reddi quod justum fuerit, præcipit.*

NON parvus in charitate profectus ostenditur, cùm fraternæ pacis lucrū peculiarijs quǫstibus antefertur. Est enim, vt ait Apostolus, *quæstus magnus pietas cum sufficientia*, cui nos potissimùm oportet intendere, qui terrena credimur pro cœlestibus dimisisse. Vnde quoniam ille in negotiatione pecoris, quod à fratribus vestris emerat, ad summam ferè trecentorum solidorum se asserit circumventum; volumus vt discretio vestra rem diligenter inquirat, & si verum esse compererit, quod asseritur, damnum prædicti N. compensatione rationabili moderetur. Sic enim & hic glorificabitur Deus; cui acceptabile sacrificium in ara cordis inǫenditur, cùm terrenæ cupiditatis aruina charitatis ignibus adoletur.

*1. Tim. 6.*



Epist. 8. Ad Simonem Montis-acuti.

*Hortatur illum, instare operibus pietatis erga proximos.*

OPerantem in vobis gratiam Dei nostri, quã velut oliuam fructiferam in pectore vestro plantauit omnipotens, gaudenter inspicimus, & suspicimus reuerenter; scientes, quòd numquã se in bonæ operationis ramos tam latè diffunderet, nisi eam superni roris irriguum in ipso de quo pullulat charitatis cespite fœcundaret. Huic ergo totis in Christo congaudentes affectibus, juges ei profectus & fructus vberes imprecamur; vt ita nimirũ per salutiferas actiones erumpat indesinenter in publicum, quòd indeficiẽs capiat in intimis incrementũ. Capiet autem, si erogare non desinat; quia oleum pietatis & miserationis vnguentum quantò copiosiùs in fraternas necessitates effunditur, tantò donis potioribus augmentatur. Nescit enim subjacere gratia diuina defectibus: sed sua potiùs attenuatione pinguescens, inde reparatur ad lucrũ, vnde videbatur incurrisse dispendiũ. Instate igitur, sicut & facitis, operibus pietatis, vt & vobis acquiratis pro meritorum retributione coronam: & nobis de salute vestra perennem faciatis commeare lætitiam.

Epistola 9. Ad Vintoniensem Episcopum.

*Ait se in quodam negotio Regem non inhonorasse, sed Ordinis puritati consuluisse, aduersus falsum fratrẽ: & domum Mortui-maris commendat.*

SVsceptis cum gratiarum actione literis quas misistis, ad placandum Regis animum nuntios & scripta dirigimus; sperantes, quòd si rei gestæ dignouerit puritatem, serenabitur clemẽtia vultus ejus: & conuertet ad misericordiam, quod disponebat ad iram. Vos quoq; ne ignorata veritate dubia pro certis accipere debeatis, credite potiùs nobis, fidem si placet fidelissimo testimonio commendantes, quòd quidquid de illo factum est & statutum, necessitas egit juris, & sinceritas æquitatis: nec fuit ibi consideratio praua, quæ Regis honorificentiæ derogaret: sed simplex & oportuna prouisio, ne puritas Ordinis, nomenque personæ ignominia crescente vilesceret. Quòd autem captũ se asserit, & velut in carcere constitutum, viderit ipse, quid dicat; ne fortè hoc magis pro carcere deputet, quod non permittitur circuire terram & perambulare eam, vt vadẽs loquatur aduersus fratres suos, & contra filios matris suæ ponat scandalum. Aures ergo vestras vanis amodo suggestionibus obstruentes, agite quæsumus, & apud Dominũ Regem state pro nobis; vt non contineat in ira misericordias suas, nec habeat, se judice, reos, quos sinceritas probat inculpatæ actionis innoxios. Domum verò Mortui-maris consueta pietate respiciat, ne & ipsa loco supplicij luat, quòd ad instar & consuetudinem viui maris carnem mortuam non retentat.

*Regem Angliæ hic intellige.*

Epistola 10. Ad Abbatem de Vallibus.

*Queritur, librum quem cõmodauerat, pessumdatum stillicidio fuisse, & noctu restitutum, ne pateret detrimentum.*

GRauis jactura est, & pluribus onusta dispendijs, cùm eatenus damnum rei corporalis incurritur, vt & charitatis simplicitas deludatur. Quod ideo dicimus, quia librum quẽ remisistis nobis nimio neglectu pessumdatum, & stillicidij alluvione complutum, cùm incautè seruassetis, cautissimè remisistis: procurante videlicet portitore, vt eum noctu redderet, & ipse antelucanus in crastinũ causa nondum cognita pertransiret. Quasi non sufficeret, quòd injuriã damni dati serotinus hospes occuluit, nisi denuo confidentiam nostram fuga redderet improuisæ festinationis illusam. Quò autẽ adhuc illi alium à nobis accipere librum, quibus priorem dimiserat sub tali ludificatione confusum? Licet ergo pro illa, quæ omnia sustinet, charitate, pręteritam ad præsens dissimulemus offensam; similia tamen à simili formidantes, librũ alium quem habetis ex nostris, confestim nobis volumus resignari: scientes in se potiùs retorquere periculum, qui experientia præcedentis incommodi, futuri non declinat infortunia detrimenti.

Epistola 11. Ad Reginam Tarasiam.

*Laudat Reginam, maximè ob liberalitatẽ in pauperes, & in Ordinem.*

PEruenit ad nos ea quam misistis pagina literarum, quæ & eximiæ deuotionis erat plena dulcedine, & regiæ rutilabat fidei claritate. Liquidò namque nobis illarum tenore innotuit, quòd cùm præsto sit vobis de honore principali sublimitas, mentis multomagis humilitas vos honorat, quæ in serenissimo corde vestro mundanæ potentiæ fastum reprimit, dum illud in ambitum beatitudinis cœlestis attollit. Hinc est, quòd præter morem cæterarũ nostri temporis fœminarum, in pauperibus Christi Christianam non erubescitis paupertatem: dum illorum suffragia deuotissimè quęritis, quos ipsa magis vestro suffragio sustentatis. Et vnde tantus tenor humilitatis in virgine, nisi de amore & imitatione illius, qui seipsum exinaniuit, nasci dignatus ex virgine? Nunc ergo Domine Iesu Christe, seminator pietatis humilisque consilij, accipe seminum fructus, quos in Tharasia seminasti. Vos autem excellentissima Domina, quam supernus Dominus tanta benedictione præuenit, vt priùs didiceritis cœlos amare, quàm terras, agite quod agitis, diligite quod amatis: vt post præsentis gloriæ floridum principatum, corruptibilem regni hujus coronam incorrupto diademate commutetis. Pauperes verò fratres nostros, imò ex vestra familiaritate jam diuites, magnificentiæ vestræ, etiam cùm non oporteat, commendamus, quatenus & nos circa illos paternæ solicitudinis comprobemus affectum, & vobis merces operis geminetur, si quod vltronea liberalitate facitis, commonitionis quoq; nostræ obedientia faciatis.

*Regina Tarasia virgo.*

Epistola 12. Ad Regem Portugaliæ.

*Regis humilitatem, cujus præuentus literis fuerat, commendat, ac in Ordinem charitatem: acceptatque Cœnobium de Castineria sibi ab eodem Rege oblatum.*

PIæ dignationis vestræ gratiam, qua nos Regiæ salutationis alloquio præuenistis, obuijs brachijs pronæ humilitatis amplectimur; gratias agentes Deo, qui sic vos fecit gloria terrenę dignitatis excelsum, vt magis amore cœlestium humilitatis vos fecerit apice gloriosũ. Sic enim

humiliter, sic benignè vestra se nobis gloria in literis quas misistis insinuat: vt militem potiùs videantur sonare, quàm principem: nisi quòd ille verè est eminentissimus principatus, qui Christi fide cernitur & humilitate subnixus. Iã verò quas vobis literas redhibere poterimus, qui paupertatem fratrum nostrorum pauperem esse non sinitis, quam continuæ beneficentiæ donis & protensis locorum finibus ampliatis? Intende quæsumus, Christe Iesu, & hæc sancta opera Regiæ hujus pietatis accepta: vt qui pauperibus tuis liberam reddit hujus sæculi solitudinem, perennè cùm eis habeat in domo patris tui tuo munere mansionem. Nos quoque pro modulo nostro, pijssime Princeps, beneuolentiæ vestræ diuitias venerantes, oblationem Monasterij de Castineria, quod piæ religionis amore in Ordinis nostri titulum transcribere cogitastis, gratanter accipimus: promptam gerentes in Domino voluntatem, vt cùm Abbas loci venerit, subuentionem à nobis & opem recipiat congruentem. Quod autem ad orationum pertinet suffragia quæ petistis; nũquid potestis bonorum nostrorũ non esse participes, quibus intantũ sumus pro tanta beneuolentia debitores?

*Quis eminentissimus principatus.*

## Epistola 13. Conuentus Claræuallis, Ad Papam Alexandrum.

*Orat Conuentus Pontificem, ne suo Abbate Henrico, qui ad Tolosanum Episcopatum quærebatur, destituatur.*

*Matt. 8.*

DIscipulorum Christi exemplo ducimur, vt in pelago mundi hujus procella surgente deterriti, ad cœleste præsidium fugiamus à fluctibus, & quiescentem in puppe vicarium Saluatoris pulsemus precibus, clamoribus excitemus. Confidimus enim, quòd nauicula Claræuallis, quæ ab olim vos habet in omni tempestate rectorem, vndosis ictibus etsi colliditur, non quassatur, quamdiu inter maris hujus turbines procellosos tali & tanto gubernatore dirigitur. Et vt ejus quę de vobis est, summam nostræ fiduciæ pernoscatis, non timebimus præsidentibus vobis in qualibet commotione naufragium; quia stabit, si dixeritis, spiritus procellarum. Ecce autem nunc, beatissime pater, repentini turbinis fragor infremuit, & tempestas è longinquo prorumpens horrorem nobis proximæ turbationis inuexit. Ecclesia siquidē Tolosana proprio destituta pastore, oculos in Abbatem nostrum nostræ pacis æmula irreuerenter injecit: tamquam non putet sibi à propria ruina surgendum, nisi & nobis interim status nostri machinetur excidium. Quærit & satagit jacturam suam de nostra calamitate reficere: non attendens neque recogitans, quàm peruerso ordine diuinis dispositionibus obuiet, si Hebræorum spolijs Ægyptios locupletet. Nos autem, quorum interest mutationis hujus pensare dispendiũ, ad pedes vestros flebili deuotione prosternimur, profusis lacrymis vnanimiter exorãtes, quatinus contra hujus turbinis instantiam tranquillitas nobis vestræ cõsolationis arrideat, vt nullum admittatis de Patris mutatione consilium, quod plangat in posterum calamitas filiorum. Scitis enim vos, & nos ipsi experimento didicimus, quòd in variatione magistratuum quantumlibet tenax disciplina resoluitur; & admissa crebriùs mutabilitate pastorum, gregis plerumque sinceritas dissipatur.

*Variatio frequens Pastorum improbatur.*

## Epistola 14. Conuentus Claræuallis, Ad Regem Francorum.

*Orat Regem, ne permittat Abbatem suum sibi auferri, & Tolosanum Episcopum constitui.*

AMplissimos Regię dilectionis affect⁹, quos ad vniuersas Ecclesias Regni vestri ob reuerentiam summi Regis expanditis, ad cumulũ consequistis initiatæ circa nos charitatis asciscere, vt gratiam cæteris ex vestra pietate communem, nobis faceretis absque aliorum præjudicio singularem. Sic enim pijssimum pectus vestrum cœlestis gratiæ opes amplificant, vt abundet in eo quod vniuersitas hauriat; & non desit eidem quod familiaris affectio jure proprietatis inuadat. Nos ergo specialis gratiæ prærogatiua gaudentes, tantò securiùs in necessitatibus nostris ad thronum vestræ majestatis accedimus, quantò clarioris certitudinis argumenta ex ipso dilectionis priuilegio jam tenemus. Nunc ergo Claræualli vestræ granditer vos adesse necesse est; quæ si humano præjudicio pastorem suum regnantibus vobis amiserit, non restat ei ampliùs in quo confidere vltra de homine vel velit omnino, vel possit. Misimus autem nuntios nostros ad vos, qui nimirum vt fideles inueniantur, necesse est completum iri, quod nobis per eos de vestræ protectionis magnificentia respõdistis. Nam Dominus Cardinalis qualiter impleuerit, quod promisit, inopinata mutatione tam itineris quàm voluntatis ostendit. Superest igitur, vt fidei vestræ sinceritas opē nobis fraudatæ consolationis instauret, scribendo Domino Papæ, vt in hoc exterminium pacis nostræ neque nunc assentiat, neque in posterum cujuslibet desolatæ Ecclesiæ voces in consuetudinem nostrę turbationis admittat. Improbum namq; est, & sacris legibus interdictum, vt quis cum detrimento locupletetur alterius. Et nos certè pro vtilis electione pastoris frustra videmur studio deuotæ orationis insistere, si ex vsu contingat nostras nos lacrymas alienis potiùs consolationibus profudisse.

## Epist. 15. Conuentus Claræuallis, Ad Dominũ Cadorum Archidiaconum.

*Molestè se ferre ait, quòd non potuerit ejus visitatione honorari; & mortē Prioris sui nuntiat.*

DIgnè quidem prudentia tua, sed non min⁹ dignanter excusat, quòd Regalis obsequij functionib⁹ occupatus, promissam nobis aduētus tui lætitiã statuto exhibere tempore nequiuisti. Illud tamen oportet agnoscas; quòd excusatio ista non satisfacit votis, etiamsi videatur satisfecisse judicijs, eo quòd charitatis affectibus non præscribit, quidquid improuidus casus quantumlibet justæ necessitatis inuexerit. Quid enim si non possis explicare quod cupio? Ego tamen nequeo nõ amare quod amo, nec minùs subinde in summam desideriorum suorum contumax flamma feruentis amoris attollitur, etiãsi superjectæ difficultatis obice reprimatur. Habet enim & hic suum non improba dilectionis improbitas, vt plerumque dum assequi cupita non possumus, quod negat impossibilitas ardentiùs cupiamus. De cætero vestrum est, omnimodis procurare, vt non ablatum nobis sit, sed dilatum, quod de aduentu vestro pia fuerat familiaritate dispositum. Dehinc verò quod status nostri notitiam dari vobis per literas po-

stulastis, ex illa nimirum prodijt charitate, qua vestrum non immeritò facitis, quidquid nobis pepererit vel prosperitas lætum, vel sinisteritas luctuosum. Et nos quidem & Clarævallis vestra per gratiam Dei satis prosperè agimus; excepto quòd nouissimè diebus istis non leuiter nos tetigit manus Domini: quos vt vtriusque parentis orbaremur solatio, vna die dira valde perculit in Abbatis absentia mors Prioris. Nos autem alterius gementes obitum, alterius reditū præstolantes, inter mœrores & gaudia medij suspiramus: inde vtique magis tristes, quòd prædicti patris aduentum, quem jamdiu inaniter sustinemus, præ tędio moræ sperare desinimus.

*Henricus Abbas tunc creatus est Cardinalis.*

Epist. 16. Ad Religiosos in Germania cōstitutos.

*Conuentus Claravallensis, Abbatibus Germaniæ participationē orationum, &c. communicat.*

SCimus fratres, quòd supernorum dona charismatum fraternæ participationis communione proficiunt, & eò copiosiùs intra possessorum suorum mentes exuberant, quò largiùs in subsidia proximorum deriuatione quadam traducis charitatis emanant. Inde est, quod in nostræ fraternitatis suffragia requisiti, votis vestris libenter annuimus, concedentes vtique vobis perpetuum Deo in orationum nostrarum participatione consortium; vt & nos, quod oppidò postulamus, communione vestrarum gratum Deo participium consequamur. Sic enim dum nostra in alterutrum bona diuidimus, in amorē Dei sub vinculo pacis mentes intimas adunamus: & quod diuinitus habebatur in singulis, hac vnitate proficit vniuersis. Quapropter monemus vos & exhortamur in Domino, vt jam deinceps hujus communionis intuitu ad gratiā Dei nobis & vobis pariter promerendam in diuini operis ministerio studiosiùs vigiletis, plena manu in benedictionibus seminātes, quod plena tandem falce in æternis messionibus colligatis. Expandatur in cordibus vestris justitiæ suæ, ostium claudatur ineptijs, & amor sæculi, vel sæcularium potestatum diuini amoris custodiæ postponatur. Ipsæ quoque necessitudines naturales in affectibus vestris non præjudicent veritati; quia nec regnum Dei caro & sanguis assequitur; nec vobis vllatenus expedit, vt si pro Christo sæculum reliquistis, Christum pro sæculo reciprocatione damnabili relinquatis.

*Exhortatio ad meliora.*

*Christus sæculo non cōmutetur.*

Epistola 17. Ad Conventum Mortui-maris.

*Afflictos hortatur ad exerendam virtutem, & patientiam exhibendam.*

AVdito surgentis fremitu tempestatis, quā contra vos & domum vestram flatus diabolicæ malignitatis exagitat; instamus qua possumus prece solicita dormientem denuo suscitare Iesum, vt surgat nunc, & opituletur vobis, & in tanta vos necessitate non deserat. Speramus autem, & in ipso confidimus, quod surgēs surget ventis imperaturus & fluctibus, vt fiat ex commotione tranquillitas & statuta procella turbationis hujus in auram, mitescant & sileant fluctus ejus. Vobis autem, carissimi, oportunitas indulta est exerendæ virtutis, vt quid in pace profeceritis, in persecutione monstretis: & nunc de thesauris vestris explicetis ad meritum, quidquid negotiantibus vobis venisse putatis in lucrum. Ecce enim super vos quasi picea nox caliginosæ tribulationis oppanditur; sed agite, vt nox sicut dies illuminetur, fiatque nox ista illuminatio vestra in delicijs vestris, cùm effulserit in obscuritate turbinis, quod olim accendistis in lumine claritatis. Sic enim scriptum est. *In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus.* Quod est hoc Canticum, nisi gratiarum actio & vox laudis; in quam tunc præcipuè jubemur erumpere, cùm grauiùs contra nos mala vitæ pręsentis erumpunt? Ad hoc Cāticum inuitabat discipulos, qui dicebat. *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis.* Et ne qua dubietas de vehementia tentationis obrepat, attendite, quod alius non alio spiritu prædicauit. *Fidelis est,* inquit, *Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Vos ergo, fratres, ponite in cordibus vestris patientiam seruare continuam: & de malitia illusoris lucrum facite charitatis. Rectas facite vias vestras, & studia vestra ad Dominum dirigantur: vt fiat in vobis, quod legitis. Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus conuertet ad pacē. Quis enim nocebit vobis, si boni æmulatores fueritis? Perseueret in vobis disciplina Ordinis, fraternitatis amor, sinceritas charitatis: & jam nulla timeatur aduersitas, vbi nulla dominatur iniquitas. Viuat in vobis timor Dei, sæculique contemptus, & victa sunt omnia. Nos quoque juxta quod ipsi petitis, ad Dominum Regem, aliasque personas, nuntios literasque direximus; sperantes, quòd in proximo vobis pax & tranquillitas oportune subrideat, dummodo virga disciplinæ quam geritis, nec decidat his flatibus, nec arescat.

*Psalm. 41.*

*Quid sit nocte Dei canticū canere.*

*Iac. 1.*

*1. Cor. 10.*

*Regem Angliæ intellige.*

Epist. 18. Ad Batoniensem Episcopum, & Abbatem Fordensem.

*Commendat causam Monachorum de Fontibus.*

PRo causa fratrum nostrorū de Fontibus, quę à Domino Papa vestræ committitur pietati, vobis quidem de superfluo scribimus; cùm credamus, satis superque vestris pectoribus insitū, vt judicetis in justitia pauperes, & arguatis in æquitate pro mansuetis terræ. Causa quoque ipsa, sicut bene confidimus, ita fouetur beneficiò juris, vt non multum debeat officio judicantis. Verùm, quia sic eis visum est, visum est & nobis, vt vestram humiliter excellentiā imploremus; quatinus intret in conspectu vestro gemitus afflictorum; nec patiamini, vt illius pauperes legibus onerentur iniquis, qui humanæ diffinitionis judicia statera ponderaturus est æquitatis. Veniet, veniet dies illa, quidquid interim Christi pauperes patiantur, quando stabunt in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Perhibemus autem & nos testimoniū veritati, quòd vir venerabilis D. Philippus, cujus verbo Dominus Eboracensis videtur inniti, tāquam ille ex parte conuentus & causæ abrenuntiauerit & quærelæ, contrà omnino asserit & testatur, hoc solùm se dixisse cōmemorans, expedire magis eis misericordiam sui & Patroni & Pontificis expectare, quàm cum eo sub dubię litis marte contendere. Quocirca rogamus vos & obsecramus in Christo Iesu, vt quemadmodū accepistis à Domino Papa, quomodo vos oporteat ambulare, & in causæ examinatione procedere, ita Patres, agere studeatis, & cōmissum vobis negotiū juxta mera causæ merita diffinire,

*Sap. 5.*

Scitis enim, quàm periculosũ sit deferre personæ, si exinde cõtingat aliquid deperire justitiæ.

Epist. 19. Ad Albanensem & Prænestinũ Episc.

*Rogat, vt eorum malefactores coërceantur.*

CVR eos disjungat vel apex vnus in literis, qui vno junguntur apice dignitatis: vel cur diuersitas quæratur in chartulis, vbi simplex viget vnitas charitatis? Duobus ergo vobis scribimus, tamquam vni; quia dum in vno quolibet suspicimus alterum, singularem affectum colimus in pluralitate duorum. Domesticus vobis est Ecclesiæ nostræ status, à quibus non peregrinatur affectus. Posita est, vt scitis, inter gentes indomitas, & Gallica fortitudine contumaces; quæ dum sua per intemperantiã prodigunt, aliena per violentiam diripiunt & prædantur. Ideoque mediante solicitudine vestra rescriptũ nobis petimus Sedis Apostolicæ prorogari: quo Archiepiscopis & Episcopis terræ nostræ generalis mandati statuatur authoritas, vt de malefactoribus nostris plenam nobis justitiam faciant, nec in eos aliqua postmodum absolutio prodeat, si digna satisfactio non præcedat. Cessent à sacri participatione mysterij villæ, oppida, ciuitates; quamdiu ibi B. Remigij præda constiterit; vt proueniat nobis rerum indemnitas amotarum, dum illis interdicitur solemnitas diuinorum. Hæc interim per vos, & quidem magna deposcimus; in quibus si nobis dilectio vestra responderit, fiet, vt cùm oportuerit, majora poscamus.

*Rogat, interdicto subjci oppida, &c.*

---

Epistola Petri de Roya, quã ipse Nouitius apud Claramvallem edidit.

*Agit de vita & sancta conversatione Religiosorum Claravallensiũ illius temporis, suaque ad illud Monasterium conuersione.*

DIlecto suo C. Sanctæ Matris Ecclesię Noviomensis Præposito, forsitan annuali, si velit autem, cælorum Regi futuro in perpetuũ; frater Petrus, per misericordiam Dei, Claræuallis Nouitius, salutem in idipsum. Moris est Amicorũ, quos jungit amor Christi, sed locorũ separant interualla, vt cũ se videre non habeãt, nec loqui sibi facie ad faciem; frequenter tamen pia in Christo memoria, se vicissim respiciant, sibique mutuis loquantur affectibus; secreta & amica voce cordis *super altervtro* inquirentes, & profundis apud Deũ gemitibus orantes pro inuicem. Secundũ hanc amotis legẽ, ni fallor, inquiris & tu aliquãdo intra temetipsũ, in secreto cordis, quid agatur apud me dilectum tuũ; quæ mihi sit volũtas, quis status & habitus, quod desideriũ. Et forsitan times, amicâ pietate, humeris meis, quos exiguos agnouisti, & debiles arbitraris ad hujus vitæ, quã elegi, portandũ onus, & jugum sustinendũ. Dilecte mi, Trepidauerũt multi vbi non erat timor. Quia igitur in bono Iesu me diligis, non te oportet in hujuscemodi timere: Hæc enim Dñi sunt, cujus jugum suaue & onus leue. Ego autẽ cũ sufficiens non sim ad expendendam multitudinẽ bonorũ, quæ nuntiãt animæ meæ per singulos dies, corporis mei aures & oculi; tamen ad certificandum cor tuũ statu & desiderio meo, tuæ satagã signare dilectioni pauca de Claravalle, de pauperib' Christi habitantibus in ea, de ordine & modo vitæ ipsorum, ad quos imitandos fidelibus anhelat suspirijs anima mea. Primo siquidẽ omniũ, describã tibi partem aliquã, & modum veteris vitæ meæ: modum dico, si vbi rarò aut numquam modus fuit, modum possim appellare. Volo autẽ vt id ad profectum tuũ in hac descriptione diligenter attendas, de quot & quantis mortibus me jam eripuit Saluatoris benignitas, ipsumq; glorifices; qui verè quemcumq; peccatorẽ venientẽ ad se, nõ ejicit foras. Si quid verò in me legeris, quod & in te fortuitu deprehendas notabile, tuæ fideliter consulo fraternitati & saluti, vt id sine mora corrigere festines, dum licet, & nescis quid superuentura pariat dies. Ego igitur, dilecte mi, dum essem Nouiomi, & in fenestris domus Episcopalis solus mihi sederẽ, frequẽter etiam tecũ, & cum alijs; considerata sępius domus illius ordinatione, & notata quæ se oculis ingerebãt, ejusdẽ pulchritudine, heri noua, hodie veterascente, memoriã mentis & intuitum secretò deferebam ad ordinatissimam illam domũ super cælestem, cujus gloriosa, indeterminabilis, & semper noua pulchritudo omnem transcendit hominis cogitationẽ. Ab hujus autem semita lõge positum, miser ego, miserrimũ me videbam, qui scienter in latitudinem viæ pessimę ambulabam, per quam (nisi cura vigili fugiatur) citò, & irregressibiliter curritur ad domũ longè aliã, domum scilicet doloris, domum extremæ & infinitæ turpitudinis: Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, & cum verme qui non moritur, sempiternus ignis. O! quã jure igitur solicitus cogitabam, ne sicut inceperat me huc pertrahere amor mundi, per cujus ampla & stulta desideria, lubricus & insatiabilis euagabar, adeò ebrius, vt pro viribus & licentia, in nullo meæ carnis reluctarer voluptati; hoc excepto, quod me sæpe recordabar moriturum, & ex hujus sæculi labilibus gaudijs, obstupescens, pensabam æternorum mirabilia sæculorum. Dum enim ad mensam Domini nostri Episcopi, ciuẽ nostrum imò & hostem meũ in argenteis vasis, de more, suauiter nutrirẽ, nec insalubriter quidem, quantum in vasis erat; dumq; mihi manu corporis delectabiles legerem delicias, sæpe in eisdem vasis silenter legebã, manu scilicet cordis longe alium cibum. Sed tu, dilecte mi, licet tibi satis affiniter recumberẽ, hunc me legere nesciebas. Quid igitur? Nũquid dapes quotidie festiuas, aut inculpabiles scutellas redarguo? Numquid liquorem illũ cujus & color blande arridebat oculis, & sapor dulce in palato respondebat, aut scyphos accuso argenteos? Absit: non enim cibus erat in vitio, neque potus, nec etiam argentea vasa: sed in meo vase fictili latebant semina, vnde spinarum surgentiũ graues introrsũ sentiebã aculeos, ad auram quidẽ rerũ exterius auditarũ, vel visarũ excitatos. Sæpe itaq; & in mensa, & extra mensam, silenter legebã in auro & argento, in tam pretiosa quã speciosa domus Episcopalis supellectile. Legebã etiã in plerisq; alijs rebus mundi, quas ad cõcupiscendũ intuebantur prædones oculi mei, mandatorum Dei transgressores. Legebã autem sic: Petre, quæ intueris, in quibus gaudes, vel gaudere appetis, de mundo sunt. Erit igitur quando non erunt; tu autẽ eris. Vbi eris, Petre, siquidem tu injurius crucis Christi, in quã sola gloriandum non ambigis, in mundanis gloriari concupiscis, certus tamen quod cum sua concupiscentia quotidie pereundo, transit mundus; & homo cum interierit non sumet omnia, neque cum eo descendet

*Amici absentes sese memoria intuentur.*

*Psalm. 13.*

*Author Nouiomi habitarat.*

*Inferni descriptio.*

*Pulchra lectio in auro & argento.*

gloria ejus. Petre, illam carnis tunicam vilissimã quam tanti facis, vt pro ejus cura & desiderijs, non solũ tui, sed (quod maj⁹ & execrabilius est,) obliuiscaris etiam Dei, multo adhuc viliorẽ in breui relinques vermis, & putredini. In hoc ergo tui exitu, cujus horam nescis, nudatus carnis tunica, quò migrabis? Cui occurres? Quid respõdebis? Vbi etiã reponeris, donec redeas ad tunicam? Redibis enim, & ipsam eandẽ verè iterũ indueris: & resurges quidem, aut in vitã & gaudiũ, aut in mortem & luctum, & horũ non erit finis. O, dilecte mi, hæc erat lectio, quã silenter & frequẽter relegebã in cordis cubiculo: & præfatæ inquisitiones multoties spiritum meũ penè ab omni disjungebant lętitiã. Nec mirũ; me etenim veraciter arguebat cõscientia, quod in omnib⁹ vijs meis, de nostro Saluatore meũ fieri dãnatorẽ promererer, cum etiã in his quæ ad cultũ ejus pertinerent, ipsum offendere non vererer. O, quã mira! O, quam audax & insana præsũptio! Certus eram Dñm justum esse, & potentẽ in inferno me perdere; & hoc timens, non cessabam tamen ipsum offendere. Ego quidẽ vt pars mea esset Dñs, Clericatus recẽperã Sacramentũ, sed enormitas vitæ meæ, ab ipsa re Sacramenti me fecerat alienum. O, quam mira ergò! O quã stulta, & impudens elatio! Eloquia Dñi, eloquia casta, & ego hæc de pectore incæsto proferre & enarrare præsumebã, per os pollutũ, & dolosũ, sciens Dñm dixisse peccatori. *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentũ meum per os tuum?* Hęc eadẽ diuina eloquia, si quãdoq; quacumq; alia de causa, præter solum Dei amorem & honorẽ, legendo vel cantando pronuntiarẽ in Ecclesia, me sciebã certissimè sacrilegio alligari, qui cultum Deo debitũ offerebam vanitati Non eram igitur servus Christi, cum hinc dicat Apostolus, *si hominibus placerẽ, Christi servus non non essem:* hinc Propheta: *Deus ossa eorũ dissipabit, qui hominibus placent.* Sæpè verò, vt placerẽ hominibus, siue mihi, non, vt Deo, mea erat pręcordialis, & (vt verius dicã) vecordialis intẽtio. Ego itaq; servus nequã, vt quid, vel qua fronte, in agro Dei terram occupabã, qui reuerã radix amara, vtilis nulli, quãpluribus inutilis, sed inutilior mihi, nullũ nisi amaritudinis fructum germinabã? Quod enim viuentibus exemplũ, vel quod pro defunctis soluebam sacrificiũ: de quorũ victimis comedebã adipes, & bibebã vinum libaminum? Rerũ siquidem Ecclesiæ, quocumq; me velamine palliarẽ, detractor & prædator eram, & expensor earum in rebus prauis. O quam praua, Deoque odibilis hæc mea peruersitas! Audieram enim B. scripsisse Hieronymum. Quicumque rebus Ecclesiæ abutuntur in alijs rebus, peccatũ incurrunt redimentium mẽdaciũ, & reorũ sanguinis Saluatoris. Quia igitur tam in his, quã in alijs multis, reus erã abusionis & rapinæ, sæpè cum ad aures meas insonaret Apostoli illa vera & timenda propositio, *Raptores regnũ Dei non possidebunt*, in corde meo quasi respondendo, murmurabat illa plena timoris, plena doloris, & pudoris festinata conclusio. Ergo, ipsi rapti & conclusi cũ immundis spiritibus, sine fine gehennali cremabuntur incendio. Festinatã dixi conclusionẽ, tum pro lege argumenti, & illationis citò factæ, tum maximè, quia dies Dñi in quã hoc futurum est, velociter appropinquat. Vnde scriptũ est. *Adhuc modicũ, & mouebo cœlũ & terrã.* Et alibi. *Dies magna & amara valdè, & velox nimis: tribulabitur ibi fortis.*

*Peccator de Saluatore suo facit dãnatorem.*

*Sacramentum Ordinis.*

*Psalm. 49.*

*Galat. 1.*
*Psalm. 13.*

*1. Cor. 6.*

*Agg. 2.*
*Sopho. 1.*

Quocirca, mirũ non erat si hoc, & alia multa similia me reddebant solicitũ & pensantẽ; qui etiã recordari non poterã ab infantia me vixisse vel per momentũ tẽporis, in quo non essem operat⁹ vel rapinã, vel aliud opus mortis. Valdè etenim diligebã congressus & cõuentus vanitatis, spectacula, jocos, otia, verba apta risvi, non fructui; rarò verũ dicere, plurimũ mentiri, jurare, perjurare, fauere, adulari, & similia: quę cũcta ex quodam cõmuni & assiduo vsu, facietenus non peccata reputabã, sed quasi quasdã societatis affectatæ, & mundanæ probitatis facetias: sciebã tamen hæc eadẽ (cum inter Deũ separent & hominẽ) *vanitates esse & insanias falsas.* Majora taceo, cordis videlicet elationes, æmulationes, odia, dissensiones, detractiones, turpiloquia. Taceo pessima cogitationũ & operũ, luti & lateris, in quibus occultè & pessimè occupabar: totus lutũ, qui per singula momẽta quãtũ in me erat, ex operibus meis ad æternæ mortis properabam suppliciũ. Sed misertus mei Pater misericordiarũ, me tandẽ visitauit, & traxit ad filiũ. Vides ergo quãta jam fecerit animę meę Pater bonus, qui misericorditer ereptũ de fluminibus Babylonis, misericordiùs locauit in Claravalle, apud fontes Saluatoris. Claravallis enim etsi secundũ speciẽ loci sita sit in valle, tamen *fundamenta ejus in montibus sanctis; cujus portas diligit Dominus super multa tabernacula Iacob. Gloriosa sunt dicta de ea.* Quia in ea gloriosus & mirabilis Deus, gloriosa operatur mirabilia. Ibi enim veteres insani redeunt ad cor, & licet homo eorũ exterior corrũpatur, interior tamen renascitur: &, vt verbis vtar Apostoli. *Renouatur de die in diem, in eum qui secundũ Deũ creatus est hominẽ.* Ibi superbi humiliãtur, ibi pauperantur diuites, ibi pauperes euãgelizãtur, & peccatorũ tenebræ transmutantur in lucẽ. Ad hanc igitur domũ à finibus terræ ingẽns licet beatorũ pauperũ conuenerit multitudo, de regionibus cõgregata & nationibus, horũ tamen *omniũ cor vnũ & anima vna est:* vt de hac domo specialiter dici possit: *Ecce alienig. & Tyr. & pop. Æthyopũ hi fuer. illic.* Iure igitur, *habitatio est in ea lætantiũ omniũ*, non inani lætitia; perẽnis enim lætitiæ, & suæ ad cælos ascensionis jã cœptæ certã spem habent, quã in Claravalle inuenerunt, *scalã Iacob & Angelos in eã:* alios quidẽ *descendẽtes*, qui sic prouidẽt illorũ corporibus, vt non deficiant in via, alios verò *ascendentes*, qui sic regũt eorũdẽ animos, vt postmodũ cum ipsis gloriẽtur & corpora. Ego autẽ quanto diligentius de die in diẽ intueor tã beatæ vitæ pauperes, tanto credo eos perfectius per omnia Christũ sequi & sapere, & certis cõjicio indicijs, in omnibus quę agunt, veros ministros Dei apparere. Nam dum vacant orationi, in spiritu & veritate Deo loqui, & tum ex secretã & amicã apud eũ locutione, tũ ex humili modo se habẽdi, planè apparẽt Dei esse familiares & amici. Dũ verò manifestius laudãtes Deũ psalmodiæ sunt intenti, quàm purus sit, & quã fervens in idipsum affectus mentis, ostẽdit eorũ omnis corporis status, in omni timore & reuerentia sanctitatis. Ostẽdit & ipsorũ distinctio morosa, & in psalmis modulatio, *quàm dulcia fauc. suis eloq. Dei, super mel ori suo.* Dũ eos itaq; attendo diurnis horis, nocturnisq; vigilijs, abante mediũ noctis, vsq; ad primã diei, facto breuiter interuallo, tã sanctè, tam infatigabiliter

*Psal. 86.*

*Encomia Claravallis.*

*2. Cor. 4.*

*Psal. 96.*

*In Claravalle, qui Angeli ascẽdentes & descendentes.*

*Psal. 118.*

*Psalmodia Claravallensis.* psallẽtes, mihi quidẽ paulomin⁹ ab Angelis, sed plus multo videtur quã homines. Quòd autem sunt hujus tã continuæ, tã alacris, & tã semper recẽtis tolerãtię, quod tanti sunt feruoris & meriti, non humanæ potẽtię, sed muneris est diuini. Dũ verò sunt in lectione, leniter haurire vidẽtur & affluenter quidẽ, *aquas Syloë, cũ silentio fluẽtes, & in vitã salientes æternã.* *Isaia 8.* Illorũ verò potio & habitus demõstrant, omnes eos esse vnius Magistri discipulos, docẽtis in eorũ cordibus, & dicẽtis: *Audi Israël & tace.* Tacẽt n. & audiũt, & sapiẽtiores fiunt. *Quoniã audiens sapiens, sapientior erit.* *Prouer. 1.* *Opus manuum.* Dilecte mi, quid hos tã beatę vitæ pauperes credis videri vel dici posse, quãdo manuũ suarũ inhærẽt laboribus, quãdo eunt ad opera, vel redeũt: in quibus õnibus cõstat eos non suo duci spiritu, sed diuino? Certè, tã patiẽti animo, tã placido & ĩmobili vultu, tam sancto & suaui ordine cuncta peragũt, vt etsi sese plurimũ exerceant ad opera, vix tamen vel moueri perpẽdũtur, vel grauari in aliquo, quãticũq; sint labores. Vndè manifestum est, in ipsis illũ sanctũ operari spiritũ, qui disponit omnia suauiter: in quo & ipsi recreantur, & quiescũt etiã laborantes. Horũ siquidẽ pauperũ, alios Episcopales, alios Consulares, aliarũque dignitatũ, & multæ scientiæ viros illustres, & juuẽnes egregios audio extitisse; *Viri illustr. monachi facti.* sed nunc, per Dei gratiã, omni apud eos acceptione Personarũ emortua, quanto quisq; se putauit in sæculo altiorẽ, tanto se in hoc grege minorẽ, minorib⁹, & abjectiorẽ reputat per oĩa. Eos itaq; dũ ĩtueor in hortis cũ sarculo, in pratis cũ furcã vel rastro, in agris cũ falcicula, in sylua cũ securi, in alijs laborũ locis, cũ alijs operũ instrumentis: dũ & ego respiciẽs quid fuerint, cõsidero pręsentẽ ipsorũ statũ, opera, instrumẽta, personas abjectas, vestimẽta incõposita, & vilia, judicio quidẽ exterioris oculi, videntur mihi nõ homines, sed gens stulta, muta siquidem & elinguis, *opprobriũ hominum, & abjectio plebis.* *Psalm. 21.* Sanus autem & fidelis intellectus, in corde meo asserit mihi, horũ vitã in Christo esse abscunditã in cęlis. Inter quos gaudeo equidẽ me videre *Gaufr. Peronensẽ, Rayn. Morinensẽ, G. de S. Audomaro, Walt. de Insula,* quos ego cũctis veterior, in veteri agnoui homine: sed nunc in ipsis, Dei gratia illius vetustatis nec vestigiũ perpẽdo remãsisse. In veteri homine noui eos exaltato corde, elatis oculis, *ambulare in magnis, & mirabilib⁹ super se.* Nunc autem video ipsos sub misericordi manu Dei humiliatos incedere in paruis, & in mirabilibus infra se. In veteri homine noui eos, sua secũ sepulchra deferẽtes exterius dealbata, sed intus plena ossibus mortuorum: nunc autẽ credo eos ferre vasa Dñi quæ etsi exterius appareant despicabilia, intus tamen plena sunt speciebus cœlestiũ odoramẽtorũ. Quando igitur hęc omnis societas ad solitũ laborẽ & progreditur & redit, gradatim quidẽ & simpliciter vnus post alium quasi acie directa, & armis pacis humiliter armatã; *Modestia in incessu & labore.* nõne Angeli Dei hanc videntes taliter incedentẽ, & ad Christũ nouiter conuersam de tenebris, pręadmiratione & gaudio, jure concinunt: *Quæ est ista quæ asc. sicut aur. cons. pulchra vt luna?* *Cantic. 6.* &c. Terretur autẽ exclusus diabolus, & suprà modũ dolet, vidẽs (quod vtinã semper videat & doleat) horum resurrectionẽ, regni sui ruinam esse non modicã. Ergò, armatur & ipse, quanto potest acutiori malitiã, vt quos vltrà tenere non potuit mundi hujus blandimentis, eos acriùs persequendo, subtilioribus impugnet & implicet argumentis; non tamen prævalebit inimicus. Ipsi enim *Altissimũ posuerunt refugiũ suũ* *Psalm. 99.* crucẽ Christi dilectã suã, quam fideli desiderio amplexantur & bajulant, saluandorũ spẽ vnicã. Item, dilecte mi, quid credẽdũ putas super eisdẽ pauperibus, in tẽpore mensæ, in continentia, & habitu, tunc tẽporis? *Temperantia in Refectorio.* Nec Deum videre credo quod displiceat, nec hominẽ, quod debeat accusare. Ibi siquidem adeo modestè, adeò sanctè se habent, vt, quod sunt, appareãt homines justi, & timentes Deũ. Hinc attentè suscipientes spiritale & pręcipuũ ferculum, verbũ vitę quod sẽper esuriunt. Hinc reuerẽter edentes & bibentes alia dona Dei quę sibi sunt apposita: non exquisitas delicias, sed labores manuum suarum, legumina scilicet & pulmẽta. Potus est eis cereuisia, si hanc non habẽt, gaudent aqua simplici. Raro autẽ vtuntur vino, & hoc mixto cum aqua plurima. Reddentes itaq; debitũ corpori, non gulę, non ventri, comedunt & bibunt, sed tantum indigentiæ naturali, & Deo, scientes scriptũ. *Esca vẽtri, & vẽter escis, Deus autẽ hunc & has destruet.* *1. Cor. 6.* Quoniã Regnum Dei non est esca & potus, sed justitia & pax, & gaudiũ: in quibus versatur tota eorum voluntas & studium. Magistrã enim, & totius vitæ suæ dictatricẽ habent obedientiã: *Obedientia in omnibus.* quam adeò fideliter sequuntur ad omnia, vt nec vnam quidẽ diei siue noctis prætermittant particulã, quæ non sit apud eos obediẽtię & diuino cultui mãcipata. Vnde & ego fideliter credo eos (vt taceã quæ majoris sunt meriti & mercedis) non solum in singulis passibus quos faciunt, sed etiam in singulis manuũ suarum motibus, circa injuncta opera, peccati remissionẽ consequi, vel augmentum coronæ, in vita ęterna. Qui si fortè cadant aliquãdo (quod omnino vitare non possunt, dum portãt carnẽ fragilẽ) non tamen colliduntur, *quia Dominus supponit manum suam.* *Psal. 36.* Ecce, habes pauca illa, dilecte mi, quæ de pauperibus Claræuallis, in hujus Epistolæ procemijs, tuæ promissa sunt dilectioni. Plura restãt meliora & optima, ad quæ describenda cum sufficere non valeã, quæ dicta sunt in præsentiarum sufficiant. Meum verò desiderium est, quatenus pręfatis pauperibus in Christo merear adjungi corpore & spiritu, vt adjutus eorũ suffragio, & fructuosiùs pœnitentiã agere, & fiducialiùs habeã clamare ad Dñm: *Domine ad te confugi, doce me fac. vol. t. Eripe me de inimicis meis, Deus meus.* *Psal. 142.* *Ad te Domine leuaui animã meã, Deus meus in te confido, non erubescã:* & his similia. Ego autem probor adhuc, & per gratiam Dei, ad horum pauperum Regulam instituor & vitam; vt dum eis adjũctus fuero, vnà cum ipsis nouerim vigilare, & solummodo somniare in spiritu. Vigilãti enim promittitur Regnum, & *qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* *Galat. 6.* In qua ego particeps ipsius, & te, & totam Nouiomensem Ecclesiam, Dominã scilicet & matrẽ meam, per misericordiã Dei fæliciter æternare videã cum Christo, & regnare. Amen. *Valete.* Domino volente, proximã Dominica post ascensionẽ Domini, suscepturi sumus nostræ professionis armaturam, per gratiã & benedictionẽ Iesu Christi, quam, meritis matris suæ, vestrisq; precibus, nobis dignetur cõcedere, ipse idem Iesus Christus. *Amen.* Iterum, *Valete, & memento nouissima tua, & miserere animæ tuæ.*

FINIS.

*In Tractat. Henrici Cardin. De Ciuit. Dei.*

*Tractatu 5. pag. 22.* INter præcipua Sacramenta ponit Vnctionem infirmorum: quia hæc à quolibet fideli adulto sunt suscipienda. Ordo autem & Matrimonium nec præcepto nec consilio suscipiuntur: Pœnitentia verò ex hypothesi solùm peccati necessaria est, non autem absolutè.

*Tra. 6 p. 25* Solet materia Eucharistiæ statui panis & vinū: quia aqua, quæ admiscetur, vnum mixtum cum vino cōponit, quod vinum absolutè dicitur: quamq; rectè Author sequut⁹ Patres, vinū & aquam ponit Eucharistiæ materiam: quia illa in vinū non conuertitur, sed cum vino in sanguinem Christi

*In Sermones Venerabilis Garnerij Lingonensis Episcopi.*

*Serm. 1. in Aduēt. p. 79.* QVamvis pellicanus & phœnix non sint; nō ineptè tamen Christus eis comparatur, secundùm proprietates, quæ eis tribui solent. Nā & Dauid, secundùm nostram versionem, pellicano se cōparat, & Iob, iuxta 70. cap. 29. phœnici. Quid sit autem pophinellus, cuius etiam mentio hic fit; non reperio apud Authores.

*Serm. 1. in Nat. pag 98.* Quod hic legitur, *Ex illis tribus, animâ, subst.* &c. mendosum est, & legendum, *Vna substantia*; Illa autem sententia quorūdam, quam Author damnare non audet, prorsus inintelligibilis est: nisi hæresin Eutychis contineat, negando, animam & corpus manere post vnionē cum Verbo: aut Nestorij, negando vnionem substantialem Verbi cum natura humana: quod omnino videtur illa sententia statuere: quæ & eodem modo hic exponitur, quo olim Nestoriana hęresis.

*Serm. 1. in Pasc. p. 129.* Quod hic dicit Author, de Regina Saba, quæ viderit lignum crucem Christi futurū, &c. videtur ex Petro Comestore sumptum, qui hoc ipsū 3. parte historiæ refert: sed rectè addit, hoc non esse authenticum.

*Serm. 2. in Pasc. p. 133.* Verba illa, *Nec aliquid criminale, si displicet, nec veniale, si placet*, sic sunt intelligenda: non esse peccatum, id quod nobis nolentibus accidit: quod autē volumus malum, non obtinere vel mereri veniam, ob fragilitatem, vel similem causam: si tamen pœnitentia agatur, omne peccatū deletur.

*Serm. de S. Bern. p. 182.* Durum est, quod Author statuit, etiam in illicitis obediendum esse. Se ipse tamen exponit, dicens, non in omnib⁹ illicitis obediendum: sed in illis solùm, quæ non apertē legi Dei adversātur: hæc enim bona fides sæpe excūsat, qua credūtur hic & nunc debere fieri, quæ alioqui illicita sunt: vt si iubeatur quis die festo iter facere, nec possit sacrum audire: & sic de alijs multis casibus.

*Serm. 1. in Nat. Virg. pag. 186.* Concupiscentiam esse peccatum originale, qui statuunt, dicere debent cum hoc Authore, illam quidē post baptismum manere, quod experiētia ac fide certum est: tunc tamen rationem peccati ampliùs non habere. Cæterùm opinio illa non videtur tenenda: sed ea doctrina sequenda, quæ peccatū originale statuit esse ipsum Adæ peccatum habitualiter perseuerans in illis, quibus nōdum remissum est per baptismū, vel alio modo; cuius effectus est concupiscentia: qua de re alibi.

Ioannes Scotus, qui Theophaniā, &c. hic dicitur descripsisse, non est Doctor Subtilis, qui Garneio tempore posterior fuit: sed alius multò antiquior, qui hæresis infamia laborauit: quo de Scriptores Ecclesiastici. *Serm. 3. in Capit. General. p. 178.*

*In Sermones Nicolai Claravallensis.*

VNam & eandem feminā vnxisse pedes Christi, Lucæ 7. & caput, Ioan. 12. ac præparasse vnguentū toti corpori eius vngendo Mar. 16. multi affirmāt, oppositū tamen multi Patres & Doctores tuētur, ac tres feminas hæc officia exhibuisse, ac exhibere voluisse, sentiunt. Sic Hieron. in cap. 26. Mat. *Nemo*, inquit, *putet, eamdē esse, quæ super caput effudit vnguentū, & quæ super pedes.* Chrysost. hom. 61. in Ioan. Orige. ho. 35. in Mat. & alij, idem asserunt. Vide Clictou. & Estium in Opusc. ea de re: quib⁹ Scriptura fauet, innuēs diversas esse feminas, Luc. 7. 8. & 10 *In festo S. Mar. Magda. pag. 203.*

Quod de Theophilo beatæ Virginis ope erepto hic dicitur, narratur à Metaphraste, Pet. Damian. Ser. 1. in Natali B. Virginis, & alijs. *In Natiuit. Virg. p. 209*

Falsum est, quod hic Nicolaus dicit, Antequā Angelus ad Virginem perveniret, Deū illapsum vtero Virginis, si hæc verba propriè sumantur, & Incarnationē jam peractam fuisse significent: hæc enim non est peracta, nisi consensu ejusdem Virginis dato, vt sentiunt Patres & Doctores. *In Advent. Dom. p. 227*

*In Epistolas Philippi de Eleemosyna.*

CVriæ-Dei cœnobium, de quo Philipp⁹ ep. 20 agit; Eleemosynæ filiam dixi in Præfat: sed postea didici, filiam esse Cisterçij. *In Præfat. nostra pag. 237.*

Illud etiam notandum, superfluū posthac fore, disputare de Authore harum Epistolarum, an is sit Philippus Bonæ-spei Abbas: nam huius Opera typis excusa nullam habent ex ijs, quas Philippo de Eleemosyna vindicaui. Reperi tamen in eisdem Opusculis vitas Sanctorum Amandi, ac Cirici & Iulitæ, à nostro Philippo scriptas, & præter inscriptionem vocabuli de Eleemosyna ibi relictam, verba quoque illa, *Communis frater noster Albertus, &c.* id ostendūt: eadem enim habet epist. 8. & 11. Sic ex comite suo Alberto agnoscitur, ac discernitur noster Philipp⁹ ab Abbate Bonæ-spei. Quia tamen irrepsit hoc Opus, & forsan quædam alia in codicem librorum hujus Prelati, creditus est, sed falsò, vt ostendimus, Philippus de Eleemosyna fuisse appellatus.

